BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
G
18
NAPOLI

XLII
5
18

Digitized by Google

HENRICI VALESII
MILITIS, DOMINI D'ORCÉ,
CONSILIARII, ET HISTORIOGRAPHI REGII,
EMENDATIONVM
LIBRI QVINQUE.
ET DE
CRITICA
LIBRI DVO.
Numquam antehac typis vulgati.
EJVSDEM UT ET NIC. RIGALTII ET ISM. BVLLIALDI
Diſſertationes de Populis fundis.
Accedunt
HENR. VALESII Orationes variae junctim excuſae. & HADR. VALESII
Oratio de Laudibus Ludovici XIV. & Carmina nonnulla inedita.
Praefixa eſt HENR. VALESII Vita, ab Auctore HADR. VALESIO
recognita & emendata.
EDENTE
PETRO BVRMANNO
FR. FIL. FR. NEP.
qui Praefationem, Notas, & Indices adjecit.



AMSTELAEDAMI,
Apud SALOMONEM SCHOUTEN. CIƆ IƆ CC XL.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO

GULIELMO CAROLO HENRICO FRISONI

ARAVSIONENSI AC NASSAVIO

P R I N C I P I

GELRIAE, FRISIAE, GRONINGAE, AGRORUMQUE CIRCVMJACENTIVM, AC DRENTIAE

GVBERNATORI ET SVPREMO REI BELLICAE PRAEFECTO.

ACADEMIAE CVRATORI MAGNIFICENTISSIMO

ETC. ETC. ETC.

VT ET

Digitized by Google

VT ET

VIRIS NOBILISSIMIS, SPLENDIDISSIMIS,
ATQVE INSIGNIBVS IN REPUBLICA HONORIBUS
CONSPICUIS,

HESSELO DOVWONI ERNESTO AB AYLVA.
DOCONI MARTENA A BVRMANIA.
MARTINO BLOK A SCHELTINGA.
VLBONI SIXMA AB ANDLA.

ACADEMIAE FRANEQVERANAE
CURANDAE IVVIRIS

VENERABVNDVS DEDICAT
PETRVS BVRMANNVS
FR. FIL. FR. NEP.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

LECTORI AEQUO ET BENEVOLO

S. D.

PETRUS BURMANNUS

FR. FIL. FR. NEP.

INter fata & incommoda, quibus partim ipſam Literarum conditionem; partim egregias Virorum Eruditiſſimorum lucubrationes & doctiſſima ſcripta videmus eſſe obnoxia, hanc potiſſimum infelicitatem plurimis praeſtantiſſimorum ingeniorum monumentis plerumque contingere dolendum eſt, ut eximii elegantioris doctrinae theſauri ubi inciderint in inperitorum & ſoli habendi ſtudio inhiantium haeredum manus, ſaepiſſime tamquam res nauci & viles chartae projiciantur aut aboleantur, aut neglecti & in perpetuae oblivionis ſpem tenebris angulorum, in quos raro ant numquam ocnlos convertunt, addicti ac damnati, miſera carie & infaucto ſqualoris ſitu conſumantur, & blattis tineisque in eſcam cedant: vel ſicubi forte ab aliis pretium his non vile ponendum eſſe edocti fuerint, videas eos his gazis ſolos incubare, & eruditorum oculis conſpectum earum invidentes, ſuos his reconditis opibus tamquam pictura inani ſolos paſcere. Ab altera parte non minorem quoque

(*) *ope-*

operibus doctorum hominum partim inchoatis aut non confectis, partim abſolutis & elaboratis, ſed inmaturo eorum obitu ante fata ab ipſis auctoribus publicae luci non expoſitis, evenire calamitatem docuit ſaepe experientia, ut inexſpectato caſu ac fortunae ſorte ab interitu quidem vindicari, ſed infeſtos tamen vulturum & rapacium Harpyiarum ungues effugere non valuerint; qui inportuno latrocinio ac plagio ea ſibi adſerere, & literato orbi pro ſuis laboribus obtrudere non erubuerunt, non aliter quam ſi ſubpreſſo veri parentis nomine foetum expoſitum ſuſtuliſſent, & quaſi adoptionis jure ſibi vindicaſſent. Sed nec meliorem profecto a manibus Virorum doctorum gratiam ineunt illi, qui ubi forte conſecuti fuerint quaſcumque illorum liturarias ſchedas, & tumultuaria Adverſariorum ſcripta, ſed in privatum tantum & quotidianum uſum conlecta ac chartis mandata, numquam vero editioni deſtinata, ea tamen ſine ullo judicio digerentes, neque unde excerpta aut congeſta ſint indagantes, tamquam inaeſtimabilem theſaurum & exquiſita bellaria erudito orbi propinare ſuſtinent, ut ita per alienos labores hac via, ſed lubrica admodum & periculoſa, ipſi ſcilicet hi Literarum Lucumones, cum de proprio peculio non ſatis divites ſint, ad Famae auſpicia graſſentur: in quem certe cenſum venit Editor iſte nuperus Scriverianarum Reliquiarum, e quibus Anecdotis Philologicis ſi doctrinam & merita Scriverii conligere & aeſtimare deberemus, profecto locum illum, quem in ordine Eruditorum praecedentis ſeculi jure ac merito ſuo Vir ille obtinet, vix amplius tueri poſſe fatendum eſſet, id quod plurimis, ſi haec hujus loci eſſent, exemplis probari facillimum eſſet. Longe igitur melius ac prudentius famae & memoriae defunctorum hominum illos conſulere exiſtimandum eſt, qui non niſi elaborata doctrinae monumenta, aut talia ſcripta, quae ultima ipſius Auctoris manu limata & perpolita facile adgnoſcas, vel denique ejuſmodi obſervationes, emendationes ac conjecturas poſt obitum illorum in apertam lucem protrahunt, & cum publico communicant,

quas

Digitized by Google

quas promeritis eorum laudibus convenire, & exiſtimationi, quam viventes adepti ſunt, reſpondere poſſe periti harum rerum judices cenſent. Recte etiam atque ordine illos agere putandum eſt, qui non inconſulto quodam impetu ſtatim, ubi benignioris fortunae caſus quaedam anecdota iis obtulerit, ea plus juſto jactare & glorioſis titulis, hederae inſtar, adpoſitis venditare ſolent, ſed potius aliquamdiu inter ſcrinia premere, bene in ordinem diſponere, vitioſe deſcripta emendare, & diligenter cum editis illorum ſcriptis & aliorum cogitatis conferre, tum loca veterum auctorum non indicata aut perperam adducta adcuratius notare, & in commentatorum recentiorum obſervationes inquirere, prudentis & laude digni Editoris officium eſſe arbitrantur, ſi ſuae ſimul & illius, cujus lucubrationes eruit, famae ac gloriae velificari, & de poſteritate ita ut par eſt mereri adnitatur. Hanc autem viam, quam in publicandis his Valeſianis reliquiis inſiſtere pro virili conatus ſum, ſi me tenuiſſe, et ſcopum hunc adſecutum fuiſſe aequi & idonei Literarum noſtrarum arbitri judicaverint, erit quod labori ac curae iis inpenſae mihi gratuler; de cujus ratione & inſtituto nonnulla alia tibi, benevole Lector, praemittenda erunt, antequam ad opus ipſum te adcingas.

Elapſi abhinc ſunt conplures anni, ex quo egregii hi Viri ſummi & ob exquiſitae eruditionis rectique judicii laudem inter prima gentis ſuae ornamenta jure cenſendi, Henrici Valeſii Emendationum Libri cum ceteris iiliis, quae eximium hunc Literarium theſaurum comitantur, & noſtra qualicumque opera in lucem nunc emergunt, ex Gallia, ubi nimis jam diu neglecti ac tenebris fere damnati jacuerant, in noſtras oras delati, & dum e patria terra quaſi extorres ſolatium exilio ſuo quaerunt, tandem feliciter pervenerint in manus Viri de Literis ac Muſis noſtris, vel ipſa fatente aut ringente Invidia, inter primos bene promeriti, Petri Burmanni, Patrui mei quovis ſinceri obſequii cultu aeternum mihi venerandi, ſed

quem Patrem potius jure ac merito ſuo adpellarem; ita enim a me exigit pietas proſequi illum, cujus manibus & ſedula educationis cura poſt luctuoſiſſimam & nimis inmaturam optimi Parentis mortem, a teneris formari, & dulcibus ante omnia Muſis initiari mihi contigit, cujus propenſo favori uti me omnia debere gratiſſimus adgnoſco, ita innumera, quae luculenter in me contulit & in dies confert, beneficia, tacita potius veneratione aeſtimare, quam operoſo nimis ſermone praedicare malo, praeſertim cum id ipſe non libenter legeret. Hos igitur Valeſii Emendationum Libros cum adjuncta Diſſertatione de Critica, ipſe quidem erudito orbi inpertire in animo habuerat, ac proinde eos recenſere, & ad editionem parare inceperat cujus rei ſpem fecerat ad Syllogen Epiſtolar. Tom. IV. pag. 434. & Tom. V. pag. 695. *quam fidem publice datam quo minus impleverit, neminem paullo humaniorem ac cordatiorem inertiae aut oblivioni adſcripturum eſſe opinor, ſi ſummam inire velit illorum operum, quae ipſe interea temporis elaboraverit, & cogitet numerum Auctorum veterum, qui manu ejus caſtigati & illius aliorumque Eruditorum Adnotationibus inluſtrati prodierint, tum quibus hoc ipſo tempore adornandis occupatus laborioſam ſenectutem exerceat. His autem aliiſque proprii ingenii foetibus producendis quotidie incumbens Valeſiana haec κειμήλια ad majus otium ſeponere, ac propoſitum de iis in lucem revocandis conſilium differre dum inſtituit, facile ego ab illa, qua me Muſaſque meas proſequi ſolet, benevolentia inpetravi, ut edendorum illorum curam mihi committere, & ita qualeſcumque meos de literis bene merendi conatus beneficio iſthoc adjuvare non dedignaretur. Suſceptum opus alacri equidem animo adgreſſum me fuiſſe fateor, ſed ſimul etiam plus moleſtiae, laboris, ac taedii in eo recenſendo & ab interitu vindicando devorandum fuiſſe in receſſu magis expertus ſum, quam prima fronte mihi ſperaveram: Exemplar enim ipſum, quod ab amanuenſi quodam aut anagnoſta, cujus auxilio ſtudiis ſuis ſuccurrere oculorum uſu orbatus Valeſius, & cogitationes ſuas chartis*

man-

mandare conſueverat, forte deſcriptum fuiſſe opinor, plurimis in modis vitioſum & maculis haud paucis obſitum erat, praeſertim in locis antiquorum ſcriptorum tam Graecis quam Latinis, quos ſubinde ad partes vocat. Ea igitur omnia diligenter caſtigare, auctores veteres, quorum verba in medium proferebantur, perluſtrare, & ut Lectorum commodis melius conſulerem, ipſos locos additis libris ac paginis plerumque adnotare minime mihi negligendum eſſe duxi, licet is labor plus taedii quam laudis adferre ſoleat, & haec opera, quae alienis ſcriptis inpenditur, nonnullis, qui proprio alarum remigio confiſi altius evolare audent, ingloria atque ignobilis diligentia videatur. In notis autem ſubjectis emendationes Valeſii confirmare, aut etiam, rarius quamvis, refutare inſtitui, vel ſicubi cum aliorum conjecturis & obſervationibus conſpirare videbam, ut non raro fieri ſolet illis, qui perennes doctrinae rivos ex ipſis fontibus, qui ſemper iidem ſunt, derivare amant, id adcurate indicare, & ita gloriam cuique inlibatam reddere, & alterius auctoritate ſtabilire adniſus ſum, ſed breviter tantum, neque ambitioſe exſpatiando, ut inſtituti ratio exigebat. Denique etiam capitum ſummaria, & Indices, ut potui, exactiſſimos toto operi adcommodatos, qui rerum ac verborum, tum Auctorum veterum & recentiorum, qui emendantur, explicantur, aut refutantur, ſeriem & notitiam ſubpeditabunt, adjiciendos curavi: in quibus omnibus maturius producendis quod non promtius exſpectationi ac deſiderio eorum, qui me jam a tribus abhinc annis inſudare his noverant, ſatisfecerim, per me non ſtetit; diu enim jam ante unum aut alterum annum ea cum publico communicare optaveram, ſi per inportunas inertiſſimi & Tardipedum lentiſſimi Typographi moras ex clauſtris illius emergere, & operarum repagula effringere Valeſio citius licuiſſet.

De ipſius autem Valeſii vita, fatis, et ſcriptis egregiis, quibus inmortalem nominis ſui gloriam ad ſeros nepotes et verae eruditionis cultores pro-

propagavit, ne operoſe hic diſſeram, otium mihi fecit frater Ejus Hadrianus, cujus libellum de vita fratris ſui Henrici praefigendum his opuſculis ratus ſum, licet in Tom. II. Scriptorum Eccleſiaſticorum Valeſii pag. 615. & ſeqq. *jam conſpiciatur, quia ab Auctore recognitus & emendatius perpolitus reliquis ſchedis addebatur; quam fraternae vitae deſcriptionem viſum fuit Hadriano concinnare ſtylo liberrimo, quum vitia fratris aeque ac virtutes depingat, & apertam in lucem Lectoribus ante oculos ponat, adeo ut veri ac ſinceri Hiſtorici partibus hac in re defunctus eſſe dicendus ſit:* vid. N. Heinſii Epiſt. ad Carpzov. Tom. V. Sylloges pag. 330. *Mirum tamen videri poſſit nullam harum Emendationum mentionem ab illo fieri, ubi ſeriem ſcriptorum Henrici tam editorum quam ineditorum enumerat; ſed quum ea tantum recenſeat, quae in manus ejus pervenerint, nullam horum Librorum notitiam ad eum perveniſſe arbitror, praeſertim cum plura alia in ſcriniis fraternis adfecta vel etiam abſoluta jacuiſſe queratur, quae excutere ipſi & evolvere non licuerit. Neque etiam in aliis ſcriptis ſuis, quae vivus publicavit, earum ſpem Literatis feciſſe ipſum Valeſium, mihi compertum eſt, niſi obſcuro indicio in nota ad* Euſeb. Lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 6. *ubi promittit* ſe alibi oſtenſurum eſſe *duo Menandri & Alexandri Rhetoris opuſcula perperam in Editione Aldina in unum fuiſſe conflata, quod pluribus evincit* Lib. I. Emend. cap. 24. *Eoſdem hos Emendationum Libros innuit* Jacobus Gronovius initio notarum ad Stephan. Byzant. de Urbib. in voce Ἀβδυτις pag. 1. *ubi teſtatur ſibi fere puero Valeſium Pariſiis oſtendiſſe has Obſervationes ſuas ad editionem paene paratas, interque eas integrum caput, in quo* Aegimii *nomen variis in locis corruptum emendabat; quod jam in his Emendationibus legitur* Lib. I. cap. 32. *Hunc autem eximium vigiliarum ſuarum foetum editioni jam maturum cur ipſe non promulgaverit parens ejus Valeſius, dum adhuc inter vivos ſuperſtes ageret, rationem certe nullam reddere poſſumus, niſi*

mor-

Digitized by Google

morte, quam ſeptuagenario major an. 1676. *ſubiit, inpeditum fuiſſe, quo minus praeclaro inſtituto ſuffecerit ipſe, illamque non diu poſt abſolutum hoc opus ei contigiſſe ſtatuendum ſit. Cum vero neque ab haeredibus, aut illis, quibus ſcriptorum ſuorum curam commiſerat, praeſtitum hactenus fuerit hoc officium, gratulandum profecto noſtrae felicitati eſt, qua licuit nobis a Manibus Auctoris, & ſimul ſinceris meliorum Literarum cultoribus hanc non exiguam, ut ſperamus, gratiam inire, quod praeclara haec & vulgaris genii captum longe ſupergreſſa eruditionis Valeſianae* λείψανα *oblivioſo tenebrarum ſitu interire, & ita fructu, quem ex iis capere poſſunt pulcherrimum, Literatos orbari haud paſſi fuerimus.*

Optandum tamen ſimul eſſet, ut quemadmodum his Emendationum Libris integris & ad finem perductis ex interitu eripi contigit, ita etiam Diſſertatio de Critica, cui duos libros deſtinaverat Valeſius, perfecta & abſoluta ad nos perveniſſet; ſed quum ipſi ante fata ſua ſupremam manum non inpoſuerit auctor, ut in vita ejus teſtatur frater Hadrianus, dimidia ſaltem illius parte, quae lacerae tabulae inſtar e naufragio ſalva enatavit, contentos nos eſſe oportet, & ſimul laetari, quod non tota interierit. Hanc autem Valeſii Diſſertationem de Critica inter alia Viri praeſtantiſſimi inedita opera recenſet etiam Graevius in Epiſt. ad Heins. Tom. IV. Syllog. pag. 434. *ubi mortem illius, & jacturam quam ex ea ceperunt Literae humaniores, juſto luctu proſequitur: ibidem in notula ſubjecta Venerandus Patruus meus, & ad Tom. V. pag.* 695. *diſſertationem hanc ſua opera lucem brevi viſuram eſſe promiſerat: quod cum inplere non potuerit, ut ſupra monuimus, nos Virorum Doctorum exſpectationi nunc ſatisfacimus; praeſertim prolixo deſiderio, quo datam Patrui fidem nuper efflagitavit Vir Doctus & induſtrius Frid. Gul. Roloffius in eleganti praefatione, quam praefixit H. Stephani libello de Abuſu Ling. Graecae, non ita pridem Lipſiae cura ejus recuſo. Sed & hujus Valeſianae*

Diſ-

Digitized by Google

P R A E F A T I O.

Diſsertationis meminit N. Heinſius in epiſt. ad Reines. Tom. V. pag. 192. *ubi in carmine illo Aſterii, quod in Codice Virgilii Mediceo legitur,* paneces *ſcribendum, & ferarum in arena congreſſum intelligendum eſse docet, idque fuſius perſecuturum fuiſſe Valeſium in ſuo de Arte Critica commentario teſtatur; quae tamen in illis reliquiis, quas ſuperſtites edimus, hodie non conparent. Hunc libellum ſuum in animo habuerat Valeſius Chriſtinae Suecorum Reginae dedicare, ſed quum per malevolorum calumnias aditus ipſi in aulam iſtam eſset interclusus, conſilium illud rejecit, ut queritur ipſe in* Epiſt. ad Heins. Tom. V. pag. 694. & 695. *ubi refert eosdem adverſus ſe conſpiraſſe invidos, per quos Iſ. Voſſius gratia & favore Reginae exciderat: inter quos praecipuus ſine dubio fuit Bourdelotius, Gallus natione Burgundus, qui mirificam in aula Chriſtinae ſcenam tunc temporis egit, & quum eam nugis levibus, dicteriis nonnullis acutis, aliisque hiſtrionicis artibus, quas inpudentia & popularis dicacitas, individuae ignorantiae ſociae, comitabantur, mirum in modum infatuatam faſcinarat, plurimos viros egregios & ſolide doctos ex aula ejus deturbavit, interque eos Valeſium noſtrum, quem ut paedagogum traducere, & qui nihil aliud legerat aut ſciret praeter Ammianum Marcellinum, & varias Lectiones Caſſiodori (ex quo inſcitia ejus patebat) ſe vero noſſe vivere, & ſerere jocos, qui Chriſtinae placerent, coram ipſa Regina jactare et effutire auſus fuerat.* Vide Iſ. Voſſii Epiſt. ad Heins. Tom. III. Sylloges pag. 649. *in cujus ſane hominis malignitate imaginem ſuam ultro adgnoſcere debent nonnulla ejusdem nationis vilia ac foeda aularum mancipia adulatoria, qui quum ex Mileſiis quibusdam fabulis ac ſimilibus vernaculis chartis Voluſianis faceti et ingenioſi facti, ſed omnium ſcientiarum et elegantiorum literarum rudes, nec niſi levitate, arrogantia, ac garrulitate conſpicui ſint, meritis tamen Virorum Doctiſſimorum, quos fatuo pedantum convicio proſcindunt, petulanter detrahere, et egregia eorum ſcripta, quorum*

rum ne titulos quidem per tranſennam umquam inſpexerunt, traducere ſuſtinent, ſed interim peritioribus genuinam ſe novae Arcadiae progeniem eſſe produnt.

Ad ipſum porro Valeſii noſtri tractatum de Critica quod adtinet, multa in eo erudita nec proletaria offendent harum deliciarum cupidi, ſed dolebunt mecum potiorem ejus partem deſiderari, quum in priore libro de Criticis veteribus, & qui proprie eo nomine ab antiquis adpellabantur, diſſeruerit; ipſas autem Criticae partes ſecundo libro, cujus priora quatuor capita tantum ſuperſunt, prolixe pertractaturus, & quomodo in veterum Auctorum interpretatione, explicatione, vel emendatione vero ac legitimo Critico agendum ſit, expoſiturus eſſet: quae ſi abſolvere & ad poſteritatem tranſmittere ipſi licuiſſet, procul omni dubio aliorum labores, qui in eodem argumento cum laude verſati fuerunt, facile aequaſſet, ſi non potius palmam iis feciſſet dubiam. Praeter enim Wouwerium in Polymathia, Mauſſacum in eruditiſſima illa Diſſertatione Critica ad Harpocrationem, & Scioppium peculiari de Arte Critica tractatu, qui inter alia Ejus opuſcula legitur, egregia etiam Diſſertatione de ortu, progreſſu, & uſu Critices in ſacris aliisque diſciplinis ex profeſſo egit Vir inter principes illos Literarum ac Muſarum Statores nominandus Daniel Heinſius in Prolegomenis ante Ariſtarchum ſacrum. Docta etiam ſed brevis eſt Diſſertatio Franciſci Robortelli de Arte ſive ratione corrigendi antiquorum libros, quae legitur in Gruteri Lampade Critica Tom. II. de qua vide Casauboniana pag. 38. & ad ea Wolfii notas pag. 248. *quam materiam circa Graecos praeſertim Auctores egregie exſecutus eſt Gulielmus Canterus in Syntagmate de Ratione emendandi auctores Graecos, quod editum eſt poſt Novas illius Lectiones. Ejusdem etiam argumenti tractatum circa Latinos auctores promiſerat & paraverat Paulus Merula, Academiae Leidenſis non exiguum quondam ornamentum, & laborioſo Coſmographiae opere, doctis in Ennium Com-*

 men-

mentariis aliisque ſcriptis celebratiſſimus, qui in animo habuerat edere libellum de Latinos Auctores emendandi ratione, *ut teſtatur ipſe in praefatione ad Ennium; quem ingenii ſui foetum ut Muſarum alumnis donare vellet, hortatur eum* Meurſius in Dedic. Animadv. ad Plauti Perſam Part. I. Exercit. Critc. pag. 212. *Sed & ante illum idem quoque cogitaverat Henr. Stephanus, quem de ratione emendandi libros veteres aliquid promiſiſſe patet ex* Camerarii ad eum Epiſtola inter Philologicas Goldaſti pag. 257. *Ea an inſeruerit Diſſertationi ſuae de Criticis veteribus, quam Paris. an. 1587, in 4°. edidit, definire nequeo; quae cum hodie paucis nota & vix obvia ſit, mereretur ſane, ut cum aliis Ejusdem Opuſculis rarioribus, quorum in Germania iteratae editiones nuperrime procuratae ſunt, typis denuo deſcriberetur. Eam tamen magis doctam quam elegantem eſſe legendo quisque experietur, & veriſſimum puto de ſcriptis H. Stephani, atque adeo hac ipſa Diſſertatione, judicium Franc. Vavaſſoris in Libro de Epigrammate cap. XII. ubi ita de Stephani dotibus in ſcribendo diſſerit:* Facilis quidem & ſolutus in ſcribendo, ſed parum caſtigatus: quod ad minuta & frivola laberetur ſaepe & adhaereſceret; nimium praecipiens, nimium emendans; omnia loqueretur de omnibus, adſidue de ſe, cum Scriptorem praeterire multa & reticere & diſſimulare oporteat, de rebus vero ſuis verbum facere nullum, niſi neceſſario, ſit pars aliqua non tantum modeſtiae ſed & prudentiae. *Quod autem in Catalogo operum Scaligeri, quem recenſet* Teſſierius in Elogiis Gallicis Viror. Erud. Tom. I. pag. 149. *etiam memoretur* Scaligeri Diatribe de Arte Critica, *ſciendum eſt, ne id forte alicui inponat, conſtare totam illam Diatriben tribus tantum pagulis, editamque eſſe inter varia aliorum Virorum Doctorum opuſcula inedita, quae ex Bibliotheca Joachimi Morſii prodierunt Lugd. Bat. 1618. in 4° ſed non Diatribe peculiaris eſt, verum Epiſtola tantum ſcripta ad Scriverium, quae inter Scaligeri Epiſtolas legitur* Lib. IV. num. 451. pag. 824. & ſeqq. *quae conferenda eſt cum*

Ejus

P R A E F A T I O.

Ejus Epiſtola ad Franc. Vertunianum Lib. I. Epiſt. 20. *in qua de variis Critices partibus, & Criticis antiquis docte diſſerit. Sed & in omnium manibus verſantur, quae ſuper eadem hac arte commentati fuerunt hoc noſtro ſeculo Clericus, Heumannus, Walchius, aliique: Hieronymum quoque Welſchium Artem Criticam meditatum fuiſſe tradit* Morhofius Lib. I. Polyhiſt. cap. 7. *Denique etiam noviſſime Gudlingianae ſectae panſophus* Gotlieb Stollius in Introduct. ad Hiſtor. Liter. cap. III. *de Arte Critica quaedam compilavit hinc & inde exiguo cum judicio corraſa, ut pleraque ſunt in iſto libro charta magis quam doctrina onuſto, adeo ut de eo veriſſimum ſit Graecorum dictum* βιβλίον μέγα, κακὸν μέγα. *Quod probare in proclivi eſſet, ſi id nunc ageremus.*

Horum tamen omnium diligentiam atque eruditionem longo poſt ſe intervallo reliquiſſet, ſi opus inceptum exſequi permiſiſſent fata, Vir ille ſummus & inmortalium in Literas noſtras meritorum Iſacus Caſaubonus, qui prolixum olim de Critica & Critico recte informando Commentarium adgreſſus fuerat, & ſaepe in ſcriptis ſuis illius edendi ſpem fecerat. Eum vide in Animadv. ad Athenaeum Lib. I. cap. 2. in Diatrib. Notar. ad Dion. Chryſoſt. cap. XXII. pag. 38. & in Epiſt. ad P. Scriver. praefixa Scaligeri Poëm. Graec in fine. *Illud ipſum opus ut ante omnia alia, quae in ſcriniis adfecta & parata habebat, quamprimum edere vellet, valde eum hortatur* Scaliger in Epiſt. LXXIII. in fine. *Utinam Scaligeri deſiderio obſequi, & plurimorum iſtius temporis Doctorum hortatu commoveri ſe ad promiſſa haec ſolvenda paſſus fuiſſet Caſaubonus! profecto nonnullis minorum gentium & inferioris ſubſellii magiſtrorum ſcriptis abortivis aequo animo carere poſſemus, neque tantum detrimentum Literae elegantiores feciſſent, quarum cum ingenti jactura opus illud nunc periiſſe, omnibus, qui verum pretium magni viri meritis ac doctrinae ponere noverunt, ex animo dolendum eſt. Sed liceat mihi hoc in voto uti verbis Phil. Jac. Maus-*

ſaci in Diſſert. Critic. ad Harpocrat. pag. 376. b. Saepius in ſcriptis ſuis peculiarem de Critica Diſſertationem nobis polliceri legi Literatorum, qui ad hoc aevi floruerunt, in hoc genere Literarum principem virum Iſacum Caſaubonum, cum penes ſe habere de Critica & Critico legitime informando librum profitetur. Utinam τȣ́τȣ κειμηλίȣ nos jam diu feciſſet participes; non ita graſſaretur nec diffuſa eſſet magiſtellulorum quorumdam ſupinitas, immo nec pari audacia veterum monumenta tractarent indocti, nec ſibi de ingenio & ſcientia, quam numquam legitime deguſtarunt, praeſumerent; non naſcerentur quotidie tot abortivi chartarum conſcribillatores, qui quolibet in genere ſcientiarum, in jure, in humanioribus literis, in Critica, quae numquam forte legerunt, trihorio, primo ſtatim oculorum conjectu, ventilant non ſolum ea ſe adſecutos, ſed impudenter ſe profitentur eorum auctores, licet ab aliis docti fuerint. *In quibus ultimis verbis neſcio an non oblique tangat Wouwerium, de quo plurimi adfirmaverunt, eum, quidquid in Polymathia ſua hac de re edidit, a Caſaubono habuiſſe, dum una cum eo agebat Monſpelii, aut ſcriniis ejus domeſtico quaſi furto omnia ſublegiſſe, ac pro ſuis venditaſſe. Certe apertius id ipſi objicit idem* Mauſſacus in notis ad Plutarch. de Flumin. pag. 149. & Scaliger in Scaligeranis pag. 363. *licet ab hoc plagii crimine & calumnia acriter ſe defendat ipſe* Wouwerius inter Epiſtolas Baudii Cent. II. Epiſt. 7. *Verum ut ea de re certius ac verius judicare poſſemus, optandum eſſet, ut in dias luminis oras prodiiſſet ipſe Caſauboni Commentarius, aut forte quae ex illo in Angliae Bibliothecis latent, eruerentur, quamvis ea ab Auctore non elaborata, ſed tumultuariam tantum congeriem ac materiam in chartis conlectam, unde aedificium ipſum deinceps exſtrueret, fuiſſe arbitrer. Sane* Mericus Caſaubonus Iſaci filius in Pietate adverſus paterni nominis hoſtes pag. 161. *inter alia inedita & anecdota patris ſcripta, quorum illic ſeriem exhibet, memorat quidem librum adcuratiſſimum de Criti-*

ca,

ca, & in eo Hebraeorum quoque Criticam fuſe ab eo explicatam dicit; ſed nihil tamen addit, an ultima manus ab auctore huic libro fuerit impoſita, aut quid ex eo ſuperſit ac penes ſe exſtet, ut ceteris plerisque ſubjungit. Celeberrimus etiam Wolfius in notis ad Caſauboniana, quae ex magni Viri Adverſariis in Bodlejana Bibliotheca reconditis cum ingenti orbis literati bono edidit, pag. 249. *teſtatur ſe inter Caſauboni ſcripta in Bibliothecae illius latebris adſervata vidiſſe diſignationem & ſumma capita hujus operis, ex quibus conjectura fieri poterat, eum plurimorum ac inprimis Graecorum ſcriptorum emendationem in hoc Commentario ſuſcipere voluiſſe: Unde patet ab auctore ipſo non abſolutum aut ad finem perductum eſſe hoc ſcriptum, ſed potius delineationem tantum ac conlectanea iſti elaborando deſtinata reliquias illas conplecti; cumque proinde illius in lucem protrahendi ſpes omnis penitus nunc decollaverit, hanc Valeſii Diſſertationem ineditam hactenus & diu deſideratam, licet altera ſui parte mutilam, aliquo ſaltem modo Caſauboniani Commentarii deſiderium apud doctos & benevolos literarum judices, ac ſinceros Divae Critices ſacrorum cultores ſubplere & conpenſare ut poſſit, non vano, ut confidimus, augurio ominamur.*

Poſt Diſſertationem de Critica ſequuntur Valeſii noſtri, ut & Nicolai Rigaltii atque Iſmaelis Bullialdi Diſſertationes eruditiſſimae de populis fundis, ſive de ſtatu ac conditione populorum, qui fundi facti eſſe dicebantur Lege Julia de civitate Romana: quam intricatiſſimam in Romana Antiquitate materiam, & eo magis obſcuram, quia non niſi uno Ciceronis ac Gellii teſtimonio inluſtrari & explicari poteſt, quum perperam expoſuiſſent Manutius, Sigonius, atque Hotomannus, ac de eadem inter ſe Rigaltius & Bullialdus diſſeruiſſent, ſed diverſam ſecuti opinionem, Valeſius, quo nemo peritior judex & arbiter ad amicam hanc literariam litem dirimendam inter utrumque ſedere poterat, binis Epiſtolis Ludovico Nu-

 blaeo

blaeo inſcriptis egregie docuit, primusque poſt tam varias virorum illorum ſententias obſervavit, fundum, *ſi de populis dicatur, non ſignificare ſtatum quemdam ac conditionem populorum, (ut ſi populus liber aut foederatus ac ſocius apud Romanos adpellatur, ſtatus & certa conditio illius indicari ſolet;) quemadmodum interpretati fuerunt Rigaltius & Bullialdus: Itaque apud Ciceronem populum non dici* fundum eſſe, *ſed* fundum, *id eſt auctorem,* fieri, *idque ea ſignificatione, qua fundus alicujus rei eſſe quis dicitur, qui rei alicujus auctor ſubſcriptorque eſt, ac proinde fundos fieri populos legi cuipiam populi Romani, quam adſciſcunt, non vero peculiarem fuiſſe populorum fundorum conditionem, ſed revera liberos ac ſui juris, ſocios & foederatos, quibus populus Romanus permittebat, ut legem aliquam, quam vellent, adſciſcerent, veriſſime ac certiſſime adſerit. Hanc Valeſii expoſitionem merito Vir ſummus nec minore judicii ac rarae eruditionis copia ad haec diſcutienda inſtructus* Joh. Georg. Graevius, *calculo ſuo probavit ad* Ciceronis Orat. pro Balbo cap. VIII. pag. 534. & ſeqq. *qui in explicatione illorum, quae Cicero ibidem adfert, cujus loco tamquam unicô fundamento tota haec quaeſtio initititur, in plerisque Valeſii opinioni adſtipulatur. Quamvis autem idem Vir magnus ſplendido ſuo Antiquitatum Romanarum Theſauro* Tom. II. pag. 1932. & ſeqq. *has Diſſertationes jam inſeruerit, non abs re tamen fore exiſtimavimus, ſi inter haec iisdem denuo recuſis locum etiam daremus, praeſertim cum eas reliquis Valeſiani exemplaris, quod mihi ad manum fuit, ſchedis additas, & plurimis in locis caſtigatiores offenderim, quemadmodum mihi cum Graeviano Theſauro illas conferenti, & ad illius editionem ſpecimina Typographica exigenti patuit.*

Utinam vero hac eadem oportunitate Reipublicae literariae ſimul donare, ut optaveramus, nobis licuiſſet ineditam & numquam viſam, quae invidioſis privati carceris clauſtris adhuc premitur, Viri maximi neque prioribus iſtis Heroibus exactiſſimae in hac ſtudiorum parte doctrinae laude

infe-

Digitized by Google

inferioris, Johannis Frederici Gronovii Diſſertationem de populis Fundis, quam filius ejus Jacobus ad calcem Gelli ſui ſe ſubjuncturum promiſerat in notis ad Lib. XVI. Noct. Attic. cap. 13. *ubi tamen oblique Graevium tangere videtur, quaſi ille in notis ſuis ad Ciceronem ex hac Patris ſui Diſputatione, quam publice eum praelegentem audiviſſe Graevium dicit, profeciſſet: Non eſt ſane cur dubitemus, quin ſi id feciſſet Graevius, quo erat candore, aliquo ſaltem indicio ac honorifica Praeceptoris ſui aeſtimatiſſimi, non minus quam Valeſii cujus veſtigia plerumque premit, facta mentione laudem hac in re ipſi reliquiſſet inlibatam: ſed quoniam cum non exiguo rei literariae detrimento conſilium illud ſuum deinde abjecerit Gronovii Filius, eamque, ut in fine praefationis Gellio praefixae monet, propter nimiam editionis molem deinde addere omiſerit, nobis de eo, ita ut par eſt, judicare integrum non eſt. Profecto ſi ad reliqua paterni nominis merita hunc etiam cumulum addere, eamque diſſertationem liberaliter adnectere eruditiſſimo Gellii editori libuiſſet, majorem ſine dubio a Viris doctis gratiam iniiſſet, neque ſub mole hac magis onerari vel ipſe ſubterfugiſſet Gellius, aut literatus orbis ſub pondere hujus, ut ominari licet, elegantiſſimae diſſertationis gemeret: nunc vero illius tantum ſalivam movit ac deſiderium nobis reliquit. Non tamen omnino deſperandum eſt, ſed ut forte aliquando ſe hoc theſauro ditatam viſura ſit poſteritas, augurari datur: Quum enim de hoc noſtro inſtituto per literas, quas potui, officioſiſſimas certiorem feciſſem Virum Eruditiſſimum & ſtudiorum ac ſanguinis adfinitate mihi conjunctum Abrahamum Gronovium, eumque oraſſem, ut mihi edendae ac reliquis his obſervationibus inſerendae iſtius Avi ſui Diſſertationis facultatem concederet, ac proinde inſigni hoc beneficio non tantum mihi ſed & publicis literarum commodis data hac occaſione gratificari vellet, libentiſſime ſe eam mecum communicaturum, niſi eamdem cum aliis nonnullis egregii Avi ſui ineditis opuſculis publicare conſtituiſſet, in ceteris vero ſi opera ſua*

cona-

Digitized by Google

conatibus noſtris non inutilis eſſe poſſet, ut jubere ſibi ad haec officia promtiſſimo non deſiſterem, reſcripſit locupletiſſimus ac digniſſimus avitorum ſcriptorum haeres, quibus promiſſis & ſimul deſiderio noſtro ut quamprimum ſatisfacere non dedignetur, per generoſam ejus liberalitatem, atque obviam illam & prolixam, qua literas ac literatos proſequi ſolet, humanitatem publico Muſarum nomine precamur.

Denique his ſubjecimus Orationes Henrici Valeſii junctim editas, quae licet alibi ſparſim errantes jam typis antea quidem deſcriptae fuerint, commode tamen hic ſuum etiam locum habere poſſe viſae ſunt, in quibus exhibendis ordinem temporis, quo ſcriptae & habitae ſunt, obſervavimus. Prima vero de Chriſtinae Suecorum Reginae Coronatione, quae anno 1650. celebrata eſt, ita ab auctore compoſita eſt, ac ſi Legati titulo ornatus in ipſa Suecia praeſente Regina eam recitaſſet, licet numquam e Gallia Holmiam ſe contulerit; nam quum in aulam Chriſtinae ſimul cum Sam. Bocharto eſſet invitatus, paullo poſt ex eadem per invidorum obtrectationes excluſus, & domi manere juſſus eſt, neque aureum torquem, pretioſam orationis mercedem, a Regina, promiſſis magnificis admodum liberali, umquam accepit, ſed eadem cum N. Heinſio & Iſ. Voſſio fortunae malignitate in corruptiſſima illa Suecica aula ingratum in modum eluſus eſt. vide vitam H. Valeſii pag. 10. *Conferendus autem eſt cum hac Valeſii Oratione Panegyricus Octavii Ferrarii, eruditiſſimi quondam in Lyceo Patavino humaniorum literarum Profeſſoris, qui eodem anno ſub titulo* Palladis Suecicae *diſertiſſimam & multo verborum nitore atque elegantia ornatiſſimam Orationem Chriſtinae imperium Suecicum auſpicanti dedicavit, quae nunc legitur inter* Ferrarii Proluſiones pag. 346. & ſeqq. in variis Ejus operibus Patavii an. 1668. editis. *ſed qui tamen caput unctius, neque manum aere vacuam inde retulit; ſplendido enim catenae aureae munere, & nummo, quem eumdem illum fuiſſe puto, qui poſt Valeſii Orationem in hac editione conſpicitur, a Chri-*

ſtina

ſtina donatus fuit. Vide Iſ. Voſſii Epiſt. ad N. Heins. Tom. III. Syllog. pag. 601. & Heins. Epiſt. ad Chriſtinam Tom. V. pag. 735. & 742.

Hanc porro comitantur funebres in obitum doctiſſimorum, quis jure ſuperbit Gallia, Virorum, Jacobi Sirmundi, Petri Puteani & Dionyſii Petavii habitae, quos ſingulos amiciſſimos ſibi homines tribus annis continuis amiſit Valeſius; tum eximia gratulatoria ſeu potius panegyrica Oratio de Pace poſt diuturnum & graviſſimum XXIV annorum bellum Hiſpanos inter & Gallos geſtum per celebratiſſimum illum Cardinalem Julium Mazarinum ſtabilita, quae omnes verborum elegantia, dictionis nitore, ſententiarum pondere & argumentorum gravitate ſe ex merito commendantes non niſi uberrimum fructum partim ad hiſtoriae literariae cognitionem, & fata virorum, quorum memoriae egregiis his parentalibus ſupremum amicitiae officium exhibuit Valeſius, partim etiam ad hiſtoriam belli iſtius & Cardinalis Mazarini laudes ac merita inluſtranda legentibus adferre poſſunt. Quamvis autem funebres illae in vitis Selectorum Virorum a Bateſio Londini an. 1681. *editis jam conſpiciantur, tum oratio in obitu Sirmundi in limine noviſſimae Venetianae Operum Sirmundi editionis habeatur, itemque altera in mortem Petavii Epiphanio ejus praefixa legatur, recte tamen atque ordine me feciſſe arbitror, quod omnes ſimul conjungere & uni faſciculo includere maluerim, praeſertim quum non omnium manibus terantur iſti libri, & Panegyricae illae de Coronatione Chriſtinae & Pace a Mazarino confirmata Orationes alibi editae, quantum certe mihi conſtat, non habeantur. Mirari tamen ſubit, cur Niceronius, Monachus Barnabita, fato nuper functus, cujus labor vitis doctorum hominum inluſtrandis inpenſus, praeſertim propter catalogos operum ab illis conſcriptorum ſatis exactos, laude ſua minime ceteroquin fraudandus eſt, poſtquam in* Memoir. pour ſervir a l'Hiſtoir. des Homm. Illuſtr. Tom. V. pag. 242. *ſcriptorum Valeſii, & inter ea harum quoque Orationum cenſum egiſſet, deinceps tamen in* Tom. X. part. I. pag. 157. *tamquam erratum a ſe con-*

miſſum emendans Orationem in obitu Petri Puteani non Henrico ſed fratri ejus Hadriano Valeſio adſcribendam eſſe, eamque in Conlectione Bateſii non legi, ſed iſtic inveniri tantum vitam Puteani a Rigaltio concinnatam monuerit. Sane in ſchedis iſtis MSStis, unde edidimus, Henrico adtributam invenimus, & in Bateſii Vitis poſt illa, quae Rigaltius de Puteani vita literis mandavit, ſub ejusdem nomine conſpicitur pag. 670. & ſeqq. ut unicuique librum evolventi patebit. Praeterea his inſuper adjiciendam curavimus Hadriani Valeſii Orationem de Laudibus Ludovici XIV. a quo poſtquam an. 1660. una cum fratre Henrico in Hiſtoriographorum numerum, adtributis cuique annuis mille ducentis libris, relatus eſſet, & deinde an. 1663. inter plurimos alios Eruditos adnitente Colberto aerarii Regii praefecto profuſam Regis Chriſtianiſſimi liberalitatem, praemio mille ducentarum librarum annuarum accepto, denuo eſſet expertus, anno ſequente in grati animi teſtimonium elegantiſſima hac Oratione celebravit inſolitam illam munificentiam Regiam, qua Principum optimus ac generoſiſſimus tam popularibus ſuis quam externis per totam Europam Viris doctis aureum condens ſeculum, literas & literatos raro admodum & Regibus ac Principibus numquam ſatis commendando exemplo proſecutus eſt.

Agmen tandem claudunt Ejusdem Hadriani Valeſii carmina nonnulla inedita, quae in ceteris illius Poëmatibus poſt Valeſiana an. 1694. excuſis deſiderantur, ſtylo laſciviori & ingenio liberiori atque amoeno conſcripta, ac proinde tetricis & conpoſiti ad ſeveritatem ſupercilii Catonibus non legenda. Ea debemus beneficio Viri Egregii, cui & hoc nomine & quamplurimis aliis meritis obſtrictiſſimum me profiteor, Jacobi Philippi D'Orville, elegantiorum Literarum in Amſtelaedamenſium Athenaeo Profeſſoris Celeberrimi. Praefixa illis legitur Epiſtola Gallica a Viro Ampliſſimo Carolo Valeſio, Hadriani Filio adhucdum ſuperſtite, exarata, quam vel ideo addidi, quia notitiam nobis ſubpeditat ineditarum Hadr. Valeſii ad Florum notarum,

quas

Digitized by Google

quas ſi cum aliis Parentis, & ſi ea poſſideat, Patrui ſui ſcriptis ineditis ac luci nondum expoſitis, publico inpertire & cum viris doctis communicare aliquando non dedignetur, erit quod literis inpenſe gratulemur.

Praeter enim eximia illa, quorum ipſe vivens editionem procuravit Henricus Valeſius, opera, Excerpta ſcilicet Peireſciana, Ammianum Marcellinum, Scriptores Graecos Eccleſiaſticos, Commentariis eruditiſſimis inluſtratos, tum notas ad Excerpta de Legationibus Vol. I. Corp. Byzantini inſertas, & Animadverſiones poſtumas in Harpocrationis Lexicon & notas Mauſſaci, quas ex Bibliotheca Gulielmi Prouſteau Anteceſſoris Aurelianenſis productas ſuis Harpocrationis Editionibus ſubjunxerunt Viri Cll. Nicolaus Blancardus & Jacobus Gronovius; plurima inſuper alia aut abſoluta aut inchoata, quae meditatus fuerat, reliquit Valeſius, quibus edendis ſi longaevior ipſi contigiſſet vita, rempublicam literariam inſigniter ornaſſet. Sic in vita ejus ſcribit frater Hadrianus, paullo ante mortem ſibi adfirmaſſe Henricum, ſe Libanii Sophiſtae Orationes XV Hiſtoricas ex vetuſtis membranis eruiſſe, Latine reddidiſſe, ac commentariis expoſuiſſe, ſed mortuo tamen fratre, ſe quatuor tantum aut quinque Graecas Libanii Orationes, ac ne eas quidem ad Hiſtoriam pertinentes, in Latinam linguam converſas in ſcriniis fraternis reperiſſe, ceteras vero nequaquam ſe vidiſſe teſtatur. Praeter haec de Athenienſium Republica & Ariſtidis ac Libanii ἀνέκδοτα promiſiſſe Valeſium refert Graevius Epiſt. ad Heins. Tom. IV. Sylloges pag. 434. *eumque de Clemente Alexandrino edendo cogitaſſe patet ex* Epiſt. N. Heinſii ad Falconer. Tom. V. pag. 502. *tum Obſervata ſua ad Juliani Orationem primam memorat ipſe* Lib. III. Emend. cap. 10. pag. 91. *Praeterea nullus fere inter Auctores, claſſicos vulgo dictos, Graecos aut Latinos eſt, qui non ex doctiſſimis Illius adnotationibus, ſi ſupereſſent, caſtigari & inluſtrari poſſet. In notis enim ad Harpocrationem omnibus fere paginis citat notata ſua ad diverſos auctores veteres, quibus* ex-

exemplarium ſuorum frontem, margines, & calcem a ſe conſcripta indicat, ut opinor. Sic notata ad Arnobium pag. 10. *ad Ariſtotelem de Rep. Athenienſ. pag.* 22. & 73. *ad Marcianum Heracleotam pag.* 35. *ad Gellium pag.* 45. *Suetonium pag.* 55. *ad Herodotum & X Rhetoras pag.* 57. *Diodorum Siculum pag.* 70. *Xenophontem & Lyſiam pag.* 92. *aliaque plura ibidem indicat, quae cumulare non adtinet. Idem de notis ad Pollucem, quarum meminit* Kuhnius in Praefatione ſua pag. 10. *ſtatuendum eſt, nam notata ſua ad exemplar illius Lexicographi memorat* ibidem ad Harpocrat. pag. 46. *Haec ſi nondum perierint, ſed in Gallia adhuc naufragio erepta adſerventur, ab aliquo literarum perito excerpenda, & in ordinem digerenda, ac Miſcellanea aut Conlectanea inſcribenda eſſent, ut monet* Hadrianus in vita Fratris pag. 16. *vel ſaltem ſub Valeſianorum titulo edenda, ut ſimile utriusque fratris opuſculum habere nobis liceret. Verum ante alia omnia magnum profecto Literae noſtrae damnum ac detrimentum fuerunt paſſae, ſi interciderit praeclarus Henr. Valeſii labor, quem Legibus Atticis conligendis & inluſtrandis inpendit, quod opus ab eo abſolutum fuiſſe inde colligi poteſt, quia cum in eo jam eſſet, ut edere illud & praelo mandare pararet, praeventus fuit a Sam. Petito, cujus in Leges Atticas Commentarii quum Lutetiae Pariſiorum circa id tempus prodiiſſent, conſilium mutavit, & ab incepto deſtitit Valeſius, ut refert* Hadrianus frater in Ejus vita pag. 15. *Hujus operis ſui meminit ipſe aliquoties* in notis ad Harpocration. pag. 16. 55. 121. 129. & Lib. V. Emendat. cap 6. *Inſignem profecto jacturam fecerunt Muſae, quod in lucem non emerſerit hoc ſcriptum, quod ſi ipſe auctor de manibus ſuis dimiſiſſet, Petiti induſtriam ac doctrinam, praeſertim in ἀκριβείᾳ illa Critica, ſuperaſſet ſine dubio & longo poſt ſe reliquiſſet intervallo: quod idem etiam judicium ac deſiderium eſt Viri Eruditiſſimi in Adnotation. ad Xenophont. Epheſ. quae habentur in Obſervat. Miſcellan. Vol. V. Tom. I. pag.* 22. *ubi ait:* In his emendan-

dis

Digitized by Google

dis oleum & operam perdidit Sam. Petitus ad Leg. Att. qui vir utinam quantas eruditionis haud vulgaris copias, tantam acuminis habuiſſet critici, multo nos minus tangeret deſiderium curae ab Henr. Valeſio promiſſae. *Neque benignius de Petito judicat, eumque in re Critica non adeo εὐστοχίᾳ litaſſe cenſet Ludolph. Kuſterus in notis ad Ariſtophanis Ranas v.* 406. *his verbis:* Hunc locum mire torquet & παρερμηνεύει Sam. Petitus, qui Vir, caeteroqui doctus, in emendandis & interpretandis veteribus ſcriptoribus Ixionis inſtar, nubem pro Junone plerumque captat, parum penſi habens, an lectio aliqua, quam comminiſcitur, genio Graecae linguae conveniat, dummodo conſtructio Grammatica ſalva ſit. *Sed nec ſolius Valeſiani de Legibus Atticis commentarii deſiderium literatos cruciat;nam & earum Syllogen cum Animadverſionibus ſuis editurum ſe promiſerat* Mauſſacus ad Harpocrat. in voce περίπολος pag. 288. Ed. Blancard. *Praeſertim vero orbem eruditum immortali ſibi obſtrinxiſſet beneficio divinus ille vir & unicus meliorum Literarum vindex Joſephus. Scaliger, ſi inſtitutum ſuum de edendis Legibus Atticis peregiſſet, & hoc quoque ingenii ac doctrinae ſuae monumentum poſteritati & ſimul aeternitati feciſſet ſacrum. Illum enim conlegiſſe Leges Atticas Meurſio ſcribit* Cunaeus in Epiſt. 179. *quem defectum aliquando ſe ſubpleturum edito Themidis Atticae, ſive de Legibus Athenienſium libro, ſequente Epiſtola Cunaeo reſpondet Meurſius, quod viri illius doctiſſimi ſimul & laborioſiſſimi opus nunc Tomo V. Theſauri Antiquitatum Graecarum inſertum eſt. Illam vero Scaligeri Legum Atticarum Conlectionem in Leidenſi Bibliotheca adſervari Joh. Fred. Gronovio nunciat* Salmaſius Epiſt. CXX. *eamque ſe in Gallia aliquando vidiſſe a Dan. Heinſio tranſmiſſam ad quemdam amicum, qui tum Leges Atticas cum Commentario edere parabat, teſtatur; per quem amicum an Valeſius noſter, an vero Petitus aut Mauſſacus deſignetur, definire nequeo. Ipſe tamen* Scaliger in Epiſt. CCCXLIII. pag. 660. *Carolo Labbaeo ſcribit ſe numquam in*

 animo

animo habuiſſe illas edere, ſed cum multis aliis, quae in privatos uſus ſibi congeſſerat, premere. Quin & *Caſaubonus, quum inedita Scaligeri ſcripta publicaret, voluit eas e tenebris in lucem vindicare, ſed quum ab Heinſio, Bibliothecae Leidenſis tunc praefecto, eas ſecum communicari petiiſſet, reſponſum ab illo tulit, ſe religione inpediri, quo minus ea evulgari concedere poſſet, quia ultimis teſtamenti tabulis cautum erat a Scaligero, ne quidquam ſcriptorum adfectum tantum aut inchoatum ederetur.* vide Caſaubon. in Praefat. ante Scalig. Opuſc. Poſtum. pag. 19. *Itaque ſi aliquando operi huic Valeſiano tenebris eripi,* & *ex privato carcere in lucem adſeri, atque in manus Doctorum Virorum pervenire feliciter contingat, jacturam hanc, quam non exiguam in Scaligeri* & *Mauſſaci labore ſubpreſſo ac deliteſcente fecerunt Literae, haud parum conpenſatam videre licebit; quod ut fiat, omnibus, qui bona fide doctrinarum ſtudia & praeclara Viri illius merita colunt* & *aeſtimant, ex animo optandum eſt.*

His interim, Lector aeque ac benevole, a nobis nunc productis utere, atque in Literarum commoda fruere, & *ſi conatibus noſtris ac curae Valeſianis his reliquiis conlocatae favere te experiar, brevi etiam diu deſiderata Nicolai Heinſii Adverſaria, quae jam operas exercent,* & *Anthologiam Epigrammatum* & *Poëmatium Latinorum poſt Pithoeum* & *Scaligerum ingenti ineditorum numero locupletatam,* & *Animadverſionibus inluſtratam editurum me polliceor, ſi Deus mihi vires, doctrinam,* & *aetatem augere voluerit. Vale.*

Dabam Franequerae d. IX. *Junii* CIƆ IƆ CC XXXIX.

HADRIA-

HADRIANI VALESII

MILITIS, DOMINI DE LA MARE,

CONSILIARII ET HISTORIOGRAPHI REGII

DE VITA

HENRICI VALESII,

MILITIS, DOMINI D'ORCÉ,

CONSILIARII ET HISTORIOGRAPHI REGII

LIBER

Ab ipſo Auctore recognitus & emendatus.

Digitized by Google

HADRIANI VALESII,

HISTORIOGRAPHI REGII

DE VITA

HENRICI VALESII

HISTORIOGRAPHI REGII

LIBER

Ab ipſo Auctore recognitus & emendatus.

PErlectis quae de libris Henrici Valeſii, nomine Petiti Typographi, ſcripſeram paucis; hortatus es me, Clariſſime NUBLAEE, ut de vita ejus librum componerem. Et tum quidem quid tibi reſponderim non recordor: verum poſteaquam a te digreſſus ſum, dicta mecum volvens, erubeſcere, ac ſic increpare meipſum coepi. An oblivíſci me poſſe Henrici Valeſii, artiſſimis ſanguinis vinculis, amore litterarum, & tam diuturna vel potius fere perpetua mecum vitae ac victus communitate conjuncti? An illaudatum & tacitum relinquere me poſſe clariſſimum virum, qui amicos, aut vivos epiſtolis librorum fronti praefixis, aut mortuos laudationibus celebravit? An denique me fraudaturum vero teſtimonio fratrem meum, quod plerique ſcriptores ultro etiam alienis honorificum reddiderunt? ſi Suetonius Tranquillus de illuſtribus Grammaticis librum, de claris quoque Rhetoribus volumen compoſuit: quanto magis dicendus eſt mihi Valeſius, qui ſcholaſticos iſtos mercenariosque profeſſores longo intervallo ſuperavit, & omnes Grammatici partes, omnes Rhetoris, vel potius Oratoris numeros, dum

Digitized by Google

dum vixit, implevit? certe quum Latinos Hiſtoricos doctis & laborioſis commentariis expoſuit; quum Graecorum ſcripta convertit, & commentando notiora ſtudioſis reddidit; quum variorum auctorum volumina contractis priſcis exemplaribus diligenter emendavit, diſtinxit & adnotavit; quum epigrammata & poëmata ſcripſit ipſe, aut vetera interpretatus eſt: quid aliud fecit, quam quod illuſtres olim Grammatici factitaverunt? jam vero Orationes ejus elegantes, copioſae atque perſpicuae, laudationesque clariſſimorum virorum nonne ſatis indicant, omnibus artis Rhetoricae praeceptis inſtructum, atque etiam claris Oratoribus adnumerandum fuiſſe? Sed vir ſummus, ſummos Grammaticos & Rhetoras atque adeo Oratores ipſos plurimum ſupergreſſus eſt: quippe qui Graecas, Romanas, & barbaras notas habebat antiquitates, cui erat Hiſtoria ſacra profanaque comperta, qui Graecum Latinumque ſermonem tamquam patrium noverat, qui denique ad magnitudinem ingenii, vimque & acrimoniam judicii aſſidua lectione, ac meditatione variam & interminatam in omni litterarum genere doctrinam adjunxerat. Dicam igitur de Valeſio quae vidi: quae ex ipſo per tot annos in cotidianis colloquiis & familiari conſuetudine cognovi, quae de ipſo ſaepe ex communibus amicis audivi. Dicam, quae obſervavi; quae notata inhaerent animo: (omnium enim meminiſſe non poſſum) nec committam, ut mihi valeat imputare poſteritas fratrem debito teſtimonio privatum.

NATUS eſt Luteciae Pariſiorum HENRICUS VALESIUS Anno Chriſti MDCIII. IV. Idus Septembreis, die Mercurii. Patrem habuit Carolum Valeſium, Nobilem Pariſinum; qui, patrimonio ſuo contentus, honeſtum otium negotioſae vitae praepoſuit; & anno aetatis ſeptimo & ſeptuageſimo deceſſit: avum Johannem Valeſium; qui, Maria Uvaea genitus, (*a*) Contios de monte Glandifero, (*b*) Mareſcotos, (*c*) Macaltos, (*d*) Paſſartos, & (*e*) Robinellos materno genere contingebat: quorum filii & nepotes plerique ad ſplendidas dignitates pervenere: & pars in ſupremis curiis Pariſiacis, pars etiam in ſacro Conſiſtorio floruere. Johannes Valeſius, vir moribus antiquis, eximio candore animi aeque ac nobilitate Majorum conſpicuus fuit. Patrem enim ſuum, adoleſcentem nobilem, coactum lege patria, potiorem patrimonii partem ad majorem natu deferente, ex inferiore Nortmannia migraviſſe Luteciam, ibique ſubſediſſe, nec

(*a*) Meſſieurs Le Conte de Montauglan.
(*b*) M. de Mareſcot.
(*c*) M. de Machault.
(*d*) M. Paſſart.
(*e*) M. Robineau.

nec mediocrem in ſupremo Galliarum Senatu cauſarum patronum extitiſſe, ſaepe narrabat. Certe eſt hodieque in Pago Bajocaſſino atque in Lexoviis vetus & nobilis (*a*) gens Valeſia; a qua originem deducimus. Quae quidem gens inter armorum ſtrepitus humaniorum ſtudia litterarum magnopere ſemper & amavit & coluit. Sed nobilitate ſanguinis tantummodo cenſeri non debet Valeſius noſter; quem ſua virtus, quae ſola & unica eſt nobilitas, & eximia doctrina, ac tot libri editi & edendi ſatis ſuperque clarant ac illuſtrant. Mater Valeſio fuit Claudia Morleria, Claudii Morlerii Conſiliarii Regii ac Notarii filia, viri dum vixit Luteciae non obſcuri; Hadriani Morlerii ſoror, ſpecioſiſſimi hominis, qui ſub Comite Stabuli ſplendidum Praepoſiti officium geſſit: mulier naſuta, macilentis genis, vultu ruboris pleno. Matrem Valeſius ore moribusque referebat: quae anno Domini MDCLXXI. aetatis XCIV. menſe IX. XII. Kalendas Decembreis maturam mortem obiit in villa ſua apud Calveriacum, cujus uſumfructum ante annos fere VI. ſibi retinuerat, cum filiis bona relinqueret. Eſt autem gens (*b*) Morleria vetus & honorata, in plures familias diviſa. Morleriorum alii in municipio Ambianorum Monte Deſiderii dicto etiamnum habitant: alii in caſtro pagi Vadenſis Criſpiaco conſedere: quidam in Atrebatibus ſedes habent. Ex his nonnulli in Schola Pariſiaca Magiſterio Theologiae; aliqui etiam libris compoſitis inclaruerunt. Nemo enim neſcit, Morlerium ante annos circiter quadraginta de Antiquitatibus Ambianorum ſcripſiſſe.

Puer admodum cum fratre Carolo natu majore miſſus eſt Henricus Valeſius Verodunum, ut liberalibus diſciplinis erudiretur. Ea in urbe celebres ſcholas & Pariſiacis adoleſcentibus tritas habebant Jeſuitae: quibus tum Luteciae ex Senatusconſulto docere non licebat. Ibi Valeſius tanto ardore, tanta cum animi voluptate in libros incubuit, ut jam tum quantus in litteris evaſurus eſſet, appareret. Mira in eo docilitas ingenii; indoles ſupra aetatem ſingularis. Facile ac celeriter cuncta, quae tradebantur, accipiebat, ſuaeque alte infigebat memoriae: ſic dictata reddebat; ſic quae dicuntur themata componebat, ut Praeceptoribus ac praefectis amori ſimul admirationique, aequalibus eſſet exemplo. Nec incitandus puer erat, ſed reprimendus, ne in morbum incideret. Quare unam ei horam plusquam reliquis condiſcipulis praefectus cubiculi indulgebat ad ſomnum. Aequum quippe erat, eum, qui citius meliusque ceteris ſcholaſticum penſum

(*a*) Mrs. De Valois.
(*b*) Mrs. De La Morliere.

ſum abſolveret, qui plus ceteris laboraret atque proficeret, ad reficiendas corporis animique vires plus etiam dormire quam ceteros. Erant Veroduni plura auditoria humaniorum artium, ſuo ſingula Profeſſore inſtructa. (vulgo Claſſes vocitant.) In ſingulis auditoriis, ſicut fieri ſolet, quaedam dignitatum civilium Imperii Romani in Orientem Occidentemque diviſi imago cernebatur. Utrumque imperium optime meritis & qui elegantiſſime omnium aliquid compoſuiſſent, deferebatur ad tempus. Ibidem quotannis adoleſcentulis praemia Graeci Latinique ſermonis ex more proponebantur. Valeſius ſcholaſticas dignitates, ſed primas & maximas ſemper conſequebatur, ſemper Imperator, aut Conſul, aut Praetor: nec umquam infra Praeturam deſcendebat: libros inauratos, claſſica praemia ſolutae orationis & carminum quotannis pleraque victor auferebat. Ejus in ſchola Rhetoricae amplificationes & declamationes, ac carmina praeceptor laudabat, condiſcipuli mirabantur. Praeceptor ille Ruſſellus vocabatur, homo minime malus, ſed admodum imperitus, & artis, quam profitebatur, plane rudis ac ignarus: qui in proſa eloquentia verba grandia & bene ſonantia, orationem in re vel leviſſima numeroſam, plenam pompae & majeſtatis, deſcriptionesque ne in carmine quidem tolerabiles affectabat: qualis eſt haec primae lucis deſcriptio, quam Valeſius a ludo recens nobis ſaepe recitantis more graviter pronuntiabat. *Diluceſcebat: & emiſſa jam uberioris affuturae lucis quaſi praecone Aurora, flaveſcentem auro caeſariem pullulantibus in altum radiis Sol matutinus depectebat.* Actum erat de Valeſio, ſi talem praeceptorem eſſet imitatus: ſed exemplis Magiſtri malis atque vitioſis judicium diſcipuli praevaluit: qui cuncta ludi Verodunenſis auditoria intra quinquenium feliciter emenſus eſt.

Interea anno MDCXVIII. Jeſuitae Ludovici Regis beneficio Luteciae ſuas ſcholas aperiunt, quas pridem claudere juſſi erant. Revocatus igitur a patre Valeſius, redit cum fratre Luteciam, & ad ſcholas eorum Pariſiacas, quas Claromontanas appellant, ſe confert. Ibi florebant eminebantque Jacobus Sirmundus Ricomagenſis, & Dionyſius Petavius Aurelianenſis, duo Societatis Jeſu lumina ac ornamenta: ex quibus Petavium Rhetoricae Profeſſorem uno anno audivit; Sirmundum ſaepe quoque convenit: quos ambos poſtea conſtanter coluit ſimul & amavit. Eodem in ludo ſub Bruano Lotharienſi, doctiſſimo Profeſſore, in Philoſophiae ſtudia triennium impendit, ita ut Graecos ac Latinos Poëtas, Oratores, Hiſtoricos avidius quam Philoſophos toto eo tempore lectitaret. Cum nihilominus de Philoſophia publice diſputaturus eſſet, quae triennio ex-

ceperat, Bruani dictata curſim ac brevi tranſcripſit paene ad verbum: ratus memoriae tenacius inhaeſura, quae paulo ante legiſſet ac ſcripſiſſet. Nec ſpes eum ſua fefellit. Nam theſes ex univerſa Philoſophia depromptas egregie & magna cum ingenii laude judiciique defendit. Mirabar minutiſſimas litteras, pedum muſcarum ſimiles, manu ejus ſcriptas, quae a nemine legi poſſe videbantur; & pagellas ſemipedales centenum verſuum capaces: totam denique philoſophiam tam celeriter tantas in anguſtias contractam.

Egreſſus Claromontano ludo Valeſius anno aetatis undeviceſimo, Chriſti MDCXXII. jus civile Avarici Biturigum biennio didicit, ac poſt reditum, in ſumma curia Pariſiaca numero Advocatorum adſcriptus eſt. Forum per annos amplius ſeptem togatus frequentavit, magis ut patri ſatisfaceret, quam ut ſibi. Taedebat enim hominem jacturae temporis & operae perditae. Oneri erat, pudori erat toga tamdiu fruſtra geſtata; Videbat enim eum, qui a nemine advocaretur, patrocinaretur nemini, cauſſam nullam ageret aut diceret, Advocati, Patroni, ac Cauſſidici nominibus jure gloriari non poſſe. Interea quantum ei erat otii, (plurimum autem erat otii) litteris impertiebat. Ab Advocatis Graece doctiſſimus habebatur. At ipſe intelligens, quantum ſibi deeſſet ad plenam linguae Graecae notitiam, ita Graeca legit ac didicit, ut famae de ſe ſparſae abunde reſponderet. Habebat tum praeter ceteros collegam Michaëlem Anglum, a condiſcipulatu notiſſimum ſibi ac cariſſimum: quem cum prenſatis a Patre ſuo procuratoribus niti, eaque ratione cauſſas agere, ac litigantium jura voce ſcriptisque defendere animadverteret; dolens ſe tali auxilio deſtitutum algere, togam cum ſpe depoſuit, renuntiavit foro, multum diſſuadente patre, ac fruſtra, ut perſeveraret, hortante: ac liberalibus ſtudiis, quae nec ſponte umquam nec ex toto reliquerat, totum ſponte ſe dedidit.

Memoriae prodit Marcus Tullius, ſe, *cum veniſſet in villam pueri Luculli, M. Catonem vidiſſe in Bibliotheca ejus ſedentem, multis circumfuſum libris: fuiſſe enim in eo inexhauſtam aviditatem legendi, nec ſatiari potuiſſe: & tum in ſummo otio maximaque copia quaſi beluonem librorum viſum eſſe.* Haec imago Valeſii. Quod a Tullio de Marco Catone dictum eſt; mutato nomine, id a me de Valeſio narratum puta. Veteres ſcriptores Graecos & Latinos cotidie evolvebat; nec recentiores Criticos, Turnebum, Lipſium, Lambinum, ac ſimiles alios aſpernabatur. E Bibliothecis amicorum libris utebatur: notas habebat Bibliothecas, unde promeret quos vellet, & quos filius familias minime pecunioſus emere non poſ-

poſſet. Solebat dicere Valeſius, nullis ſe melius libris uſum umquam eſſe, quam commodatis: hos enim ſe exactiſſime legere, adnotare, atque excerpere ſemper conſueviſſe, tamquam qui in manus ſuas numquam eſſent redituri. Die Dominico conveniebat in Eccleſiam: die Saturni pomeridianis horis amicos viſitabat; reliquos cujusque hebdomadis dies plerumque ſtudiis impertiebat, ac ſedebat domi. Amici tum Valeſii erant Sirmundus, Petavius, Hieronymus Bignonius, Patronus Fiſci, vel ut vulgari utar appellatione, advocatus Generalis, Puteani, Nicolaus Rigaltius, Michaël Anglus, Franciſcus Florens Jurisconſultus, Bosquetus Narbonenſis, Johannes Triſtanus Sanctamantius, qui in veteribus nomismatis praeſertim Graecis legendis commentandisque ab ipſo non mediocriter eſt adjutus. Ex his Sirmundus, callidus & aſtutus ſenex, cum obſervaviſſet, certo ſemper hebdomadis die ac eadem paene hora ſe ac Petavium a Valeſio conveniri, ejus rei cauſam ex ipſo quaeſivit: & ſereno ut erat vultu; Quid tu (inquit) Valeſi, conſtanter ad nos Sabbatis ventitas? Heic ſubridens Valeſius: vin' dicam, mi Pater? Ne a ſtudiis avocer, plusquam ſemel quaque hebdomade cubiculum meum verri, & ſupellectilem mundari non patior. Itaque ſeptimo quoque die mihi Judaeorum more otiandum eſt atque ceſſandum: eo die, quod poſſum, amicos meos viſo. Tum Sirmundus exclamat. Magnae plane ancillae tuae habendae ſunt gratiae, per quam nobis Valeſio noſtro aliquando frui contingit. Utinam te ſaepius paternis aedibus extruderet, atque Clarummontem verſus everreret. Nam in omnibus, ut tute noſti, ſervandus eſt modus: nec minus etiam in iſta aetate valetudinis tuae quam ſtudiorum debes habere rationem. Sirmundi, Petavii, Rigaltii, doctorum hominum apud Puteanos toti plerumque ſermones de Litteris erat: his Valeſius ſummopere delectabatur: inde ſero, ac ſolito laetior domum reverti conſueverat, praeſertim ſi magnum & praeclarum aliquid aut dixiſſet ipſe, aut dicentes audiſſet.

Jam in notitia Graecarum ac Latinarum Antiquitatum tantum profecerat Valeſius, ut edere doctrinae ſuae publicum ſpecimen poſſet. Ejus rei nec opinanti data eſt occaſio. Nicolaus Fabricius Peireſcius, in ſuprema Curia Aquiſextienſi Conſiliarius Regius, vir doctus fautorque doctorum, ac locuples, veteres libros a Monachis Graecis, qui vulgo Calogeri vocitantur, nonnumquam ſibi emendos curabat. Hos inter a mercatore Maſſilienſi advectus erat ex inſula Cypro Aquas Sextias codex priſcus, Conſtantini Porphyrogenneti nomen ferens. Nimirum Imperator Conſtantinus, Leonis Aug. filius, Baſilii Macedonis nepos, collectanea hiſtorica

Digitized by Google

ex variis auctoribus, tribus & quinquaginta titulis incluſerat, ac ſingulos titulos vel tractatus in II. Libros diviſerat. Ex hiſce titulis jampridem unus de Legationibus exſtabat: alius tractatus περὶ ἀρετῆς ϗ κακίας inſcribebatur: quem Peireſcius emtum, ut dixi, Luteciam Pariſiorum ad amicos miſerat. Ibi cum diu neglectus jacuiſſet, hortante Petro Puteano Regiae Bibliothecae cuſtode, laborioſum opus & a cunctis recuſatum Valeſius audacter ſuſcepit Ex Polybio igitur, e Diodoro Siculo, e Nicolao Damaſceno, & Appiano Alexandrino, ex Dione Cocceiano & Johanne Antiochenſi excerpta praeclara, quotquot nondum publicata erant, in linguam Latinam eleganter tranſtulit, adnotationibusque multiplici ac varia eruditione refertis illuſtravit, dicavitque Peireſcio anno Domini MDCXXXIV. aetatis XXXI. nondum impleto: quem *primum ſtudiorum ſuorum foetum* ipſemet in epiſtola appellat. Circa idem tempus cum apud veterem auctorem de portu Smyrnae clariſſimae urbis Joniae legiſſet aliqua, quae non facile poſſent intelligi, niſi ab eo, qui locum vidiſſet; ac ea de re Fabricio Peireſcio ſcripſiſſet: Peireſcius una cum negotiatore Maſſilienſi pictorem ex Provincia Smyrnam proficiſci juſſit, qui de ipſa navi portum Smyrnaeum diligentiſſime perſpiceret ac delinearet; portumque penicillo expreſſum in membrana ad Valeſium miſit. Ex quo apparet hinc Valeſii in commentandis auctoribus cura atque diligentia; inde Peireſcii in juvandis ac promovendis ejus ſtudiis benignitas ſingularis. Egit gratias Peireſcio Valeſius, ſic tamen ut ingenue fateretur aliqua ſupereſſe, de quibus dubitandi cauſas haberet. At Peireſcius graviter ferens nihil actum tanta impenſa miſſi in Aſiam pictoris, reſcripſit Valeſio, omnia ſe facienda feciſſe, quibus deberet eſſe contentus: quod ſi exactiſſimae delineationi portus non acquieſceret, non pictoris, non ſuam, ſed ipſius plane culpam eſſe, cui nihil ſatisfacere poſſet. Ad Opera Valeſii revertor. Graecis Hiſtoricis Latinus ſucceſſit Ammianus Marcellinus. Latinum Hiſtoricum appello Marcellinum, hominem natione Graecum & domo Antiochenſem; propterea quod Latine ſcripſit hiſtoriam, & res Romanas ab exortu Nervae ad Valentis Aug. mortem, XXXI. libris expoſuit. Igitur Valeſius ſeptem & amplius veterrimas editiones Marcellini, & Codicem Bibliothecae Regiae, ac varias Lectiones, ex quatuor MSS. membranis excerptas, inter ſe diligentiſſime contulit; atque hiſce inſtructus auxiliis Hiſtoricum celebrem, a mendis quamplurimis vindicatum, in ſuum nitorem ac velut in integrum reſtituit: addidit & uberes adnotationes, quibus emendationum ſuarum rationem redderet, & difficiles quoſques

que auctoris locos, antiquitates Romanas, dignitates Palatinas, civiles ac militares explicaret. Anno Chriſti nati MDCXXXVI. aetatis tertio ac triceſimo Ammianum Marcellinum Henrico Memmio, ſupremae Curiae Pariſiacae majori Praeſidi nuncupavit: quem Nobiliſſimum Virum, dignitate & hereditario amore litterarum ex aequo clariſſimum, plurimum colebat. Mirabantur multi, tam laborioſum ac ſcrupuloſum opus tam feliciter ac bene ab uno homine intra biennium abſolvi potuiſſe: quod artum temporis ſpatium vix perlegendis adnotandisque priſcis Ammiani libris cum editis tum ſcriptis, nedum componendis notis ſuffecturum videbatur.

Sed aſſidua lectio librorum ac praecipue veterum membranarum oculis Valeſii, quorum aciem a prima infantia habetiorem habebat, plurimum nocuit. Ex eo quippe minus quam antea utroque oculo videre coepit; dextrum etiam non multo poſt ex ſuffuſione amiſit. Quamobrem cum nec legere commode poſſet, nec ſcribere, rarius ſtudere coactus eſt, & taedia moleſtiſſimi otii jucunda amicorum conſuetudine & crebra allocutione levare. Obſervabat autem Memmium Praeſidem inprimis, qui ipſum ſecum habere fruſtra concupivit, praeterea Amelotum primum Curiae vectigalium Praeſidem, Petrum de Marca Archiepiſcopum Toloſanum, Hieronymum Bignonium Advocatum Generalem, Claudium Sarravium Conſiliarium Regium, Hugonem Grotium, qui poſtea Sereniſſimae Reginae Chriſtinae Legatus fuit, Galminum libellorum ſupplicum Magiſtrum, ac Nicolaum Fabricium Peireſcium in ſuprema Aquiſextienſi Curia Senatorem. Amicos habebat praeter eos, quorum ſupra memini, Johannem Launoium Theologum, Ludovicum Nublaeum Advocatum in Curia Pariſiaca, Aegidium Menagium, Carolum & Franciſcum Ogerios, Ludovicum Cantarellum Fabrum, Rollandum Mareſium, & quotquot Luteciae liberalibus ſtudiis doctrinaque eminebant: e quibus Nublaeo ſuam de populis fundis ſententiam expoſuit Epiſtola, quae una cum Bullialdi aliorumque de eadem re libellis Divione edita eſt. Amicorum numero poſtea acceſſerunt externi, ex urbe Roma Franciſcus Barberinus Eccleſiae Romanae Presbyter Cardinalis, Lucas Holſtenius Hammaburgenſis, & Leo Allatius: e Batavia Claudius Salmaſius Divionenſis, Fridericus Gronovius, Iſaacius Voſſius, Nicolaus Heinſius, Danielis Fil. ac Johannes Georgius Graevius: ex inſula Britannia, Jacobus Uſſerius Armacanus: e noſtris Lucas Acherius, Cantalupus, Johannes Mabillonius, Sanctigermanenſes Monachi piisſimi atque eruditisſimi.

 Prae-

Digitized by Google

Praeter eos, quos modo enumeravimus, Valeſii amicos, horum poſtea numerum adauxerunt ſimul atque illuſtrarunt in primis invictisſimus ille Heros Gallicus LUDOVICUS BORBONIUS, Princeps Condaeus, Litterarum ac Litteratorum amantisſimus; Johannes Franciſcus Paulus Gondius Archiepiſcopus Pariſienſis & Cardinalis; Carolus Dux Montauſerius; Memmius Comes Avauxenſis; Petrus Seguerius Franciae Cancellarius; Fulquetus Procurator Generalis; Guilielmus Lamonius Senatus Princeps; Achilles Harlaeus Procurator Generalis; Antonius Nicolaïus ſupremae Rationum Curiae Princeps; Dionyſius de Sallo in ſuprema Curia Pariſiaca Senator; Claudius de Sallo Abbas, in ſuprema quoque Curia Pariſiaca Senator; Henricus Ludovicus Habertus Mommorius, Libellorum Supplicum Magiſter; Faber Ormeſſonius, Libellorum Supplicum Magiſter; Abel Sammarthanus in ſuprema Vectigalium Curia Senator; Antonius Vionius Herovallius in ſuprema Rationum Curia Auditor; Carcavius, in ſuprema Rationum Curia Auditor, nec non Regiae Bibliothecae Praefectus. Item ex Theologis, aliisque vario doctrinae genere praeſtantibus viris, Johannes Baptiſta Cotelerius; Johannes Baptiſta Thierſius; Michaël Marollius Abbas; Euſebius Renaudotius Abbas; Stephanus Baluzius Abbas; Johannes Galleſius Abbas; Petrus Seguinus Baſilicae Sancti Germani Autisſiodorenſis Decanus; Claudius Jolius Eccleſiae Pariſienſis Canonicus & Praecentor; Hieronymus a Sancta Boba Abbas; Tanaquillus Faber; Guido Patinus Doctor Medicus; Nicolaus Rigaltius in ſuprema Metenſi Curia Senator; Petrus Gaſſendus Praepoſitus Eccleſiae Dinienſis ac Profeſſor Regius; Emericus Bigotius Nobilis Rothomagaeus; Carolus Ducangius Franciae apud Ambianos Quaeſtor; Scaevola & Ludovicus Sammarthani, gemelli fratres, Hiſtoriographi Regii; Iſmaël Bullialdus; Ludovicus Laborator; Chriſtophorus Wageinſelius; multique alii clarisſimi ac doctisſimi viri; quos, ne longior fiam, praetermitto.

Ita transacto ſeptennio, deficientibus in dies oculis, intellexit Valeſius neceſſario ſibi aut renuntiandum ſtudiis; aut habendum eſſe lectorem: quem a patre praeparco nec petere audebat, nec, etiamſi maxime petiisſet, impetraturus videbatur. Cum ea de re ſaepe apud amicos ſermonem habuiſſet, ſaepe queſtus eſſet: Michaël Anglus celeberrimus Causſidicus, cujus intima familiaritate utebatur, obtulit ipſi nomine Henrici Memmii bina librarum millia annua, ſi ſtudia ſua, ſuasque obſervationes cum eo communicare vellet: hoc ſi feciſſet, amplisſimi Praeſidis gratiam maxime initu-

initurum, & anagnoſtae opera paternis in aedibus libere ſtudiis vacaturum. Valeſius, qui ſemper antea ejusmodi ſtudia ad alienos uſus accommodata averſatus erat, ac grave ſervitutis genus appellitaverat; amici verbis & rationibus, ſed multo magis conditionis aequitate victus, dedit manus, ac tandem expugnari ſe paſſus eſt. Annorum tum erat circiter quadraginta. Nactus igitur lectorem eumdemque ſcriptorem ſive librarium, praeter ceteros, quorum non memini, Euſebium, Socratem, Sozomenum, Theodoritum ac Euagrium legit, adnotavit, excerpſit. Quo facilius ei fuit, poſtea novae tranſlationi veterum Hiſtoriae Eccleſiaſticae Scriptorum vacare, quos jam antea exactiſſime perlegiſſet. Saepe miratus ſum ejus animi praeſentiam, ſemper his ſolis quae legerentur intenti; ab anagnoſte indocto perperam pronuntiata Graeca & Latina cito ac facile intelligentis; nunc ſedendo, nunc ambulando dictantis ex tempore, & cuncta quae dictaret recte atque emendate ſcribenda curantis; denique inter monitus ac reprehenſiones neque lecta obliviſcentis neque dictanda, ut apte prioribus poſteriora jungerentur. Tum libros emit Valeſius & multos, & bonos, ſed eos maxime, quos ſibi praecipuo uſui fore judicabat; ne ſaepe ad amicos decurrere cogeretur. Tum quoque multas & varias variis fictisque de rebus orationes, velut ad Regem aut in Curia habendas, patrio ſermone compoſuit, & manu ſua utcumque ſcriptitavit: quae ipſum magnopere fatigaverunt, cum propter laborem ſcriptionis aegro oculo intolerabilem, tum vel maxime propter exactionem celeritatis. Aliae enim ſuper alias ei orationes injungebantur, bene, ſecreto, ac cito elucubrandae.

Anno MDCL. poſt Chriſtum natum XIII. Kalendas Auguſtas patrem amiſit: & interjectis paucis menſibus, Memmius ampliſſimus Praeſes deceſſit. Eodem anno Chriſtina Sereniſſima Suedorum Regina unanimi omnium Regni ordinum conſenſu conſecrata eſt & coronata: cujus de Laudibus ita Orationem ſcripſit Valeſius, ut ab ipſo in Suedia ad Reginam habitam putes. Ob id nomine Reginae & torquis aureus ei promiſſus eſt, & ipſe cum Viro doctiſſimo Samuële Bocharto Cadomenſi, commendatione Iſaacii Voſſii amici ſui in Suediam invitatus. Neutra tamen res bonum ac felicem eventum habuit, neutra Valeſio utiliter ceſſit. Nam nec torquem umquam iſtum, qui ipſum diu multumque torſerat, nec Suediam umquam vidit: plane quaſi honore contentus, impenſam remiſiſſet. Jactaverat non ſemel Valeſius, qui alioquin paucorum verborum erat; daturum ſe operam in Suedia, ne Chriſtina in regnum ſuum pro doctis in-

indoctos & aretalogos invitaret. Quae ventoſa comminatio occultam & magnam ei conciliavit invidiam. Nam qui ſe deſignari ſentiebant, clam miſſis trans mare litteris obtrectationis & maledictorum plenis effecere, ut, vice verſa, eo domi remanente, ipſi Holmiam navigarent. Sic dum alios excludere vult Suedià, ſemet excluſit. Sed hanc injuriam ſibi malis falſorum amicorum & invidorum artibus factam forti animo tulit. Profuit certe ei, a navigatione Suedica avocari, ne a ſtudiis avocaretur.

Carolus Montchallus Archiepiſcopus Toloſanus, vir doctus, cui veteris Hiſtoriae Eccleſiaſticae editio mandata fuerat a Clero Gallicano, Socratem & Philoſtorgium cum duobus priſcis Codicibus Romae a Luca Holſtenio conferendos curaverat, & Valeſium ſecum Toloſam abducere fruſtra tentaverat, ut magna in re magno adjutore tacitus uteretur. Sed cum poſtea propter nimias occupationes ſuas huic ſe editioni vacare non poſſe animadvertiſſet; Petri Puteani litteris incitatus, rogavit abiens per epiſtolam Antiſtites Galliarum, ut Henricum Valeſium, ultro ſe ipſis offerentem, ac humeros tanto oneri ſupponentem, ſuum in locum ſubſtituerent: quo doctior & magis idoneus ſuſcipiendo operi non poſſet inveniri. Epiſcopi Regni Francorum, qui anno MDCL. Luteciae Pariſiorum erant congregati, lectis Montchalli litteris, ejus conſilium ſecuti ſunt, & Valeſio curam atque onus novae editionis priſcae Hiſtoriae Eccleſiaſticae ad unum omnes una voce delegavere. Aſſignatae ſunt ei in annos ſingulos librae ſexcentae: cui ſummae ducentas libras anno MDCLXX. addidere.

Secutum eſt triennium, Valeſio infelix ac infortunatum: intra quod temporis ſpatium tribus veterrimis & maximis optimiſque amicis privatus eſt. Quippe anno MDCLI. Jacobus Sirmundus, inſequenti anno Petrus Puteanus Cuſtos Bibliothecae Regiae, anno demum MDCLIII. Dionyſius Petavius, virtute & doctrina clariſſimi ac eminentiſſimi Viri deceſſere: quos Valeſius ſua quemque oratione laudavit, & eorum memoriae extremum hoc & quaſi debitum munus exſolvit. Exſtant laudationes, ad quas lectorem remitto. De Sirmundo & Petavio in tranſcurſu dicam, cum, ut ſolet doctis accidere, nonnumquam alter ab altero diſſentirent, alter etiam adverſus alterum ſcribere parati eſſent; Valeſium communem amicum amborum, hominem ab adulatione ac diſſimulatione alienum, libere quae ſentiret dixiſſe; &, licet utrimque traheretur, alterius probaviſſe ſententiam, alterius nequidquam repugnantis palam damnaviſſe: tam ſapienter denique, tam modeſte ac ſincere juvenem inter conſummatos ſenes de re controverſa, videlicet de Synodo Sirmienſi, judicaviſſe, ut nihilominus utrius-

utriuſque uſum amicitiamque retinuerit. Eadem ratione ſe geſſit in contentione Sirmundi atque Triſtani de nummo Hanniballiani Regis, de Anaſtaſi, aliiſque. Cum in quibuſdam ab utroque diſſentiret; neutrum tamen libertate ſua laeſit, neutrum offendit. Exiſtimabas tum tamen, mi Nublaee, non bene feciſſe Valeſium, quod ſuam de Anaſtaſi diſſertationem Triſtano adverſus Sirmundum ſcribenti publicandam dediſſet: quaſi Triſtani partes quam Sirmundi ſequi mallet, firmioreſque duceret.

Interea Valeſii opus procedebat: qui Euſebii Caeſarienſis Epiſcopi Eccleſiaſticam Hiſtoriam, ejuſdem de vita Imperatoris Conſtantini Libros IV. ac Panegyricum, atque Orationem Conſtantini ad Sanctos cum quatuor veteribus codicibus exacte contulit emendavitque, in linguam Latinam pari fide elegantiaque convertit, ac doctiſſimis Commentariis ad priſcos Eccleſiae mores ac ritus explicandos illuſtravit. His ſubjunxit IV. Diſſertationes: primam de origine & progreſſu Donatianorum, quos non ſervata lege Analogiae vulgo Donatiſtas vocant: alteram de Anaſtaſi, in qua Sirmundum & Triſtanum reprehendit: tertiam de tranſlatione Septuaginta Interpretum: ultimam de Martyrologio, quod Romanum cognominavit atque edidit Roſweidus. Dum ſub praelo gemit Euſebius, Valeſius Julii Mazarini Cardinalis liberalitate auctus eſt, allatis ipſi inopinanti ſub finem anni MDCLVIII. libris mille quingentis: quod congiarium poſtea quotannis ad finem vitae, tam vivo Mazarino quam mortuo ex ejus teſtamento percepit. Publicata eſt Euſebii Hiſtoria anno MDCLIX. menſe Julio: quam Valeſius Archiepiſcopis & Epiſcopis Eccleſiae Francicae, quorum auſpiciis in lucem prodibat, Epiſtola ac Praefatione nuncupavit. Accepit poſtea ex nonnullis, melius atque adeo utilius ſe facturum fuiſſe, ſi Euſebium Julio Mazarino dicaviſſet; quod grati animi teſtimonium ab ipſo Cardinalis exſpectarat.

Anno MDCLX. Rex optimus ac munificentiſſimus Henricum Valeſium, meque una in numerum Hiſtoriographorum ſuorum retulit. Utrique ſeparatis literis ſeorſum attributae annuae librae mille ducentae. Datum id (quantum ad fratrem attinet) novae Euſebii emendataeque editioni; quantum ad me, Hiſtoriae Francicae XXV. libris plurimiſque obſervationibus illuſtratae.

Anno Domini MDCLXII. aetatis LIX. Valeſius ſiniſtrum oculum amiſit, ſicut pridem amiſerat dextrum; & circiter tres menſes in caecitate, quantum fieri potuit, diſſimulata permanſit: donec quidam genere Lingon, medicus ocularius, cataractam ab utroque ejus amovit. Sed cataracta iterum

rum pupillam dextram obtegente, cogitur, ut prius, uno oculo qualicumque eſſe contentus: cujus auxilio, quoties opus erat, ſubſcribere ſolebat, agnoſcebat etiam circumſtantes, & adnotabat ora, veſtes geſtusque ſingulorum. Praecipue cum domi, tum etiam foris per vicos urbis, equis & carrucis ac bajulis onera transverſa ferentibus plenos, celeri pede, recto vultu ac toto corpore, confidentiſſime incedebat, ſine duce, ſine baculo: plane quaſi bene oculatus haberi vellet. Quin etiam cum antea foris famulum nunc lateri ſuo adjunctum, nunc praevium habere conſueviſſet: poſtea tale auxilium faſtidivit, nec aut praeire eum, aut lateri ſuo adhaerere paſſus eſt: tanquam oculorum aciem recuperaviſſet, ac nullo amplius egeret auxilio. Quosdam ex amicis vidi, tam firmo & tam audaci hominis inceſſu deceptos, mirabundos, & quod de ipſius oculis audiverant, verum eſſe non credentes.

Anno Domini MDCLXIII. Ludovicus Rex, virtute, animo, fortunaque Maximus, pro ſolita magnitudine cogitationum ſuarum, & pro innata ipſi bonitate atque cura litterarum, doctis cum popularibus tum etiam externis late per Europam ſparſis liberalitatem exhibuit: quos inter Valeſius, curante Ampliſſimo Colberto Regii Aerarii Praefecto, III. nonas Junii mille ducentas libras accepit: parem ſummam ad exitum vitae ſingulis annis percepturus. Accidit tum mihi, ut, quamquam minor, majori adaequarer fratri, & pari praemio donarer.

Tot proſperis paene ſupra vota confluentibus, uxorem ducere conſtituit. Amabat pridem puellam formoſam ac nobilem Margaritam Casnellam. Igitur anno MDCLXIV. pridie Kalendas Novembreis relicta domo paterna, in qua cum matre & fratribus habitabat, aedes conductas feſtinanter inſtruxit, ac ibi virginem XIV. Kalendas Decembreis in matrimonium accepit. Annum primum & ſexageſimum transgreſſus tum erat. Fuere multi etiam amici & noti, (quibus autem notus non erat Valeſius?) qui eum reprehenderent: fuere & qui veluti parum ſanum irriderent. Hos inter epigrammatarius ſenex, qui valde acutus ſibi videbatur, diſtichon triviale compoſuit de caeco ſene uxorem ducente, ut ab ipſa duceretur. Quod ne in Valeſium dictum crederetur, idem poëtica licentia mihi & communibus amicis confidenter aſſerebat, epigramma multo ante has nuptias a ſe ſcriptum ac editum fuiſſe. Nimirum ſunt homines ad vituperandum atque damnandum quam ad laudandum multo natura proniores. Equidem Valeſium, ſi ſexaginta annis major ſibi neceſſarium credidit uxoris ſolatium; ſi confidere & ſe ac ſua committere conjugi quam famulis ma-

maluit; ſi menſae ac lecti, vitae atque fortunae fidelem ſociam habere, ſi ſolitudinis taedia finire voluit; Valeſium inquam nihil inuſitatum feciſſe, nec propterea carpendum aut traducendum judico. Factum multis maximorum & ſapientiſſimorum virorum, veterum ac recentiorum exemplis defendi poteſt. Solet fieri: fieri licet. Habuit Valeſius, quos ſequeretur: habebit qui imitabuntur. Vulgare proverbium eſt, ejus qui valeat annos numerari non oportere. Senex quidêm erat Valeſius, quum uxorem duxit: ſed erat vegetae ac viridis & incipientis ſenectutis; ſupra aetatem robuſtus erat, prosperrima valetudine utebatur; intra annos undecim ac menſes fere ſex, ex conjuge ſeptem liberos tulit, quatuor mares, tres ſexus feminini; maritus ſtudiis vacavit ut caelebs, dictavit ut caelebs, mutua cum amicis officia exercuit ut caelebs; magnum lienis dolorem, quo tandem conſumtus eſt, diu fortiter tulit. Quid amplius juvenis facere potuiſſet? at male oculatus puellam formoſam duxit! oculis Valeſii nil jam metuendum erat, cum altero pridem captus eſſet, altero tam maritus viderit quam caelebs. Puellam venuſtam duxit! an melius & prudentius facturus fuit, ſi anum deformem duxiſſet? Formoſam ſibi conjunxit, ut eam magis & perſeverantius amaret; puellam, ut ex ea generaret heredes, quos ab anu exſpectare non potuit. Nam matrimonium liberûm quaerendorum cauſa contrahitur. Puellam inquam accepit, ut ea obſequentiore uteretur, ut quaſi tenellam arbuſculam flecteret qua vellet, vel quaſi mollem ceram pro libitu duceret atque formaret. Vetulis quippe virginibus nihil durius & intractabilius, nihil pervicacius, nihil morum plerumque peſſimorum tenacius, nihil ridicula prudentiae affectatione putidius poteſt reperiri. Quare non Valeſius, ſed ipſi cenſores, qui eum damnaverunt, riſu digni fuerunt atque damnandi.

Poſt ductam uxorem nihilo ſegnius ſtudebat Valeſius, librosque componebat. Socrates & Hermias Sozomenus Scholaſtici ſeu Advocati a Conſtantini Maximi profeſſione Chriſtianae Religionis ad ſeptimum decimum Conſulatum Theodoſii Junioris Aug. centum & viginti octo annorum hiſtoriam perduxere. Hoſce ambos ope priſcorum Codicum emendatos, in ſermonem Latinum tranſtulit, & doctis adnotationibus expoſuit. Adjecit & tres libros obſervationum; unum de rebus magni Athanaſii Antiſtitis Alexandrini, alterum de Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi exſiliis ac reſtitutionibus, tertium ultimumque de ſexto Canone Concilii Nicenſis. Hunc ſecundum Hiſtoriae Eccleſiaſticae Tomum Ludovico Francorum & Navarrorum Regi maximo ac Chriſtianiſſimo dedicavit anno MDCLXVIII.

MDCLXVIII. obtulitque. Tertio obſervationum libello Johannes Launoïus Theologus, adverſus quem ſcriptus erat, utcumque cavillando reſpondit: quam defenſionem Valeſius ſibi legi noluit, affirmans conſumtam eſſe materiam, & perſuaſiſſimum habens, ſua ſcripta ab Lounoïo nulla ratione refelli poſſe atque convelli. Supererant corrigendi, transferendi, exponendique, Theodoritus Epiſcopus Cyri, & Evagrius Scholaſticus: ut totum veteris Eccleſiaſticae Hiſtoriae Corpus, usque ad annum Natalis Domini DXCIV. Mauricii Tiberii principatus duodecimum, uno ſtilo, pari fide elegantiaque converſum haberemus. Quod anno demum MDCLXXIII. factum eſt: quum Theodoritus & Evagrius, unaque excerpta e Philoſtorgio & Theodoro Byzantio Lectore prodierunt in lucem, cum accuratis adnotationibus, & duobus obſervationum Eccleſiaſticarum libris: quod opus Valeſius I. B. Colberto Illuſtriſſimo litterarum fautori nuncupavit, ut eſſet ſuae erga ipſum Obſervantiae gratique animi perenne monumentum. Sacrae Hiſtoriae Graecis auctoribus Latinos, Sulpicium Severum, Turannium Rufinum, Caſſiodori Senatoris Hiſtoriam Tripertitam, Liberatum Diaconum, nonnullosque alios cum priſcis membranis collatos, & opera ſua emendatos, commentariisque expoſitos adjungere conſtituerat, ſi ei diutius vivere contigiſſet. Praetereo carmina, quae ex occaſione compoſuit: qualia ſunt, Soteria pro Ludovico Magno Rege Chriſtianiſſimo, verſibus hexametris, ſtilo Horatiano anno MDCLXIII. condita: item inſequenti anno lucubrata, ad Regem de Victoria ejus Maurica & Turcica ode elegantiſſima.

Hi ſunt libri, quos ſcripſit atque publicavit. Sed multa in ſcriniis volumina moriens reliquit, partim abſoluta, partim imperfecta: quae cum in manus meas non venerint, a me indicari commemorarique non poſſunt. Nota poſteris faciam ea, quae recordor. Inprimis ſuis ad Ammianum Marcellinum, & ad totam Hiſtoriam Eccleſiaſticam adnotationibus multas obſervationes addidit, nova editione digniſſimas. Quod ad Ammianum attinet, Blavius Batavus Typographus eum Hiſtoricum editurus erat, & de numero exemplarium cum Valeſio convenerat: ſed bellum repente ſuperveniens omnia editionis in hoſtico conſilia diſcuſſit. De Legibus Atticis ſcripſit Valeſius: & jam opus ſuum edere parabat, quum eſt a Samuele Petito Nemauſenſi praeventus, qui de eadem materia opus ingens Luteciae typis imprimendum curavit. De Critica, quae pars eſt Grammaticae utiliſſima, volumen compoſuit, ſed non abſolvit: in quo enumerat, qui ſint a veteribus Critici appellati. Ariſtotelem etiam, Phi-

Philoſophorum facile primum atque doctiſſimum, Criticum eſſe cognominatum docet. Heic notetur, quod non ſemel obſervavi, ab his, qui patria lingua verſiculos factitant, aut ſoluta oratione aliquid ſcribunt, viros doctos & antiquitatis ac linguarum peritos contumeliae cauſa *Criticos* appellari: quos nimirum ineptiarum ſuarum cenſores, & inſcitiae ſuae judices metuunt ac averſantur. Valeſius ipſe cum jaceret in lecto, & intra paucos dies moriturus falſo crederetur; mihi opera ſua commendans, aſſerebat ſe Libanii Sophiſtae Orationes quindecim, ad Hiſtoriam pertinentes, ex priſcis membranis eruiſſe, ac in linguam Latinam convertiſſe, commentariisque expoſuiſſe. At, ipſo mortuo, Graecas Orationes Libanii quatuor tantum aut quinque, ac ne eas quidem hiſtoricas, in Latinum ſermonem tranſlatas, ejus in ſcriniis reperi: ceteras, ſi quae ſunt, haudquaquam vidi. Multa in veteres auctores, Claſſicos vulgo dictos, eximia Valeſium obſervaviſſe, communes amici, Emericus Bigotius, Hieronymus a Sancta Bova, & Johannes Cotelerius, viri clariſſimi doctiſſimique aſſerunt: quae digerenda in ordinem, & Miſcellanea vel Collectanea inſcribenda eſſe, mihi ſuaviſſimus Bigotius poſt fratris obitum ſcripſit. Sed haec mihi videre, & ſcrinia ejus excutere, ac evolvere quae ibi latent non licuit. Iſta omnia magno Reipublicae Litterariae damno haud dubie ſunt peritura, aut fraude intercipienda: vel ſupprimenda: niſi a viro aliquo non minus probo quam docto ſecernantur quae jam ſunt edita, & quae ſupervacanea ac inutilia videbuntur; reliqua autem, quae ſunt inedita, diligenter emendentur digeranturque, ac bene ordinata Auctoris nomine vulgentur. Alioquin ſcripta Valeſii in manus indoctorum hominum venient: qui nec etiamſi maxime voluerint, eis uti ipſi poterunt, nec alios etiam uti patientur. Et hactenus de Libris Valeſii.

Poſt editam totam Eccleſiaſticam Hiſtoriam vix novem menſes effluxerant, quum circa menſem Martium Valeſius in morbum incidit: quem ipſemet initio contemſit, & celeriter ac facile ſanari poſſe credidit, propterea quod eum variantem, & nunc graviorem, nunc leviorem, interdum etiam velut ex toto decedentem videbat. Sed poſtea cum in dies dolores accreſcerent, animadvertit totam vim morbi in lienem proximasque partes corporis prorupiſſe. Tum fere quotidie, interdum etiam intra unum diem, non ſemel magnis & acutis doloribus cruciabatur, ita ut ſaepiſſime ejulare & clamare cogeretur. Sublato ad tempus dolore, ſta-

tim redibat ad ſeſe: alium crederes: cum ſuis, cum amicis colloquebatur; ambulabat modo domi, modo etiam foris; ſtudebat quoque ac dictabat; petebat Eccleſias, & omnes Chriſtiani partes implebat. Sic biennium ac duos menſes conſumſit. Jamque melius ſe habere, & veris beneficio convaliturus putabatur; quum ſubito ingraveſcente vi morbi tandem ſuccubuit, & peractis quae virum pium atque Chriſtianum facere oportebat, nonis Maji Anno Chriſti MDCLXXVI. exſpiravit, cum ſaepius intra horas quatuordecim ore cruorem effudiſſet. Tanta quidem ei fuit ad extremum ſpiritum animi praeſentia, ut circumſtantes alloqueretur, reſponderet interrogantibus, & cum Presbyteris Deum precantibus preces ſuas iungeret. Vixit annis duobus & ſeptuaginta, menſibus octo, biduo minus. Elatus eſt modica pompa funeris, maxima doctorum frequentia: Sepultus eſt in Campenſi Baſilica Sancti Nicolai, in monumento avito. Ex ſeptem liberis, quos ſuſtulerat, moriens tres filios ſuperſtites reliquit, maximum natu Hadrianum, quem rogatus a patre infantis de ſacro fonte excepi, & cui meum Hadriani nomen dedi, Henricum & Carolum: e quibus Hadrianus duodecimum annum agit, Henricus undecimum.

Heic referenda ſunt aliqua, ſuis locis praeterita, quoniam quibus ſingula annis contigerint, meminiſſe non potui. Chorae Abbas, re & nomine Amabilis Burzaeus cum viris doctis de Sacra Scriptura & de Veteri Eccleſiae diſciplina ſtato cujusque hebdomadis die domi ſermones habere concupivit, favente votis ejus Colberto; & primum, aut unum de primis Valeſium invitavit, uti his collationibus, quae tamen paucis menſibus duraverunt, intereſſet. Interfuit igitur unus paene inter Presbyteros ac Theologos Laïcus, inter togatos palliolatus: & interrogatus, docte ac graviter ſententiam dixit. Ipſe mihi narrabat, ibi ſe aliquando longo ſermone docuiſſe viros bonos ac pios, *filios Dei*; malos atque impios *filios hominum* in Sacris Libris appellitari. Idem Abbas, inter tres de una Juris Canonici Cathedra Pariſiaca contendentes, propter diſſenſionem Profeſſorum Judex ab ampliſſimo Colberto, Maecenate ſuo electus, aſſeſſorem ſibi prae ceteris Valeſium noſtrum adjunxit, &, poſt auditas ſingulorum competitorum orationes ac diſputationes publicas, de conſilii ſententia, digniori vacantem cathedram adjudicavit. Emendandis amicorum ſcriptis non parum temporis Valeſius rogatus impendit. Inprimis, ut leviora omittam, quosdam rerum Byzantinarum Scriptores Graecos

a

a Combefiſio Dominicano repertos, & in linguam Latinam converſos, curante Carcavio, ſedulo relegit, correxitque ac illuſtravit notis: quos Hiſtoricos diligentiſſimos & maximi faciendos, ac digniſſimos eſſe qui ederentur, non ſemel mihi affirmavit. Praeterea Graecos Auctores Mechanicos, e Bibliotheca Regia a viro clariſſimo doctiſſimoque Carcavio ejus Cuſtode erutos, in Latinum ſermonem tranſtulit, ut eſſent cui tum parari dicebantur editioni maturi. Diebus Lunae poſt meridiem huic interpretationi vacabat, legente codicem ac dictata excipiente Cotelerio.

Nunc de moribus ac de interiore vita hominis pauca dicenda ſunt. Quod ad pietatem pertinet, Valeſius ſollemnes dies feſtos, Paſcha, Pentecoſten, Aſſumptionem S. Mariae, feſtum omnium Sanctorum, & Natalem Domini, raro elabi paſſus eſt, quin a Presbytero poenitentiam & ſacram Communionem acciperet. Dominicis ac feſtis diebus, quoties ei per oculos & per valetudinem licuit, una cum populo Baſilicas frequentavit. Ante annos tres vel quatuor quam decederet, quoties feſtis diebus morbo vexatus domi ſe tenere cogebatur, Bernardi Claravallenſis Abbatis Sermones ab Anagnoſte ſuo ſibi legi jubebat, attenteque eos audiebat, & avidis auribus hauriebat. Quippe exiſtimabat, & amicis etiam dicere conſueverat, dies Dominicos ac feſtos Dei laudibus, non ſtudiis Litterarum impendi oportere: ſermones autem Bernardi quibuslibet veterum Patrum, cum Graecorum, tum Latinorum, homiliis ac ſermonibus multo eſſe ad excitandam in animis noſtris accendendamque pietatem aptiores. Id notandum duxi, propterea quod religio & exacta dierum feſtorum obſervatio raro creditur in eruditis reperiri: de quibus joci cauſſa dictitant; *ſtudere, Deo ſervire eſt.* Presbyteris magnum ſemper honorem habuit. Hoc nonnumquam amicis ſanus, hoc Presbyteris ipſis aſtantibus moriens aſſerebat, Presbyteros ſummae ſibi ſemper fuiſſe venerationi. Adeo verum eſt quod ait Symmachus, *qui bona fide Deum colit, hunc amare & ſacerdotes.*

Erat ſomni plerumque alti atque diuturni, ac ne inter tonitrua quidem tempeſtateſque deſerentis. Matutinum tempus ſtudiis impertiebat: poſt meridiem & prandium audiebat aliquid & dictabat aliquando, ſed non diu. Nox ſtudiis eximebatur, vigilias enim pati non poterat, nec umquam niſi extraordinaria aliqua neceſſitate coactus lucubrabat. Plerumque ſolitudine ac ſecreto delectabatur, ut quae legerat aut ſcripſerat,

Digitized by Google

ſcripturusque erat, ſecum tacitus meditaretur ac veluti ruminaret. Negabat enim ſine meditatione utilem eſſe lectionem. Quare & amicis ipſum quaerentibus haud raro dici jubebat, ſe domi non eſſe. Hac contentione animi tot iſta ac tanta volumina peregit. Cum eſſet igitur, ita ut docui, ſtudioſus ac laborioſus, nihilominus tamen dictitabat, parum ſe ac pauculis horis ſtudere. Tantopere libris evolvendis ac componendis intentus, nihilo ſegnius rei familiaris curam agebat: quam non ſervare ſolum parcimonia, verum etiam omni bono modo augere conabatur. Libros ſuos non libenter amicis commodabat, praeſertim indoctis, quibus nulli uſui futuros ſciebat, cum his ipſe carere non poſſet. Plagiarios, quales inter eruditos ſunt plurimi, plurimum oderat: & ſi qui obſervationes ſuas fraude aliqua, aut ſe inconſulto nec permittente, ſibi vindicaviſſent, librisque ſuis inſeruiſſent, plane iraſcebatur, & querebatur palam. Quin etiam ſi vel leve aliquid ad litteras pertinens cuiquam dixisſet; in voluminibus editis aut rem totam ſupprimi atque praeteriri, aut gratam ſui mentionem fieri volebat, & ſe inhonoratum transmitti ac honore qualicumque obſervationis fraudari indignabatur. Suum quidem eſſe, quod ſibi aliquando viſum eſſet ac veniſſet in mentem: res autem ſuas, ubicumque aut a quocumque interceptae eſſent, jure ab ſe repeti poſſe arbitrabatur. In quo ſane accidit aliquando, ut amicos & quosvis alios eruditos ſcriptores falſo ac ſine cauſa ſuſpectos habeamus, accuſemusque plagii. Quis enim quantumvis doctus negare auſit, id quod obſervavit, aut a nemine antea obſervatum fuiſſe, aut ab aliquo alio ſibi incognito eodem tempore obſervari potuiſſe? ita de ſui ſimilibus judicare, eſt hominis aut nimium ingenio ſuo confidentis, aut nimium diffidentis alieno. Parcus erat ſermonis, parcus & laudum: & niſi ſi quid amicitiae dabat, (quod rarum erat) pauca aetatis ſuae probabat ſcripta, pauca laudabat: quod non multa laude digna aut multi aeſtimanda edi videret; laudari autem ac magni fieri nefas duceret, quae laudem & gloriam minime merebantur. Cum de alienis operibus tam libere judicium ferret, ipſe in libris ſuis aliqua reprehendi haud aequo animo patiebatur: non tam quod quemquam contemneret, ut ingenio inferiorem atque doctrina, aut ſe unum ceteris omnibus anteferret; quam quod intolerabile judicaret indoctos de rebus ſibi ignotis audacter & impudenter ferre ſententiam, & palam ea improbare ac maligne damnare, quae non intelligerent. In re ſeria, in luſu etiam (nam juvenis non raro, nec male aut infeliciter

luſit)

Digitized by Google

luſit) ſi qua eſſet orta contentio, omnes ſibi, nemini ipſe cedere volebat: volebat vincere, vinci nolebat; quae pervicacia paullatim provecta aetate deferbuit. Nimirum, ut ait Tullius in Libro I. de Officiis, *in elatione & magnitudine animi facillime pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur.* Quum proſpera valetudine utebatur, fratres & propinquos ſuos, ſi forte aegrotarent, morbis obnoxios, infirmos, lecto gaudentes appellabat, ac ſui diſſimiles eſſe dicebat. At, ſi ipſe in morbum incidiſſet, clauſo undique cubiculo, nec lumen, nec amicos, ac ne proximos quidem admittebat: ſed in ſolitudine & ſilentio permanebat, ac modo dolores ſuos ejulatu ac clamoribus, modo febrim crebro atque ſublimi anhelitu teſtabatur, ita dolorem levari, febrilem ardorem minui ratus. Poſtquam autem convaluerat, velut praeteritorum oblitus, leve ac contemnendum fuiſſe quidquid tuliſſet, aiebat: vix ac ne vix quidem aegrotaviſſe videri volebat: moleſtus ei erat, qui mentionem morbi faciebat; gratiſſimus contra, qui de proſpera ejus ac juvenili valetudine, de viribus mirabundus loquebatur. Natus annos ſeptuaginta, nec ſibi ipſe videbatur ſenex, nec aliis videri volebat, qui mala & incommoda ſenectutis nulla ſentiret. In litteris, quas ad eum miſerat Gronovius, Gronovii filius, longam & felicem ſenectutem ei precatus erat. Senectutis nomine offenſus eſt Valeſius, epiſtolamque ceu a juvene juveniliter & inepte ſcriptam projecit; tamquam ſibi dedecus aliquod falſo exprobraretur. Id mihi poſt, ſed ridens referebat, ita ut appareret ipſum in ſe poſtea deſcendiſſe, &, annorum ſuorum magis, quam firmae valetudinis & virium habita ratione, dictum Gronovii probaviſſe. Adjiciebat inſuper, ante acceptas haſce a Gronovio litteras, ſe de ſenectute ſua numquam cogitaviſſe.

Haec ſunt quae de Henrico Valeſio fratre meo ſcribenda duxi: non ut libello meo quidquam gloriae ejus adderem; quem abunde ſua ſcripta commendant: ſed ut in ipſo reperiant eruditi atque ſtudioſi, quod imitentur.

At tu, mi Frater, (extremium te alloquor) ſi qua etiamnum tibi ſupereſt memoria rerum humanarum; ſi qua te adhuc tangit cura operum & ſcriptorum tuorum; hoc a me habe ſupremum munus: hoc elogio, qualecumque & quantulumcumque eſt, hoc honorifico teſtimonio contentus eſto. Hoc a me accipe, quod forſitan ne exſpectaveras quidem, religioſum fraterni amoris monumentum. Tu me ut naſcen-

do, ſic & moriendo praeceſſiſti: nunc exſpecta, ſimul ac Deus juſſerit, ſecuturum; ut qua in terris potiri non poſſum, felicitate fruar tecum in coelo.

Hoc a me, Valeſi, ſupremum munus habeto:
Quo bene te meritum frater honoro libens.
Accipe ſinceri monumentum & pignus amoris:
Quod tibi, me praeter, nemo daturus erat.
Regibus exſtruxere alii ſua Mauſolea:
Clarius eſt, mea nunc quod tibi dextra facit.
Marmora Pyramidum conſumſit tempus: in illum
Quem ſtatuo tumulum nil ſibi juris habet.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI VALESII,

MILITIS, DOMINI D'ORCÉ,

CONSILIARII QUONDAM ET HISTORIOGRAPHI REGII,

EMENDATIONUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Origenes loco corrupto emendatus, & explicatus. Δύο τροπικά. Galenus correctus.

ORdiamur ab (*a*) Origenis depravatiſſimo loco, qui legitur in ſeptimo ejus libro contra Celſum pag. 351. (pag. 341. Ed. Spenc.) ubi reſpondet Origenes argumento cuidam non infirmo, quo uſus erat Celſus ad convellendam fidem & credulitatem Chriſtianorum de Jeſu Chriſto: quae hoc praecipue fundamento inniti videbatur, quod Prophetae multo ante de ipſo praedixerant, quaecumque poſtea evenerunt. Quid vero, ajebat Celſus, ſi Prophetae praedixerint, ſummum omnium Deum ſervi-

A

turum

(*a*) Egregiam hanc in Origenis difficillimo loco emendationem Valeſius per Epiſtolam, Lutetiae Pariſiorum III Idus Novembris an. 1645. ſcriptam, miſerat quondam ad Claud. Sarravium, quae Epiſtola munere Joannis Dallaei, Pariſienſis, pervenerat in manus Thomae Smith Cantabrigienſis, a quo communicata fuit cum Gulielmo Spencero, qui eam Adnotationibus ſuis in Lib. VII. Origenis contra Celſum pag. 85 & 86. inſertam luci publicae expoſuit. Reſponſum autem Sarravii, quo gratias agit Henrico Valeſio pro communicata ſecum hac obſervatione, ibidem etiam exhibetur, & inter Sarravii Epiſtolas, a Venerando Patruo meo editas, legitur Ep. CXLVII. pag. 151. Addam hic etiam, quae ſuper hoc Origenis loco, & Valeſii emendatione communicavit mecum Vir Celeberrimus Tiberius Hemſterhuſius, a quo & alia nonnulla loca in initio harum Notularum mihi indicata gratus agnoſco. Ea igitur haec ſunt: „ Excellens ſummi Valeſii obſervatio ſecundis eruditorum ſuffragiis, ut merebatur, eſt accepta: vide in primis „ Joh. Alb. Fabricium ad Sext. Empiric. Pyrrhon. Hypotyp. Lib. II. pag. 66. & Stephan. le Moyne „ ad Polycarp. Epiſt. pag. 498. qui tamen, ubi forſan τρόπων legendum eſſe pro τροπικῶν conjectat, „ quae ſunt Stoicorum τροπικά, minime ſibi fuiſſe perſpectum incautus prodidit: nec felicius ipſi proceſſit „ conatus in Origenis Lib. VI. pag. 299. nam ſine dubio rectum illic eſt ἀπὸ δύο τόπων, nulloque pacto „ mutandum in τρόπων. Haec autem verba, *prout jacent*, quod ait Monachius, non notant *duobus locis*, „ eam enim interpretationem Graeci ſermonis indolea reſpuit; ſed *ex duobus locis*, unde lignum crucis irridendi anſam Celſus adripuerat; Eorum unus, ὅτι ἐπὶ σταυρῷ ἐνηλώθη ὁ διδάσκαλος ἡμῶν. alter, ἐπεὶ „ νικητὴς ἦν τῆς δίκης. Sic τόποι, *loca* ſunt, definiente Cicerone, argumentorum ſedes; quo nihil eſt „ apud

turum eſſe, aut aegrotaturum, aut etiam moriturum: num idcirco neceſſe erit, illum & ſervire, & aegrotare, & mori, ut mortuus Deus eſſe credatur? Sed profecto, inquit, nec Prophetae haec umquam praedixerint: ſunt enim impia & à ratione prorſus aliena: proinde non quid Prophetae praedixerint, quid minime praedixerint, diſquirendum eſt; ſed utrum id, quod praedixerunt, Majeſtati divinae conveniat. Nam ſi id indecorum ac turpe eſt, tametſi omnes homines furore correpti id praedixerint, fidem numquam merebitur.

Reſpondet Origenes in hac Celſi argumentatione deprehendi duo connexa, quorum conſequentia ſibi invicem oppoſita ſint ac repugnantia hoc modo: ſi, inquit, veri Prophetae ſummi Dei praedixerint illum eſſe ſerviturum ac moriturum, neceſſario haec fient, quandoquidem veri ſunt Prophetae Dei. Rurſus, ſi iidem Prophetae iſta de Deo pronuntiaverint, non evenient, quippe cum ſint naturae divinae contraria. Haec ſunt duo connexa, quorum conſequentia ſibi invicem repugnant; evenient ſcilicet & non evenient. Quotieſcumque autem, ait Origenes, in duobus connexis idem eſt antecedens, ſed conſequentia ſibi invicem repugnant; tunc antecedens, quod commune eſt in duobus connexis, refelli ſolet argumentatione illa, quam Stoici *διὰ δύο τροπικῶν* vocant. In vulgatis quidem Origenis exemplaribus hodie legitur *τῷ καλουμένῳ διὰ δύο προφητικῶν θεωρήματι*. Ego vero non dubito quin legendum ſit, ut dixi, *τροπικῶν*. Sic enim Sextus Empiricus in libro ſecundo Pyrrhoniar. Hypotyp. initio, id genus argumentationis appellat: *ὥσπερ γὰρ ὁ μὴ εἰδὼς, τί ἐστι τὸ καθ' ὃ περιαιρημένον, ἢ τὸ διὰ δύο τροπικῶν θεώρημα, οὐδὲ εἰπεῖν τι δύναται περὶ αὐτῶν.* Et Galenus in Libro II. de Dogmatibus Hippocratis & Platonis pag. 254. in fine: Νυνὶ δὲ, inquit, *πῶς μὲν οἱ διὰ δύο τροπικῶν τελῶν* (dele *τελῶν*) *ἀναλύονται συλλογισμοὶ, καὶ πῶς οἱ ἀδιαφόρως περαίνοντες, ἢ τινὲς ἄλλοι τοιοῦτοι τῷ πρώτῳ καὶ δευτέρῳ θέματι προσχρώμενοι, πολλοῖς ἐστὶ συντυχεῖν ἀκριβῶς ἐσκεμμένοις, ὥσπερ ἀμέλει καὶ ἐπ' ἄλλοις ὅσοις διὰ τοῦ τρίτου θέματος ἢ τετάρτου συλλογισμοὺς ἀναλύουσι. Καί τοι τούτων τοὺς πλείστους ἔνεστιν ἑτέρως ἀναλύειν συντομώτερον, ὡς Ἀντίπατρος ἔγραψεν.* Et haec quidem de nomine Syllogiſmi.

Caeterum cur ita vocatus ſit, difficile eſt dicere, ac multo magis, qua ratione conficeretur. *Τροπικὸν* quidem idem eſt ac propoſitio, ſive *λῆμμα*, quemadmodum do-

„ apud Rhetoras & Dialecticos frequentius. Illa vis verborum Origenis Boherellum quoque, virum alioqui perdoctum, fugit, cujus ideo maxime mentionem facio, quia Notis in Origenem Gallicae verſioni ſubjectis pag. 400. horum, quae Valeſius tradidit, nonnulla carpere eſt adgreſſus. Ac primum quidem; quod iſta, *ἵνα πιστευθῇ ἀποθανὼν ὅτι θεός*, ſic a Valeſio Latine reddita, *ut mortuus Deus eſſe credatur*, ambigua eſſe adfirmat, vertendumque fuiſſe, *ut morte ſua ſe Deum probet*, in errorem eſt prolapſus, cui refellendo nihil aliud opponam, niſi hoc ſolum, Graecae Linguae rationem nequaquam ferre, ut *πιστευθῇ* Latine verti poſſit, *probet*. Deinde vero, quum horum, *ἀλλ' ἵνα ἂν προεφώνουν ταῦτα οἱ προφῆται*, talem eſſe ſenſum ait; *ſed haec non praedicerent prophetae*, id eſt, *cur talia praedicebant?* & paullo intricatius loquitur, & vix quicquam a Valeſio diſcrepat, cujus exemplar ſcriptum melius habet, *praedixerint*, quam quod Spencerus ediderat, *praedixerunt*. Denique in illo membro quod eſt Edit. Cantabr. pag. 141. v. 46. conſtituendo, parumper a Valeſio diſſentit: ego neutri accedo, eumque locum ſane difficilem hoc pacto ſanandum exiſtimo: *Εἰ ἐπίσταμαι ὅτι τέθνηκας, οὐκ ἔστι ὃ ἐπίσταμαι· ὅτι ἄρα τοι, εἰ τέθνηκας, ἐπεὶ οὐδὲ ὁ τεθνηκὼς ἐπίσταται· δηλονότι εἰ ἐπίσταμαι ὅτι τέθνηκας, οὐ τέθνηκας.*
Cui optimae emendationi libenter, ut opinor, ſubſcribet, qui verba & ſenſum loci Origeniani examinaverit, & rem ipſam, quae tractatur, habuerit exploratam.

docet Sextus Empiricus adverſus Mathematicos pag. 300. & 301. Quaedam tamen ſubjungit ibidem Origenes, ex quibus, licet obſcure, perſpici poteſt, quaenam fuerit ratio ac methodus argumentationis illius Stoicorum. Poſtquam enim dixit, quoties in duobus connexis unum idemque eſt antecedens, ſed conſequentia duo ſibi invicem repugnantia, tunc antecedens illud ſubverti ſolere per ſyllogiſmum διὰ δύο τροπικῶν, ſubjicit id concludi in hunc modum; ſi primum eſt & ſecundum, ſi primum non eſt ſecundum, non eſt ergo primum. Vel potius: ſi A, eſt B; Si eſt A, non eſt B; Ergo non eſt A. Exemplum autem in rebus ipſis hoc adferebant Stoici duorum connexorum, in quibus commune eſſet antecedens, conſequentia autem plane repugnantia; Si ſcis te mortuum eſſe, mortuus es: ſi ſcis te mortuum eſſe, non es mortuus: ex quibus ſequitur haec concluſio, ergo non ſcis te mortuum eſſe. Sic autem probabant duas illas propoſitiones connexas: primam quidem hoc modo; ſi ſcis te mortuum eſſe, eſt plane id quod ſcis; id autem quod ſcis, eſt te mortuum eſſe; ergo mortuus es, ſi ſcis te mortuum eſſe. Alterum vero connexum ita probabant: ſi ſcis te mortuum eſſe, ſcis ac ſentis aliquid, nempe quod ſis mortuus; atqui mortuus nihil ſcit nec ſentit, igitur ſi ſcis te mortuum eſſe, non es mortuus. Ex quibus ſequitur manifeſte iſta concluſio, non ergo ſcis te mortuum eſſe. Haec Origenes pag. 352. (a) Graece dicit, quae nos paene ad verbum Latine tranſtulimus. Nam (b) interpres Latinus, vir alioqui doctiſſimus, ſenſum hujus loci minime eſt adſecutus, tum ob difficultatem rerum, tum praecipue ob defectum corruptionemque verborum. Nam ubi legitur in quarto verſu, Εἰ οὐ τὸ πρῶτον, οὐ τὸ δεύτερον, ſcribendum erat, εἰ τὸ πρῶτον, vel potius εἰ τὸ A, οὐ τὸ B. Et in ſequenti verſu malim τόπον legere, quam τρόπον. In ſexto autem verſu deeſt integrum comma, connexum videlicet unum: ſcribe itaque; Εἰ ἐπίστασαι ὅτι τέθνηκας, τέθνηκας· εἰ ἐπίστασαι ὅτι τέθνηκας, οὐ τέθνηκας &c. In verſu nono ſcribe, εἰ ἐπίστασαι ὅτι τέθνηκας, ἐπίστασαι ὅτι τέθνηκας· ἐπεὶ δὲ ὁ τεθνηκὼς οὐδὲν ἐπίσταται. &c. Ex his apparet, cur haec argumentatio dicta ſit Διὰ δύο τροπικῶν. Fiebat enim per duo connexa, ut vides, ſeu δύο τροπικά, quae probanda erant, ut concluſio ſequeretur. Quamquam veriſſimum eſt id, quod ait Galenus eo in loco, quem ſuperius adduxi, alia via ac methodo poſſe concludi, idque longe brevius ac facilius, quam illa a Stoicis tradita argumentatione, quae multas habebat difficultates ambageſque verborum. Quod quidem etiam Antipater Stoicus agnoverat, teſte Galeno. Licet enim argumentari hoc modo; ſi ſcis te mortuum eſſe, ſequitur manifeſta contradictio, nempe te mortuum eſſe & mortuum non eſſe; atqui hoc fieri non poteſt; ergo nec illud, unde hoc ſequitur.

Caeterum haec Origenis reſponſio ſubtilior mihi videtur eſſe, quam verior. Neque enim Celſus ita argumentabatur, ut vult Origenes; neque in ejus diſputatione duo illa connexa deprehenduntur. Sed hoc ajebat Celſus, ut ex ejus verbis ab Origene prolatis liquido apparet, non eſſe attendendum, an Prophetae aliquid de Deo praedixerint, an non: Sed illud praecipue inquiri oportere, utrum honeſta &

 pia,

(a) pag. 341. Edit. Spenc.
(b) Sigiſmundus Gelenius.

pia, & quae conveniunt Majeſtati divinae, ab iis pronuntiata ſint: Sin minus, eorum praedictiones nihilo pluris eſſe faciendas, quam furioſorum hominum ſermones. Quae quidem argumentatio validiſſima eſt ad convellendam fidem Chriſtianorum de Chriſto, quae vaticiniis Prophetarum praecipue nitebatur. Hoc igitur probare debebat Origenes, & omnes ingenii nervos eo intendere, ut demonſtraret quaecumque a Prophetis noſtris de Chriſto eſſent pronuntiata, pia eſſe atque honeſta, nec a ratione, nec a Majeſtate divina abhorrere.

Haec ſunt, doctiſſime Sarravi, quae ad Origeniani loci explicationem jam pridem annotaveram: quae ſi tuo ſuffragio comprobaveris, equidem aliorum judicium non vehementer reformidem. Tantum hoc addam, tamquam inſtar Corollarii, Celſum hunc, adverſus quem hos commentarios ſcripſit Origenes, familiarem fuiſſe Luciani Samoſatenſis, cui Lucianus librum ſuum, qui *Alexander* aut Ψευδόμαντις inſcribitur, nuncupavit: in quo libro eum a modeſtia, & tranquillitate animi, & morum ſuavitate commendat, & admirari ſe dicit incredibilem hominis ſapientiam, ſtudiumque veritatis, ἐπὶ τε σοφίᾳ καὶ τῷ πρὸς ἀλήθειαν ἔρωτι. Quibus verbis indicare videtur librum illum Celſi, cui reſpondet Origenes, qui Ἀληθὴς λόγος erat inſcriptus. Sed & hominem (*a*) Epicureum fuiſſe teſtis eſt ibidem Lucianus, quod confirmat etiam Origenes. Ex teſtimonio autem Luciani colligere eſt, Celſum circa tempora Divi Marci floruiſſe.

CAPUT II.

Epigramma veteris Poëtae apud Euſebium explicatum. Scaliger refutatus. Aegyptii Deos ſuos non aliis hymnis, quam VII vocalibus ſaepius repetitis venerabantur. Vetus inſcriptio expoſita.

(*b*) VEtus eſt Epigramma relatum ab Euſebio in Libro XI. Praeparationis Euangelicae Cap. 6. quod ſic habet:

Ἑπτά με φωνήεντα Θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα, τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα. &c.

Ac Euſebius quidem Poëtam illum, quiſquis fuerit, de Dei omnipotentis nomine ſenſiſſe, atque ex Judaeorum fontibus id hauſiſſe exiſtimavit. Nam Judaei ex ſeptem vocalium compoſitione myſticum & ineffabile Dei nomen conſtare credebant. At Joſephus Scaliger in Animadverſionibus ad Euſebii Chronicon, num. MDCCXXX. recte quidem obſervavit ſuperius Epigramma Serapidi eſſe dedicatum, fallique Euſebium, qui ſummo Judaeorum Deo illud attribuerit; ſed verſus ipſos perperam intellexiſſe mihi quidem videtur: etenim, ut ex verbis ipſius apparet, prio-

(*a*) De eo non ſatis conſtat, Celſusne hic acerrimus Chriſtianae religionis adverſarius, contra quem Origenes eos libros ſcripſit, fuerit ex Epicuri ſchola. Argumenta in utramque partem eruditiſſime examinat Cl. Weſſelingius in Probabilibus Cap. XXIII.

(*b*) Integrum hoc caput, paucis tantummodo mutatis, publici juris fecit Valeſius in notis ad Socratis Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. V. Cap. 17.

priori diſticho hoc tantummodo ſignificari exiſtimavit, Serapidis nomen ſeptem literis conſtare, quod quidem etiam Heſychii teſtimonio confirmat; cum tamen longe alia mens ſit Poëtae, quam nos ex recondita Aegyptiorum antiquitate hic aperiemus. Solebant olim Aegyptii Deos ſuos in templis venerari non aliis hymnis, quam ſeptem vocalibus ſubinde repetitis, ut docet Dionyſius Halicarnaſſenſis in libro περὶ ἑρμηνείας, in capite de colliſione vocalium (§. 71.) ἐν Αἰγύπτῳ δὲ καὶ τοὺς Θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες αὐτά. καὶ ἀντὶ κιθάρας, τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται. Cum igitur Aegyptiorum Sacerdotes ſeptem vocalium iterata pronuntiatione Deos ſuos venerati ſint, non dubium eſt quin Serapin, quod praecipuum fuit numen illorum, eadem quoque ratione coluerint: & ſic fortaſſe intelligi debet quod Heſychius ſcripſit, ἑπταγράμματον ſignificare Σάραπιν. quamquam altera hujus cognominis ratio minime improbanda eſt, quod ſcilicet Serapis ſeptem literis perſcribatur; quod confirmat etiam Artemidorus in libro ultimo (cap. 26.) Caeterum non aliam eſſe ſententiam priorum verſuum, quam illam, quae a nobis allata eſt, apparet ex verbis illis φωνήεντα γράμματα, quae non niſi de vocalibus intelligi poſſunt: neque aliter interpretari ſoleo veterem illam (*a*) inſcriptionem, cujus meminit Elias Vinetus in Epiſtolam XV. Auſonii: in qua ſeptem ſunt vocales ſepties inverſo ordine repetitae, quae in aurea

lami-

(*a*) Inſcriptionem illam Burdigalae in area Gymnaſii Aquitanici una cum Georgio Buchanano aliisque ſe vidiſſe teſtatur illic Vinetus. Ea continentur Graecae vocales ſeptem, totidem verſibus, ſed inverſo identidem ordine, repetitae. Ipſam inſcriptionem hic adponere operae pretium viſum fuit:

Α	Ε	Η	Ι	Ο	Υ	Ω
Ω	Υ	Ο	Ι	Η	Ε	Α
Ε	Η	Ι	Ο	Υ	Ω	Α
Υ	Ο	Ι	Η	Ε	Α	Ω
Η	Ι	Ο	Υ	Ω	Α	Ε
Ο	Ι	Η	Ε	Α	Ω	Υ
Ι	Θ	Υ	Ω	Α	Ε	Η.

Ad quae aenigmata explicanda ſine dubio Oedipo aliquo opus eſt, licet Valeſii interpretatio admodum adrideat. Singulare autem hoc monumentum inter ſpuria ac ſuppoſititia pag. 21. repoſuit Gruterus in Opere Inſcriptionum; quem ob id acriter, ſed oblique & innominatum, traducit Claverus in Miſcellis ad Claudianum cap. XIX. pag. 17. b. ubi laminam hanc vocalibus illis Graecis notatam itidem producit, & ex eodem Ammiani Marcellini loco inluſtrat: ille autem nihil aliud fuiſſe conjicit, quam amuletum, quod homo ſuperſtitioſus pectori adpendens adhibuerit pro remedio ad ſtomachi dolorem ſeu ad palpitationem, & eo refert locum Sereni Sammonici cap. LII. v. 944. & ſeqq. in quo ſemitertianam febrim depelli ait, ſi

Inſcribis chartae, quod dicitur Abracadabra,
Et magis atque magis deſint elementa figuris, &c.
His lino nexis collum redimire memento..

Ubi ex voce *Abracadabra* literis ex fine vocabuli minutim reſectis ſimilem fere amuleti formam exhibent, & de magicis his medendi formulis, quae ex literarum concurſu fiebant, nonnulla habent interpretes, praeſertim Keuchenius in Prolegomenis ad Serenum pag. 541. & ſeqq. Sed & plura de hac veterum ſuperſtitione habet Voſſius Lib. I. de Idololat. Gentil. cap. 8. & Hermannus Hugo de prima ſcribend. Orig. cap. XXIX. ubi videnda quae nuper in notis ſuis congeſſit Eruditiſſimus Trotzius.

Digitized by Google

lamina ſculptae ſuperpoſitae erant pectori humano: ac Vinetus quidem opinionem ibi ſuam aperuit de hac inſcriptione. Sed non dubito, quin hujuſmodi characteres Serapidis nomen virtutemque deſignent; eodemque refero, quod narrat Ammianus Marcellinus in Lib. XXIX. (Cap 2.) *Viſus*, inquit, *adoleſcens in balneis admovere marmori manus utriusque digitos alternatim & pectori, ſeptemque vocales literas numeraſſe, ad ſtomachi remedium prodeſſe id arbitratus: in judicium tractus, percuſſus eſt gladio* &c.

CAPUT III.

Euſebius Lib. V. Cap. 20. de Praep. Euang. emendatus.

OEnomaus Cynicus Philoſophus, cum ab oraculo quodam Apollinis deluſus fuiſſet, ut erat acerrimi vir ingenii, fraude perſpecta, ulciſci ſe ab Apolline voluit. Itaque librum ſcripſit, quo omnium Apollinis oraculorum vanitatem ſtoliditatemque detexit. Ex eo libro, qui κατὰ τῶν χρηστηρίων erat inſcriptus, integras paginas adducit Euſebius in libro quinto Praeparationis Euangelicae. Sed quoniam in plerisque corrupta ſunt exemplaria, nos pro virili parte aliquot locos emendare conabimur. Igitur in Cap. 20. Libri V. haec habet Euſebius ex Oenomai Commentariis: *cum*, inquit, *Heraclidae in Peloponneſum olim irrumpere conarentur, atque id jam ſemel fruſtra tentaſſent, Ariſtomachus Aridaei filius* (*Cleolai* filium dicere debuit, quemadmodum caeteri omnes appellant) *ad te adiit de ſuſcipienda expeditione oraculum conſulturus*: etenim pater ipſius priori expeditione occubuerat. *Id autem a te reſponſi tulit:*

ΝΙΚΗΝ ΣΟΙ ΦΑΙΝΟΥΣΙ ΘΕΟΙ ΔΙ ΟΔΟΙΟ ΣΤΕΝΥΓΡΩΝ

Proinde cum per Iſthmi fauces Ariſtomachus in Peloponneſum irrumpere eſſe aggreſſus, commiſſa pugna interfectus eſt: tum deinde Ariſtomachi filius Temenus ex infelici ſtirpe tertius ad oraculum tuum acceſſit. Tu vero (Apollinem alloquitur) *eadem illi praecepiſti, quae patri ante conſulueras.* Sequitur in Graeco: καὶ ὅσα ἄλλα. κἀκεῖνός σοι, ἔφη, πεισθεὶς ἀπέθανεν &c. quae manifeſte corrupta ſunt; ſed facilis eſt emendatio, quem Vigerio interpreti, viro alioqui doctiſſimo, in mentem non veniſſe, equidem valde miror. Scribe igitur meo periculo: καὶ ὅς, ἀλλὰ κἀκεῖνος &c. id eſt, *tum Temenus, at ille*, inquit, *his mandatis obſecutus dum irrumpere nititur, miſere periit. Hic tu, ſententiam, inquis, oraculi non ille intellexit: neque enim* στενύγρας *nomine terram intellexi, ſed* εὐρυγάστορας. *Tibi ſcilicet moleſtum erat mare ſimpliciter dicere. Atque ille*, ſupple Temenus, *hoc accepto reſponſo, maritimo itinere in Peloponneſum irrumpere aggreſſus eſt, cum prius fidem hoſtibus feciſſet, ſe terreſtri itinere profecturum. Igitur caſtra metatus eſt inter Naupactum & Typaeum. Inter haec Carnus quidam Aetolus ab Hippota Phylantis filio, ſagitta interfectus eſt. &c.* in hujus loci interpretatione doctus interpres toto, quod ajunt, coelo aberravit, non quidem ob imperitiam Graeci ſermonis, ſed ob vitium exemplarium: nam ubi legitur καὶ μέσον στρατοπεδεύεται Ναυά-

Ναυάτε ϗ Τυπαὶυ, ſcribendum eſt (a) Ναυπάκλυ, quod confirmat Apollodorus in Lib. II. Biblioth. (b) ubi totam hanc Heraclidarum hiſtoriam accurate perſcribit. Mox ſcribe, (c) ϗ διακοντίζει Κάρνον Ἱππότης ὁ Φύλαντος τὸν Αἰτωλὸν, ex eodem Apollodoro, Pauſania, & Conone, aliisque; Denique ubi legitur ϗ ἐπειδὴ συνεκύρησε νόσος πλησία, forte ἐξουσία ſcribendum eſt, vel ἀπουσία.

CAPUT IV.

Gregorii Nazianzeni Epiſtola emendata. Juramenta ſcriptis prodita an tantam vim habeant, quam quae voce concipiuntur? πληροφορία, & πληροφορεῖν quid?

ELegans eſt Epiſtola 219. Gregorii Nazianzeni ad Theodorum Epiſcopum, quae etiam inter canonicas referri poteſt: continet enim maximi momenti quaeſtionem de juramento, non voce, ſed ſcriptis prodito. Sed quoniam corruptiſſima eſt haec Epiſtola, nec a Billio intelligi potuit, interprete alioquin doctiſſimo, eam hic & emendare & explicare conabor. Conſultus erat Gregorius à Theodoro Epiſcopo de juramento, quod Georgius quidam in inſtrumento ſcripto praeſtiterat. Quaerebatur, utrum pro juramentis accipienda eſſent ea, quae à ſtipulantibus praebebantur, & in inſtrumentis ipſis adſcribi ſolebant; de quibus loquitur Gregorius in Orat. 39. pag. 641. Plerique enim ita cenſebant, juramenta duntaxat eſſe illa, quae tactis ſacris codicibus clara voce concipiebantur: ea vero, quae ſcripto mandabantur: dicis cauſſa fieri, & ſolennitates meras eſſe. Reſpondet Gregorius, longe falli eos, qui ita cenſent: nam ſi chirographum ſeu inſtrumentum, quo pecunia credita continetur, majorem vim ad obligandum habet, quam nudum pactum, cur non eadem ratione juramenta ſcriptis prodita, vim juramenti, & quidem tanto majorem, habebunt? ut verbo dicam, inquit, juramentum eſt ſtipulantis & reſpondentis confirmatio. Haec, ita, ut poſui, clariſſima ſunt, ſed non pe-

(a) Ita etiam in hoc Euſebii loco legendum conjecit Kuhnius ad Pauſan. Lib. V. pag. 381. ſed non opus tamen erat, ut hanc emendationem, quae veriſſima eſt, dubitanter tantum ut conjecturam proponeret. Viderat hoc etiam Holſtenius in notis ad Stephan. Byzantin. in voce 'ΡΥ'ΠΑΙ, pag. 275. qui novo inſuper beneficio Oenomaum demeretur, dum pro Τυπαίυ, de quo nihil hic Valeſius, veriſſime refingit Ῥυπαίυ. nam Temenus, cum Naupacti claſſem exſtruxiſſet, trajecit apud *Rhypaeum*, de quo plura habet Scholiaſtes Nicandri ab Holſtenio ibidem adductus; nam quae Kuhnius ſuper Typaeo notavit, melius indicta forent.

(b) Pag. 155. Ed. Tanaq. Fabr.

(c) Haec Valeſii emendatio omni exceptione major eſt: nam in vulgatis Euſebii verbis, quae ita ſe habebant, διακοντίζει Κάρνον Ἱππότην φυλάνδρου τὸν Αἰτωλὸν, nullus ſenſus eſt, quae a mendis liberavit ſalutaris Valeſii manus. Nam Carnum vatem Aetolum, (quem patria Acarnanem facit Pauſanias) ſagitta interfecit Hippotes Phylantis filius. Haec tamen emendatio non latuit etiam Kuhnio ad Pauſan. Lib. III. Cap. 13. pag. 238. niſi quod illic perperam in hoc Euſebii loco, quem corrigit, ſcribatur ὁ φυλάνδρου, typographorum, ut arbitror, errore; ipſe enim in textu Pauſaniae exhibuit τοῦ Φύλαντος, & reddidit Latine, *Phylantis filius.*

perinde in graeco textu facilia: παίζουσιν οἱ πολλοὶ ἑαυτοὺς τοὺς μὲν κατὰ τῶν ἱερῶν προκειμένους ὅρκους νομίζοντες. Scribe meo periculo, κατὰ τῶν (a) γραφῶν προκειμένων. Solebant enim veteres Chriſtiani, cum ab adverſario juramentum exigere vellent, eum ad menſam altaris adducere; utque, tactis Euangeliis ſuper menſa propoſitis, jusjurandum conciperet, jubere: contra quam conſuetudinem graviter invehitur Joannes Chryſoſtomus in Homilia 25. ad populum Antiochenum. Confirmatur haec emendatio ſequentibus Gregorii verbis: addit enim, τοὺς ἐγγράφους δίχα τῶν δερμάτων ἀφοσιοῦσιν, ἀλλ' οὐχ ὅρκον ὑπολαμβάνοντες. Opponit ſiquidem Gregorius jusjurandum δίχα δερμάτων, jurijurando κατὰ τῶν γραφῶν. Sed ut dubitatio omnis adimatur, Gregorium ipſum teſtem adducam, qui ita legendum eſſe confirmat: nam in carmine adverſus ſaepe jurantes pag. 227. eandem quaeſtionem tractans, quid ſi quis, inquit, juramentum ſcribat in inſtrumento, videlicet apud tabellionem, non autem voce proferat; reſpondet hujusmodi juramentum ſcripto conprehenſum gravius eſſe. Namque enim chirographum magis obligat quam nuda vox. Χειρόγραφον γὰρ (b) τῶν λόγων δεσμεῖ πλέον. Deinde alteram proponit dubitationem: quid ſi, inquit, juramentum praeſtitum eſt non propoſitis, nec tactis ſacris ſcripturis? εἰ δὲ οὐ γραφῶν προκειμένων &c. cui difficultati reſpondet, non codices ipſos, ſed Deum venerationem nobis ac timorem incutere debere:

Φοβῇ τὸ δέρμα, τὸν Θεὸν δ' ἐγὼ πλέον.

Ubi vides δέρμα poſitum eſſe pro ſacris codicibus, perinde ac in epiſtola ſupra citata. Mox ſcribendum eſt, (c) πῶς γὰρ τὸ μὲν τῶν χειρῶν χειρόγραφον &c. id eſt, *quomodo enim chirographum quidem plus obligare putabimus, quam nudum pactum, juramentum vero in tabulis ſcriptum, aliud quiddam eſſe quam juramentum arbitrabimur?* Subjicit deinde Gregorius haec verba, quibus rationem reddit ſententiae ſuae: καὶ συντόμως εἰπεῖν, ὅρκος ἡμῖν ἐστιν, ὁ τῷ ἐπερωτήσαντος καὶ πεισθέντος πληροφορία. id eſt, *ut verbo dicam, juramentum apud nos eſt, ſtipulantis & fidem habentis confirmatio.* Quod idem eſt ac ſi diceret, ὅρκος ἐστιν, ὅταν τὸν ἐπερωτήσαντα πληροφορῶμεν. *Juramentum eſt, quoties interroganti, ſeu ſtipulanti, fidem facimus.* Eandem omnino juramenti definitionem affert Joannes Chryſoſtomus in Homilia 51. in Geneſ. pag. 695. ubi explicans haec verba, *& ſtatuam juramentum meum, quod jurans juravi Abrahae patri tuo*, τὴν γὰρ βεβαίωσιν τῆς ὑποσχέσεως ὅρκον ἐκάλεσε. id eſt, *, firmationem promiſſionis vocat juramentum.* Βεβαίωσιν Chryſoſtomus dixit, quod Gregorius πληροφορίαν dixerat. Nam πληροφορία idem eſt ac βεβαίωσις, Heſychio teſte, & Graeci πληροφορεῖν τινα dicunt, *fidem facere alicui.* Ita Chryſoſtomus in eadem ipſa pagina, quam ſupra ci-

(a) Ita etiam in hoc Gregorii Nazianzeni loco emendavit nuper Eruditiſſimus noſter Georgius D'Arnaud Lib. I. Variar. Conjectur. cap. X. cui illud γραφῶν προκειμένων, pro vulgato ἱερῶν, ut hic legit Valeſius, itidem in mentem venit: ſed in ſequentibus δίχα τοῦδε ῥημάτων conjecerat, quod tamen recte in Addendis pag. 411. deinceps rejecit, & Valeſianum δίχα τῶν δερμάτων, ut certiſſimam emendationem, merito amplexus eſt. Quae autem in hoc capite emendat & obſervat Valeſius ad hanc Gregorii Epiſtolam, dederat jam in notis ad Sozomen. Lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. 30.

(b) Τῶν λόγων] Sic recte Valeſius: in editis autem eſt τῶν δεσμῶν

(c) Πῶς γὰρ τὸ μὲν] Male, & contra orationis ſtructuram in libris inpreſſis legitur, πᾶν γὰρ &c.

citavimus: ὁ Θεὸς, inquit, πληροφορῶν τὸν δίκαιον. Quae ſequuntur in dicta Gregorii epiſtola, adhuc corruptiora ſunt, & majorem habent difficultatem: ὃ μὴν οὐδὲ τὸ βεβιᾶσθαι φάσκει Νικανὸν εἰς παραίτησιν. Quae ſic vertit Billius, *haud quaquam tamen vi adactum fuiſſe Nicanum dictitat.* Miror profecto Billium non animadvertiſſe hujus loci corruptionem; qui levi negotio ſic reſtituendus eſt: ὃ μὴν οὐδὲ τὸ βεβιᾶσθαι φάσκειν ἱκανὸν &c. & ſic verte, *ſed neque quod Georgius adſerit; vi compulſum ſe fuiſſe, id ſufficit ad excuſationem: Vis enim non alia fuit, quam lex & conſuetudo, cui ceſſit.* Scribe itaque, ἡ βία γὰρ ἦν ὁ νόμος, (a) ᾧ εἴδειξεν. Sequitur deinde, οὐδὲ ἐν τῷ δικαστηρίῳ ὕστερον ὑπερέχειν, ubi ſupplendum eſt denuo ἱκανόν ἐστιν, id eſt, *Sed neque illud ad excuſationem ſufficit, quod poſtmodum in judicio cauſſam obtinuit.* &c. ex his adparet Georgium, de quo agitur, transegiſſe prius cum adverſario, ac poſtea adverſus conventionem juramento firmatam reſiliiſſe, ac victorem è judicio diſceſſiſſe: addit enim Gregorius, αὐτὸ γὰρ τὸ δικάσασθαι παρανομίας.

CAPUT V.

De Hierocle. Hierocles Philoſophus an idem ſit atque ille, adverſus quem ſcripſit Euſebius. Epiphanius emendatus. Baronius refutatus. Hierocles Philoſophus qua aetate vixerit: & quae fuerit ejus patria.

(b) QUis ſit Hierocles ille Philoſophus, qui in aureos Pythagorae verſus aureum commentarium ſcripſit, & quibus temporibus vixerit, haudquaquam

B

(a) Ο'ν ἴδειξεν) vulgatae habent, ὃν εἴδειξεν. Male autem Billius Latine reddidit, *vis enim fuit ei, quem lex ligavit*

(b) Quae in hoc capite de Hierocle diſſerit Valeſius, conferenda ſunt cum iis, quae Eruditiſſimus Joh. Pearſonus in doctis illis ad Hieroclem Prolegomenis, & ultimus editor P. Needham in Praefatione commentati ſunt: nam diu fluctuaverunt viri docti & multos commiſerunt errores in definienda utriuſque Hieroclis, de quo hic agitur a Valeſio, aetate. Ad ejus laudem quammaxime facit, quod antequam ad liquidum adducta fuerat haec diſputatio, ille propriis ſcriptis conſignatam habuerit veram de hac quaeſtione ſententiam: quamvis enim jam hac de re per curas Doctorum Virorum ſatis conſtet, neminem tamen Valeſianae curae poenitebit, cum tanti Viri ſententia magnum adferat momentum. Eorum, qui ſuper hoc argumento ſcripſerunt & verum viderunt, notitiam dabit J. Alb. Fabric. Bibl. Graec. Lib. II. Cap. 12. §. 7. Notandus autem hic eſt lapſus haud levis Joh. Pearſoni, viri alias ſummae eruditionis, qui cum recenſum egiſſet omnium illorum, quos ab Hierocle Philoſopho diſtinguendos eſſe arbitratur, addit in Prolegom. pag 13. *Hunc* (Hieroclem Philoſophum) *pro certo adfirmare non auſim, negare tamen non poſſum, fuiſſe illum ipſum, qui adverſus Chriſtianae religionis ſymmyſtas & ſcripſit mordacia, & acerba geſſit:* quibus verbis Hieroclem, Commentarii in aurea Pythagorae carmina auctorem, eumdem facit cum eo, qui a Lactantio memoratur, cum tamen illi, ad aetatem quod adtinet, ſeſquiſeculo minimum diſtent. In alium plane ſingularem incidit errorem Joh. Jonſius, vir ceteroquin egregius & doctiſſimus, de Scriptor. Hiſt. Philoſoph. Lib. III. cap. 18. cum enim illic Hieroclis Alexandrini Philoſophi aetatem

rectè

quam omnibus notum eſſe exiſtimo. Plerique enim ita ſentiunt, hunc ipſum eſſe, quem inſigni volumine refellit Euſebius. Hujus ſententiae, ut caeteras omittam, fuit is, qui Hieroclis libellum in aureum illud Pythagorae carmen graece edidit: nam in epiſtola ad lectorem, inter caetera id adfirmat, Hieroclem Philoſophum acerrimum Chriſtiani nominis hoſtem fuiſſe, ex quo adparet, hanc ejus opinionem fuiſſe, Hieroclem Philoſophum eumdem eſſe cum illo, adverſus quem Euſebius Pamphilus ſcripſit. Equidem me quoque in ea ſententia diu fuiſſe non diffiteor. Sed re adcuratius perpenſa, tandem didici Hieroclem, contra quem ſcripſit Euſebius, longe diverſum eſſe ab illo, cujus aureum commentarium habemus: quod ut clarius fiat omnibus, ab eo, quem Euſebius perſtrinxit, incipiam.

Igitur (quantum ex Euſebii libro cognoſcere poſſumus) Hierocles hic, de quo nunc quaerimus, librum adverſus Chriſtianos ediderat, cui titulus erat (a) φιλαλήθης, id eſt, amator veritatis. Eo in libro multa iisdem ſaepe verbis ex Celſi ac Porphyrii contra Chriſtianos voluminibus erat mutuatus. Unum illud de ſuo, ut ajunt, penu validiſſimum argumentum expromſerat, Jeſum Chriſtum a Chriſtianis ut Deum coli, propterea quod multa miracula fecerit, caecis viſum, auditum ſurdis, vitam denique reddiderit mortuis: atqui ab Apollonio Tyaneo haec, & alia multo majora, fuiſſe patrata: neque idcirco tamen Apollonium à Romanis Graeciſque pro Deo haberi; & res quidem ab Apollonio geſtas a viris honeſtiſſimis doctiſſimiſque poſteritati traditas eſſe; cum Chriſti hiſtoriam Petrus ac Paulus, aliique ejusmodi prodiderint, homines viles, indocti, atque (ut Hierocles falſo ſupponit) mendaces. Haec ſummatim de Hierocle ex Euſebio diſcere eſt. Sed Lactantius Firmianus in Lib. V. Divinarum Inſtitutionum Cap. 2. plura nos docet. Etſi enim Hieroclem haudquaquam nominat, ex iis tamen, quae dicit, ſatis adparet Hieroclem ab eo deſignari. *Ego*, inquit, *cum in Bithynia literas oratorias accitus docerem, contigiſſetque eodem tempore ut Dei templum everteretur, duo extiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectae veritati inſultarent, quorum alter Antiſtitem ſe Philoſophiae profitebatur. Verum ita vitioſus* &c. *alter eamdem materiem mordacius ſcripſit, qui erat tunc e numero Judicum, & qui auctor in primis faciendae perſecu-*

recte conſtituiſſet, eidem cenſuit adtribuendum eſſe Philalethem, ſive λόγους φιλαλήθεις, quo libro Apollonium Tyaneum cum Chriſto comparabat, & addit p. 304. errare eos, qui putant Euſebium illum, qui contra hunc Hieroclis librum ſcripſit, eumdem eſſe cum Caeſarienſi Euſebio Pamphili, Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum Scriptore. Recte ſe Jonſio hac in re non adſentire dicit Pinedo ad Stephanum pag 764. Ejus autem error praecipue inde natus videtur, quod Lactantii locum in promtu non habuerit, & refutatur abunde ex iis, quae hic habet Valeſius.

(a) *Cui titulus erat φιλαλήθης*] Eo ſcilicet in opere Hierocles praeſtigias celebris illius Apollonii praepoſtere comparabat cum miraculis J. Chriſti, ideoque hanc impiam ejus temeritatem Euſebius graviter compeſcuit. Vid Boxhorn. Quaeſt. Rom. pag. 41. & Elmenhorſt. ad Apulej. pag 356. De hoc Hieroclis libro ita noſter Valeſius de Vita & Scriptis Euſeb Caeſarienſ. pag. 2. *Per idem tempus ſcriptus eſt ab Euſebio liber adverſus Hieroclem. Cauſſam ſcribendi praebuit Hierocles Nicomedienſis, qui ſub initium ejus perſecutionis, cum Chriſtianorum ubique templa deſtruerentur, vexatae religioni quaſi inſultans, duos adverſus fidem Chriſti in urbe Nicomedia edidit libros, quos φιλαλήθεις inſcripſerat. In quibus inter cetera id adſerebat, Apollonium Tyaneum multo plura & majora feciſſe quam Chriſtum, ut teſtatur Lactantius in Libro V. ſed Euſebius hominem deſpiciens, contentus fuit cum brevi libello confutare.* Vide etiam Pearſon. Proleg. ad Hierocl. pag. 15. & quos laudat Needham in notis ibid. pag 39. num. 43.

Digitized by Google

cutionis fuit: quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis eos, quos adflixerat, inſecutus eſt. Compoſuit enim libellos duos (hos in fine Capitis 3. φιλαλήθεις inſcriptos fuiſſe dicit) *non adverſus Chriſtianos, ne inimice inſectari videretur, ſed ad Chriſtianos, ut humane & benigne conſulere putaretur: in quibus ita falſitatem divinae ſcripturae arguere conatus eſt, tamquam ſibi tota eſſet contraria.* Et paullo poſt: *praecipue tamen Paulum Petrumque laceravit, caeteroſque diſcipulos, tamquam fallaciae ſeminatores, quos eosdem tamen rudes & indoctos fuiſſe teſtatus eſt.* Deinde poſt alia multa ſic ait: *Idem cum facta Chriſti mirabilia deſtrueret, nec tamen negaret, voluit oſtendere Apollonium vel plura, vel etiam majora feciſſe.* An non ex his ſatis liquet, Hieroclem a Lactantio hic intelligi? Certe & titulus libri idem eſt, qui apud Euſebium Pamphilum, & capita illa ſacrae ſcripturae inter ſe pugnantia atque contraria, quae Lactantius ab illo Scriptore ait eſſe collecta, ea ipſa ſunt, quae Euſebius a Celſo atque Porphyrio Hieroclem ſuffuratum eſſe prodit. Tum illa de Petro ac Paulo paene ad verbum converſa ſunt ex illis Hieroclis, quae Euſebius retulit: τὰ μὲν τοῦ Ἰησοῦ Πέτρος καὶ Παῦλος, καὶ τινὲς τούτων παραπλήσιοι, κατεκομπάκασιν ἄνθρωποι ψεῦσται καὶ ἀπαίδευτοι καὶ γόητες.

Poſtremo impia illa & abominanda Apollonii cum Chriſto collatio prorſus id evincit, non alium hic intelligi poſſe quam Hieroclem. Quod ſi ita eſt, jam illud confectum habemus, impium illum Hieroclem, τοῦ φιλαλήθους auctorem, Philoſophum non fuiſſe: nam Lactantius aperte dicit, cum eſſet in Bithynia, duos extitiſſe, qui adverſus Chriſtianos ſcriberent, alterum Philoſophum, alterum vero e numero Judicum, & qui auctor in primis faciendae perſecutionis fuiſſet. Proinde non dubito, quin hic Hierocles praefectus Auguſtalis, quem perſecutionis illius ſub Diocletiano & Maximiano cruentiſſimae miniſtrum una cum Culciano fuiſſe tradit Epiphanius in haereſi 63. Meletianorum: Κυλκιανὸς μὲν, inquit, ἐν ἐπάρχος τῆς Θηβαΐδος, Ἀλεξανδρείας δὲ Ἱεροκλῆς. Ubi obiter moneo (*a*) ſcribendum eſſe Κυλκιανός. Sic enim eum adpellat Euſebius in fine libri IX. Hiſtoriae Eccleſ. quem multis Chriſtianorum caedibus in Aegypto nobilitatum fuiſſe commemorat.

(*b*) Periit autem hic Hierocles terrae motu, quo Nicomedia collapſa eſt, Datiano & Cereale Coſſ. ut docet Libanius in epiſtola 22. ad Acacium his verbis: κεῖται Ἀριστάινετος, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί, οὐδὲ τῆς Ἱεροκλέους κεφαλῆς φεισαμένου τοῦ δαίμονος.

Caeterum Baronius, anno Chriſti 302. (*c*) ubi hujus Lactantii locum diſcutit,

 recte

(*a*) *Scribendum eſſe* Κυλκιανὸς] Hunc Epiphanii locum, ita ut vulgo legitur, adducit etiam Pearſon. Proleg. ad Hier. pag. 17. ſed veriſſima eſt Valeſii, legentis Κυλκιανὸς, emendatio, quam dederat jam nobis ad Euſeb. Lib IX. Hiſt. Eccleſ. Cap. XI. pag. 460.

(*b*) *Periit autem hic Hierocles* &c.] Ut verum fateamur, hic temporum rationem non ſatis adcurate conſideravit Valeſius: quum enim Hierocles ex Vicario Bithyniae Praeſes, & deinde Alexandriae Praefectus Auguſtalis, auctor φιλαλήθους, maxime floruerit circa A. C. 302. motus autem terrae, quo Nicomedia funditus fuit everſa, inciderit in A. C. 358. credibile nequaquam videtur, illum vitam longaevam eo uſque produxiſſe, ut hac clade perire potuerit: quod recte poſt Caveum & Dacierium obſervavit Needham ad Prolegom. Pearſon. pag. 31. Quare pro certo ſtatuendum eſt, a noſtro Hierocle diverſum eſſe illum, cujus Libanius una cum Ariſtaeneto in loco hic a Valeſio adducto meminit, & qui ſimul cum illo Ariſtaeneto, praecipuo Libanii amico, in ruina Nicomediae obiit, de quo pauca quaedam notavit etiam noſter Vales. ad Ammian. Marcel. XVII. p. m. 141.

(*c*) Tom. II. Annal. pag. 716.

recte quidem obſervavit Hieroclem praefectum Auguſtalem ab eo deſignari. Sed quod Philoſophum illum, cujus nomen Lactantius reticuit, (*a*) putat eſſe Porphyrium, in hoc ei adſentiri non poſſum. Etenim Euſebius diſerte adfirmat Hieroclem illum in ſuo ad Chriſtianos commentario multa ex Porphyrii libris eſſe mutuatum: ex quo ſequitur libros Porphyrii adverſus Chriſtianos aliquot annis ante haec ſcriptos fuiſſe.

Nunc de Hierocle Philoſopho adcuratius dicendum eſt, quem quidem ego Theodoſii Junioris temporibus floruiſſe exiſtimo, primo quia Eunapius, in vitis Philoſophorum ac Sophiſtarum, nullam ejus mentionem facit; deinde quia Damaſcius in Iſidori vita inter recentiores philoſophos illum recenſet: poſtremum argumentum ex Hierocle ipſo deſumtum eſt. Etenim Hierocles in ſeptimo libro de Providentia ſcribit Plotinum & Origenem Ammonii diſcipulos, ejus qui primus Ariſtotelicae Platonicaeque philoſophiae concordiam oſtendit, ac caeteros deinceps, ut Porphyrium, Jamblichum, & quotquot ex aurea illa ſtirpe fuerint, omnes perpurgatam Platonis amplexos eſſe doctrinam, usque ad Plutarchum Athenienſem, qui eamdem quoque doctrinam diſcipulis ſuis tradidit. Verba ejus haec ſunt a Photio relata in Bibliotheca Cap. 214. ὡς Πλωτῖνός τε καὶ Ὠριγένης, καὶ μὴν καὶ Πορφύριος, καὶ Ἰάμβλιχος, καὶ οἱ ἐφεξῆς, ὅσοι τῆς ἱερᾶς, ὡς αὐτός φησι, γενεᾶς ἔτυχον φύντες, ἕως Πλουτάρχου τοῦ Ἀθηναίου, ὃν καὶ καθηγητὴν αὐτὸς τῶν τοιούτων ἀναγράφει δογμάτων, οὗτοι πάντες τῇ Πλάτωνος διακεκαθαρμένῃ συνᾴδουσι φιλοσοφίᾳ. Ex quibus verbis neceſſario colligitur, Hieroclem poſt Plutarchum Athenienſem vixiſſe: quin & poſtremis illis verbis Plutarchum magiſtrum ſuum fuiſſe ſignificat. Plutarchus porro ille Athenienſis, Arcadio imperante, e vivis mihi videtur exceſſiſſe. Nam Syneſius in Epiſtola 135. ad fratrem Athenas ſe veniſſe ſcribit; ſed ibi nihil praeter umbram Philoſophiae reperiſſe: & olim quidem Athenas ſapientiae domicilium fuiſſe, nunc vero mellariorum mercimoniis nobilitari: additque; τὰ νῦν ἄρα καὶ ἡ ξυνωρὶς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, οἵτινες οὐ τῇ φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσι τοὺς νέους, ἀλλὰ τοῖς ἐξ Ὑμηττοῦ σταμνίοις. Id eſt, *quibus & par illud ſapientum Plutarcheorum adjice, qui quidem non fama ſermonum ſuorum, ſed mellis Hymettii vaſculis juvenes in theatris congregant.* Jugum illud & biga ſapientum Plutarcheorum, ſine dubio eſt (*b*) Syrianus ac Proclus,

(*a*) *Putat eſſe Porphyrium*] Cum Lactantius eo in loco non exprimat nomen illius, quem cum Hierocle conjungit, dubitandi ansam id praebuit etiam Pearſono in ſuis Prolegomenis, qui nil definit. Errorem autem Baronii, Porphyrium intelligendum opinantis, notavit etiam & certiſſimis argumentis rejecit *L.* Holſten. de Vita Porphyr. Cap. III. cui ſuffragatur itidem Anton. Pagi Critic. ad Baron. ad A. C. 302 §. 10. & ſeqq. vide Needham. ad Prolegom Pearſon. pag. 13 & 14.

(*b*) *Syrianus ac Proclus*] Recte Valeſius: nam Plutarchi ſucceſſor fuit Syrianus, hujus autem Proclus. Syneſii autem locum, hic adductum, de Plutarchi diſcipulis, nemine deſignato, intellexit Jonſius de Scriptor. Hiſt Philoſ. Lib. III. Cap 6. in fine; qui lapſus eſt in eo, quod ξυνωρίδα Latine reddat *coetum*, cum *par* ſive *bigam*, ut hic Valeſius, vertere debuiſſet. Hunc autem Syrianum forte unum ex synoride ſive biga ſapientum Plutarcheorum, quam ſive celebrat ſive perſtringit hoc loco Syneſius, fuiſſe conjicit Eruditiſſimus Joh. Alb. Fabricius in Prolegom. ad Marin de vita Procli pag. 13. Caeterum de Syriano hoc Philoſopho Platonico, cui cognomentum Philoxeno fuit, quaedam etiam habet Valeſius Lib. I. de Critica Cap. 19 quam egregiam Diſſertationem, hactenus ineditam, ſed utinam integram, (nam Auctor eam non abſolvit, ut in vita Henrici Valeſii huic operi adjicienda teſtatur frater ejus Hadrianus) ita ut inter ſchedas illam reperi, his Emendationum Libris ſubjungam.

clus, Plutarchi Athenienſis diſcipuli, ac in docendo ſucceſſores. Cum igitur Syneſius, imperante adhuc Arcadio, Athenas venerit, antequam Epiſcopus eſſet creatus, neceſſario efficitur, Plutarchum Athenienſem Arcadii Auguſti temporibus abiiſſe e vita. Quod cum ita ſit, Hieroclem Philoſophum, qui Plutarchi illius Athenienſis auctoritate utitur, Theodoſii Junioris temporibus non abſurde floruiſſe dicimus; nam citerius vix dici poteſt; quippe cum Hieroclem paullo antiquiorem fuiſſe Iſidoro ex Damaſcii loco ſuperius adlato ſatis conſtet, Iſidorus autem ipſe Procli auditor fuerit: proinde Hieroclis Philoſophi aetatem recte conſtitui circa Theodoſii Junioris tempora manifeſtum eſt. Nunc de ejus patria pauca dicam. Suidas quidem Alexandrinum fuiſſe memorat. Sed Stephanus Byzantius (*a*) oppido Cariae Hyllarima oriundum eſſe teſtatur. Sic enim ait, Ὑλλάριμα πολίχνιον Καρίας, ὑπὲρ τῆς Στρατονικείας. ὅθεν ἦν Ἱεροκλῆς ὁ ἀπὸ ἀθλήσεων ἐπὶ φιλοσοφίαν ἀχθείς. Et haec quidem de Hierocle Philoſopho.

(*a*) *Oppido Cariae Hyllarima oriundum*] De patria Hieroclis eadem ſuſpicio tetigerat Salmaſium in nota ad Stephani locum, ubi dicit, *Hierocles is eſt fortaſſe, cujus habemus in Pythagorae carmina commentarios.* Illum autem Stephani locum ita poſuit H. Valeſius, ut emendandus erat, & jam a pluribus emendatus eſt; fuerunt enim, qui Stephanum erroris accuſaverunt, eumque Ὑλλάριμα perperam legiſſe pro Λάρυμα putaverunt: ſed eos refutat Iſaacus Voſſius notis ad Pompon. Melam Lib I. Cap. XVI. qui poſtquam correcta Stephani verba protulit, haec addit: *Car itaque fuit Hierocles Philoſophus, non Alexandrinus, verum propter ſtudium ita dictus, quemadmodum multi etiam alii.* Quod ait de ita dictis ob ſtudii Philoſophici ſectam Alexandrinis, id parum huc pertinet. Pearſonus autem, quum primum in Prolegomenis pag. 10. conjectaſſet fortaſſe Hyllarimenſem eſſe Stoicum illum Hieroclem, de quo mentio eſt apud Gellium Lib IX. Cap 5. deinde ibid. pag. 17. haud difficulter tandem adduci ſe paſſus eſt, ut cum Ger. Joh. Voſſio Lib. III. de Hiſtor. Graec. pag. 376 & 377. crederet, Hieroclem Chriſtiani nominis ſub Diocletiano vexatorem domo fuiſſe Hyllarimenſem. Ibidem etiam Voſſius, ut hoc obiter addam, putat Hyllarimenſem eumdem eſſe cum eo, qui ad Pythagorae carmina ſcripſit, licet a Suida Alexandrinus vocetur, quomodo dictum putat, quia Alexandriae philoſophatus ſit, eumdemque etiam facit cum eo, qui Apollonium cum Chriſto comparavit, contra quem ſcripſit Euſebius; quae refutantur ſatis ex iis, quae ſupra notata dedimus. Pearſonus autem, ut opinioni ſuae pondus aliquod conciliaret, Stephani verba ἀπὸ ἀθλήσεων vel ἀθλήσεως, mirifice interpletatur. Non enim explicat, ut plerique, *ex athleta factus eſt Philoſophus*, verum *ex perſecutore*, in qua interpretatione labi virum ſummum, certum eſt, id quod alii jam monuerunt. Ad Valeſium autem quod adtinet, miror eum ſtatuiſſe Hieroclem Stephani Hyllarimenſem eumdem eſſe cum Scriptore commentarii ad aurea Pythagorae carmina. Si enim excipias Philoſophiae ſtudium utrique commune, nihil erit, quod nos eo ducat; contra vero hanc ob rationem utrosque diverſos ac diſtinguendos eſſe opinor, quia nihil cauſſae eſt, cur deſeramus auctoritatem Damaſcii, (cujus verba deſcripſit Suidas eo in loco, ubi de Hierocle agit) Hieroclem natione Alexandrinum clare adfirmantis: eum autem Damaſcium veroſimile eſt natales & originem Philoſophorum, quos ipſe Doctores fuerat admiratus, optime noviſſe. Deinde aetate Theodoſii Junioris, qua vixiſſe Hieroclem adſtruit hoc in capite Valeſius, exercitia ἀθλήσεως adeo eviluerant, & exoleverant, ut in id tempus minime congruere poſſit ἀπὸ ἀθλήσεως ἐπὶ φιλοσοφίαν ἀχθείς, quod ait Stephanus. Quare Hieroclem illum Hyllarimis latere patiamur, donec certioribus indiciis quis qualiſve fuerit, compertum habeamus: Philoſophum autem, qui ad carmina Pythagorae ſcripſit, domo Alexandrinum fuiſſe ſtatuendum eſt. Sed haec ſufficiant, ne notarum modum excedant.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Auguſtinus explicatus. Sal catechumenis datum pro ſacramento, & quare.

Auguſtinus in libro IV. de baptiſmo cap. 11. & in lib. II. de peccatorum remiſſione cap. 26. ſacramenta quaedam Catechumenorum nominat, quae a ſacramentis fidelium diſtinguit. Quaeſtio eſt quaenam fuerint illa Catechumenorum ſacramenta? Sal benedictum Catechumenis pro ſacramento datum fuiſſe diſcimus ex Concil. 3. Carthaginienſi: quod quidem ſapientiam deſignabat, & bonorum operum adſiduitatem, ut docet Jeſſe Epiſcopus in epiſtola de baptiſmo, quam poſt Hincmari opuſcula edidit Cordeſius. Aliam etiam ob cauſſam ſal dabatur Catechumenis, quam hic exponam. In omnibus exorciſmis ſal benedictum adhibebatur ad fugandos daemones. In decretis Higeni Papae: *Si motum fuerit altare, denuo conſecretur eccleſia. Si tantum parietes mutantur & non altare, ſalibus tantum exorciſetur.* Cum igitur Catechumeni non ſemel exorciſarentur, ut docet Cyrillus Hieroſolymitanus, ſal accipiebant, quod in exorciſmis adhiberi ſolebat. (a)

CAPUT VII.

Marci Euangeliſtae locus explicatus.

(b) IN Euangelio B. Marci cap. 3. vs. 21. locus eſt valde difficilis & obſcurus, qui Interpretes hactenus exercuit. Poſtquam enim retulit Dominum noſtrum in

(a) Praeter has Valeſii rationes, conjici forte etiam poſſet, quod ideo ſal catechumenis datum fuerit; quia per id deſignabatur foedus divinum: unde ſaepiſſime *ſal* occurrit pro indicio perpetuae & incorruptae amicitiae, quomodo *pactum ſalis*, pro aeterno foedere, in ſacris paginis legitur; ut docet Dionyſ. Voſſius in notis ad Caeſarem Lib. I. de Bel. Gallic. Cap. 47. ſed hoc diſcutiendum aliis relinquo.

(b) Difficillimus ſine dubio hic Marci Euangeliſtae locus adparet, praeſertim ſi quis copiam variarum Interpretationum, quas doctae & laborioſae Celeberrimi Wolfii Curae Philologicae ad h. l. p. 444. & ſeqq. ſuppeditant, inſpiciat & adtendat. Valeſii interpretationem & explicationem blandiri admodum fateor: quin & penitus ei ſubſcribere non dubitaremus, ſi probaſſet apud Graecos *ἐκστῆναι* idem eſſe quod egredi domo, vel loco quocumque; quem huic loco ſenſum adfigere conabatur etiam Carolus Molinaeus, monente Wolfio: ſed cum plane novus hic vocis illius ſignificatus ſit, recte ob id ab aliis refutatus eſt. Caſauboni autem ſententia in Exercitat. contra Baron. XIV. § 17. p. 302. qua paraphraſtae Arabis interpretationem ſecutus putat, deliquium animi Chriſto ex preſſura populi & inedia obveniſſe, ita nobis revera videtur, ut eâ potius Baronio adverſari voluiſſe, quam verum loci ſenſum expoſuiſſe dicendus ſit. Ceterum Marci verba ita commodiſſime exponenda arbitror: *Quumque maximam hominum turbam iterum*

Digitized by Google

in monte conſtituiſſe XII Apoſtolos, inde illum in domum quamdam veniſſe ſcribit, καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον, καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν· καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη· Vulgata verſio ſic habet. *Et veniunt ad domum: & convenit iterum turba, ita ut non poſſent neque panem manducare. Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt.* Multa ſunt in hac verſione, quae difficultatem faciunt. Cur enim exierunt diſcipuli extra domum ad tenendum Dominum, cum Dominus eſſet domi? neque enim Marcus ſcribit Dominum ex ea domo ante egreſſum fuiſſe. Jam vero quod dicitur, Dominum in furorem verſum fuiſſe, contumeliam videtur inferre Chriſto, & ferri hic nullo modo poteſt. Neque enim ulla praeceſſit cauſſa, cur Chriſtus tantopere commoveretur, ut aeſtu ac furore quodam abreptus eſſe videretur, ſicut factum eſt cum Publicanos e templo fugavit. Alia igitur quaerenda eſt interpretatio. Mihi quidem hic locus ita exponendus videtur: *Dicebant enim, quod egreſſus fuiſſet ex domo.* Nihil hac interpretatione planius ac ſimplicius. Confluebat in domum, in quam Chriſtus cum ſuis intrarat, ingens populi multitudo, ita ut Apoſtoli, qui toto die plurimum laboraverant, reficiendi corporis locum ac ſpatium non haberent. Quare, ut turbam eluderent, finxerant Dominum e domo egreſſum fuiſſe. Ipſi igitur foras egreſſi ſunt, ut illum tenerent, domumque reducerent. Simulabant enim ſe Jeſum quaerere, ut fidem facerent multitudini illum e domo exiiſſe. Atque ut obiter moneam, notare licet in hac narratione exemplum inſigne piae fraudis & officioſi mendacii: nec eſt, quod quis dicat, id quidem ita eſſe juxta interpretationem noſtram. Etſi enim vulgatam ſequimur verſionem, admittendum neceſſario eſt hoc loco in Apoſtolis genus illud ſimulationis.

CAPUT VIII.

Athanaſius correctus.

MEndoſus eſt locus Athanaſii in libro de Synodis Arimini & Seleuciae pag. 884. ubi blaſphemias Arii refert: ἴσον δὲ υἱῷ γεννῆσαι δυνατός ἐστιν ὁ κρείττων. διαφορώτερον δὲ ἢ κρείτ-

rum confluxiſſe audiviſſent ejus propinqui, egreſſi ſunt, ut eum tenerent: dicebant enim homines, eum mente non amplius conſtare. Adeo ut verba illa ὅτι ἐξέστη ad populum referenda ſint. Nam ſcrupulus ille, quem ſine cauſſa fingunt, & de quo ſollicitus etiam videtur Valeſius, de injuria & contumelia, ſi ſic interpretemur, Chriſto inlata, non magni videtur eſſe momenti, neque retinuit etiam Raphelium, quo vix quisquam ex antiquis Scriptoribus utiliorem Novo Teſtamento navavit operam, quin in Adnotat. Philolog. ex Polyb. & Arrian. in N. T. ad h. l. iisdem veſtigiis inſiſteret. Ille enim pag. 122. & ſeqq. prolixe oſtendit, verbum hoc accipiendum de tali animi mutatione, qua quis ex ſtatu mentis dejicitur, vel ita commovetur, ut ſanus non adpareat. Plures ſuper hoc loco Interpretum diſſenſiones apud Celeb. Wolfium videri poſſunt.

Digitized by Google

ἢ κρείττονα ἢ μείζονα. οὐχὶ. Θεοῦ θελήσει ὁ υἱὸς ἡλίκος καὶ ὅσος ἐστὶν, ἐξ ὅτε καὶ ἀφ' οὗ, καὶ ὑπό τότε ἐκ τοῦ Θεοῦ ὑπέστη. Nihil erat facilius, quam hunc locum reſtituere, mutata tantum diſtinctione in hunc modum; ἢ μείζονα οὐχί. id eſt, *pater poteſt quidem aequalem filio generare, praeſtantiorem vero ac meliorem & majorem non poteſt.*

CAPUT IX.

Atticus & Critobulus apud Hieronymum quinam?

SCripſit Hieronymus dialogos tres adverſus haereſin Pelagianorum, in quibus Critobulum quidem ex parte Pelagii, Atticum vero pro Catholicis loquentem inducit. Et nomina quidem ipſa ab Hieronymo ficta eſſe adparet: Sed tamen non ſine ratione ac certo quodam judicio his eum nominibus uſum eſſe credendum eſt. Videamus igitur, quid haec nomina ſibi velint. Atticum quidem pro Catholico poſuit, vel eo quod Atticus Conſtantinop. Epiſcopus Pelagianos in urbe regia clandeſtinis artibus graſſantes convicit ac repulit, ut teſtatur Proſper in lib. adverſus Ingratos: vel eo adludit Hieronymus, quod olim Attica fides proverbio celebrata eſt. De Critobulo difficilior quaeſtio. An Critobulum vocavit Pelagianae haereſis defenſorem, quaſi fallacem ac mendacem, cujuſmodi ſunt ingenio Cretenſes: atque ita *Cretobulus* ſcribendum fuerit. An potius *Cryptobulum* ſcripſit Hieronymus, cum deſignare vellet Pelagianos, qui ſententiam ſuam callide occultabant. Id certe peculiare fuiſſe Pelagianis teſtatur idem Hieronymus tum in illis dialogis, tum in epiſtola ad Cteſiphontem adverſus Pelagianos his verbis, Pelagium adloquens: *Noſti enim quid intrinſecus diſcipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud celans conſcientia:* & rurſus in fine epiſtolae: *Aliud audiunt cubiculorum tuorum ſecreta, aliud Roſtra populi* &c. *Eunomiani, Ariani, Macedoniani, nominibus ſeparati, impietate concordes nullum nobis laborem faciunt: loquuntur enim quod ſentiunt. Sola haec haereſis eſt, quae publice erubeſcit loqui, quod ſecreto docere non metuit.* Quin etiam Proſper in libro de Ingratis idem ſaepius notat, ut cum dicit de Attico: (a)

Quid loquar & curam, magna quam geſſit in urbe
Conſtantinopoli, docto bonus ore ſacerdos
Atticus, antiqua legatos haereticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda,
Quamvis ſe obducto tegerent velamine, forma
Judicii, & tacitae tulerint tormenta repulſae.

Et paullo poſt de Auguſtino loquens:

Nam quocunque gradum convertit callidus hoſtis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occurſu eſt praeventus &c.

C A-

(a) Pag. 665. & 666. inter Poëtas Chriſtianos a Georgio Fabricio editos, ubi habetur elegans illud pro aetate, qua vixit, Proſperi de Ingratis carmen, ex quo verſus hos adfert Valeſius. Scripſit autem illud Proſper contra Pelagianos & ſemi-Pelegianos, quos ita vocat tamquam erga gratiam divinam ingratos. Vid. Voſſium Lib. I. Hiſt. Pelag. Cap. 18.

CAPUT X.

Hieronymus explicatus.

OBſcurum eſt, quid ſibi voluerit Hieronymus in praefatione ad Ezechielem, cum ait: *Scorpiusque inter Enceladum & Porphyrium Trinacriae humo premitur, & Hydra multorum capitum contra nos aliquando ſibilare ceſſavit* &c. ego (*a*) Rufinum hic deſignari non dubito, qui poſt captam a Gothis urbem Romam, de cujus excidio hic loquitur Hieronymus, in Siciliam ſe contulit, ubi Origenis libros, quibus librum Numerorum expoſuerat, in Latinum ſermonem convertit. Id teſtatur ipſemet Rufinus in praefatione ad Urſatium, quam manuſcriptam habeo ex Bibliotheca Bigotiana. Porro Hieronymus ideo Porphyrium junxit Encelado, quod Porphyrius diriſſimus hoſtis nominis Chriſtiani vixit in Sicilia, ibique libros ſcripſit adverſus Chriſtianos. Idem Hieronymus in epitaphio Marcellae, Rufinum ſimiliter ſcorpium vocat.

CAPUT. XI.

Hieronymus correctus.

IN epiſtola Beati Hieronymi ad Paulinum de inſtitutione monachi, leve mendum eſt, quod miror a doctis interpretibus non eſſe ſublatum. Sic enim ait Hieronymus: *Si crucis & reſurrectionis loca non eſſent in urbe celeberrima, in qua Curia, in qua aula militum, in qua ſcorta, mimi, ſcurrae, & omnia ſunt, quae ſolent eſſe in caeteris urbibus &c.* Ego non dubito, quin ſcripſerit Hieronymus, *in qua ala militum.* Erant enim equites Mauri Illyriciani in urbe Aelia ſub diſpoſitione ducis Palaeſtinae, ut teſtatur Notitia imperii Romani. Curiae autem nomine intelligit Hieronymus ſenatum municipalem, ſive ordinem Decurionum.

C CA-

(*a*) Non latuit hoc G. J. Voſſio, qui Lib. I. Hiſtor. Pelag. Cap. 3. pag. 9. adducto eodem hoc Hieronymi loco ad verba illa haec notat: „ Nam per Scorpium ſignat Rufinum, quem ſimiliter vocat in fine Epiſt. LIX. ad Avit. & Epiſt. XVI. ad Princip. ubi ſcribit, Origenis libros *περὶ ἀρχῶν* manu „ ſcorpii, hoc eſt, Rufini, fuiſſe emendatos. Etiam Pagius in Critica ad Baron. ad A. C. 302. § 10. *Scorpii* nomine Rufinum, qui capta Roma in Siciliam ſe receperat, intelligi notavit. Eumdem hunc Rufinum Hieronymus, quando in eum invehitur, alio titulo non minus acerbo alibi vocat *Grunnium*, ut monuit Voſſius ibid. pag. 6. vid. etiam Noris. Hiſt. Pelag, Lib. I, Cap. 2.

CAPUT XII.

Jul. Pollux emendatus.

JUlii Pollucis Onomaſtico operam commodabimus, quod quidem corruptiſſimum ad nos pervenit. Ac primum monendus eſt lector de Operis titulo, plurali efferendum videri, quemadmodum jubent manuſcripti codices, in quibus titulus ita conceptus eſt, Ἰουλ· τοῦ Πολυδεύκους ὀνομαστικῶν. Unde etiam illud apparet, hos Pollucis libros ex majori opere excerptos eſſe. Sane Graeci hujusmodi libros (a) Ὀνομαστικὰ, ſive Ὀνομασίας vocabant, ut videre eſt apud Heſychium in voce ἄμωμον. Porro hi libri longe a lexicis differebant: nam Lexica quidem κατὰ στοιχεῖον procedebant, & ſingula nomina ordine alphabetico explicabant: Ὀνομαστικὰ vero omnia ſimul nomina, quae ad idem argumentum pertinent, collecta referebant, addita plerumque obſcuriorum nominum explicatione. Id quod manifeſte apparet ex Tryphonis Ὀνομαστικῶν libro, quem laudat Athenaeus in Libro XIV. Cap. 2. omnes enim συναυλιῶν ſpecies, ſeu cantationum ad tibiam, ſimul commemorat Trypho, quemadmodum videre eſt apud Athenaeum. Itaque onomaſtica ſeu vocabularia ſunt veluti penu quoddam ac theſaurus nominum atque verborum ei, qui ad eloquentiam aſpirare vult, utilis inprimis ac neceſſarius; cum lexica ſeu dictionaria Grammaticis fere ſolis conveniant, & ad interpretationem ſolummodo conducant. Proinde non alienum fuit a Polluce, qui ſophiſta erat & eloquentiae Magiſter, onomaſtica conſcribere, quippe quae maximo uſui ſint ad facundiae gloriam comparandam.

CAPUT XIII.

Julius Pollux correctus.

NUllum hic librorum ordinem ſervare conſtitui: itaque primo ſaltu veniamus ad librum IX. Cap. 6. ſect. 74. in quo Pollux de variis nummorum vocabulis diſſerit, aitque inter caetera nummi genus apud antiquos fuiſſe, quod κόρη diceretur: idque ut probet, Hyperidis teſtimonio utitur. Sic enim habet: ὡς Ὑπερείδης τῷ παιδίῳ τῷ ἐν Βραυρῶνι ἱερείας τῶν ἀναθημάτων τι λαβόντι παραβληθεῖσαν λέγων ἐπὶ πυρῷ συνέσεως κόρην. Scribe meo periculo, (b) ἐπὶ πείρᾳ συνέσεως. id eſt, *ut cum Hyperi-*

(a) De hac re, & diſcrimine inter Onomaſtica, Lexica, Gloſſaria &c. videri meretur, quae prolixe diſſeruit Cl. Hemſterhuſius noſter in erudita ad Pollucem Praefatione pag. 33. & ſeqq.

(b) Ita etiam Kuhnius correxit in notis ad ipſum Pollucem, & ad Aelian. Lib. V. Cap. 16.

Hoc

perides dicit puero ſacerdotis Brauroniae, qui ex donariis templi aliquid ſuffuratus fuerat, oblatam eſſe a Judicibus Coram, ut prudentiae ipſius periculum facerent. Sed ex Hyperidis verbis colligi nullo modo poteſt, κόρην nummi genus fuiſſe. Nec dubito quin erraverit Julius Pollux, qui κόρην pro *nummo* accepit, cum nihil aliud ſignificet in eo Hyperidis loco, quam *puppam.* Nam cum Judices experiri vellent prudentiam pueri illius, qui donarium ſuffuratus fuerat, objecerunt illi hinc puppam, illinc donarium aureum: & cum puer, ſpreta puppa, aurum apprehendiſſet, damnatus eſt a Judicibus tanquam ſacrilegus, nec veniam aetati pueri dederunt, quippe qui ſciens ac prudens peccaviſſet. Hanc eandem hiſtoriam uberius refert Aelianus in Libro V. Variae Hiſtoriae Cap. 16. *cum puer*, inquit, *auream laminam, quae ex Dianae corona deciderat, ſuſtuliſſet, non latuit. Judices igitur crepundia & talos puero propoſuerunt, & auream laminam; qui cum iterum ad aurum ſe contuliſſet, capite damnatus eſt ut ſacrilegus.* Vides παίγνια καὶ ἀστραγάλους ab Aeliano dici pro eo, quod Hyperides κόρην vocavit: ut jam nullum dubium ſit, quin Hyperides in eo loco *puppam* dicere voluerit.

Nec dubito quin erraverit Julius Pollux &c.] Difficilis ſane eſt hic Pollucis locus, in quo κόρην vertebunt *numiſma*, cum tamen ex loco Aeliani, in fine hujus capitis a Valeſio adducto, pateat, optime eum κόρην reddere *puppam*. Aeliano παίγνια, *crepundia.* Fluctuaſſe etiam quondam hoc in loco cum viderem Cl. Hemſterhuſium, neque ſatis ſe in notis ad Pollucem expediviſſe, cur κόραι dicta fuerint haec numiſmata, operae pretium exiſtimavi ſuper hoc loco eruditiſſimum ipſius Pollucis Editorem amplius conſulere. Itaque ſequentia haec ad locum hunc illuſtrandum mecum, qua eſt humanitate, communicavit, quae Lectori non invidebo: „ Si vera eſt, quam praebet optimus Codex Palatinus, cum quo
„ reliqui conſpirant, probavitque Jungermannus, ſcriptura, Ὑπερείδης λέγει ἐπὶ παιδὸς συνιέντος
„ κόρην τετράδραχμον· καίτοι ἡ τετράδραχμον ἐλθών, δόξας διαπεφευγέναι ὅτι ὁ κόρος δύνασθαι, profecto
„ non video, quid aliud ex Hyperidis verbis intelligi poſſit, quam κόρην ab Athenienſibus quidem adpel-
„ lari nummum τετράδραχμον· atque adeo cauſa vix erit, cur Pollux erroris accuſetur. Neque tamen
„ non fateor, re ipſa, Aelianique loco conſideratis, Valeſii κόρην objectam puero *puppam* explicantis
„ veroſimillimam videri ſententiam. Quid ergo fiet membranarum lectione, cum qua certe haec expli-
„ catio conciliari nequit? Unde porro natum erit in Vulgatis Edd. Κόρην· εἶπεν δ' ἂν τὴν τετράδραχμον;
„ quae vetuſti libri plane reſpuunt. Periclitemur conjecturam, qua non tantum Polluci ſimul & Valeſio
„ conſulatur, ſed haec quoque difficultas ex parte ſaltem levetur. In Hyperidis exemplari, quod Pol-
„ luci fuit ad manus, credamus illam extitiſſe lectionem, quam Onomaſtici membranae praeferunt: ea
„ mutila librariorum errore, unoque & altero vocabulo deſtituta Pollucem decepit, induxitque ut,
„ quamvis verba ad iſtam opinionem ſponte ducerent, perperam tamen κόρην eſſe τετράδραχμον colligeret.
„ Deinde lector diligens ex Hyperidis emendatiore libro ad marginem adlevit, ἴψια τ' ἄλλα, vel
„ ἄθλα καὶ, inferenda ſcilicet inter κόρην & τετράδραχμον. Vox ignorabilis ἴψια naſutulo librario anſam
„ dedit invitum Pollucem corruptela ſua locupletandi. εἶπεν δ' ἄν. inde prodiit iſta vulgatarum Edd.
„ lectio. Jam ſi revera Hyperidem ſcripſiſſe ponas κόρην ἴψια τ' ἄθλα, καὶ τετράδραχμον, nodus intri-
„ catiſſimus hoc pacto fuerit ſolutus, & ſtabit Valeſii interpretatio. Ἴψια vero vox quidem rarior &
„ Ionica, ſed idem, quod Aeliani παίγνια, ſignificans: notant autem veteres in Hyperide & Dinarcho
„ peregrina nonnumquam vocabula reperiri: ideo quae Demoſthenis inſcribitur adverſus Euergum &
„ Mneſibulum oratio, ab aliis Dinarcho potius fuit adtributa, quia in ea ἐκκαλίστρειν Ionicae formae con-
„ tra morem Demoſthenis legebatur: v. Harpocr. in Ἐκκαλίστρειν· Valeſius in Polluce priori vitio medici-
„ nam adtuliſſe contentus, poſterius ulcus non tetigit. Haec Cl. Hemſterhuſius.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Jul. Pollux emendatus.

IN eodem Pollucis capite locus eſt longe corruptiſſimus. Loquens enim de iis, qui primi nummum percuſſerunt atque ſignarunt ſect. 83. ait inter veteres parum convenire, εἴτε Φείδων πρῶτος ὁ Ἀργεῖος ἔκοψε νόμισμα, εἴτε δημοτικῇ ἡ Κυμαία συνοικήσας, εἴτε Ἀθηναῖοι Ἐριχθόνιος &c. Salmaſius quidem in libro de Uſuris pag. 423. hunc locum ſic emendare tentavit; εἴ τε Δημοῦ ἡ Κεία ἡ Κυμαία τοῖς Κείοις ἢ Κυμαίοις &c. quod nulla ratione & auctoritate nititur. Ego vero veram ejus loci emendationem jam pridem deprehendi ex Heraclidis libro de Republ. Cumaeorum: refert is Hermodicen Midae illius Phrygiae Regis conjugem, non ſolum forma excellenti praeditam fuiſſe, ſed prudentia quoque & induſtria fuiſſe pluſquam muliebri; primamque omnium nummum percuſſiſſe apud Cumaeos, καὶ πρώτην νόμισμα κόψαι Κυμαίοις. Ex quo apparet ſcribendum eſſe apud Pollucem, (a) εἴτε Ἑρμοδίκη ἡ Κυμαία συνοικήσασα τῷ Μίδᾳ. Conjecturam noſtram confirmat codex manuſcriptus Iſaaci Voſſii, qui hunc Pollucis locum ſic exhibet: εἴτε Δημοδίκη ἡ Κυμαία συνοικήσασα Μίδᾳ τῷ Φρυγὶ, παῖς δ' ἦν Ἀγαμέμνονος Κυμαίων βασιλέως· εἴτε Ἀθηναῖοι, Ἐριχθόνιος καὶ Λύκος, εἴτε Λυδοὶ &c. Et paulo poſt idem manuſcriptus ſic habet: οἱ Μιτυληναῖοι μὲν Σαπφὼ τῷ νομίσματι ἐνεχαράξαντο, Χῖοι δὲ Ὅμηρον, Ἰασεῖς δὲ παῖδα δελφῖνι ἐποχούμενον. ubi vides, quantum utile ſit vetuſtos libros conſulere, nec fruſtra nos laboraſſe, ut ſcriptorum codicum lectionem inquireremus: plus enim invenimus, quam ſperabamus; quippe qui non ſolum nomen conjugis Midae, verum etiam patris illius vocabulum deprehenderimus. Fuit ergo Hermodice ſeu Demodice Agamemnonis Cumaeorum regis filia.

CAPUT XV.

Jul. Pollux emendatus.

LIber octavus Pollucis vel eo maxime commendabilis eſt, quod totam paene Athenienſium antiquitatem complectitur; ac praecipue ea, quae ad rem foren-

(a) Emendationem hanc ex Voſſiano itidem codice, & eodem Heraclidis teſtimonio dedit etiam in notis Kuhnius: ſed recte monuiſſe videtur Cl. Hemſterſtuſius in Heraclide pro Ἑρμοδίκην ex Polluce reſtituendum eſſe Δημοδίκην. quamquam perinde eſſe putet Kuhnius, *Hermodicen* dicamus, an vero *Demodicen*, quod Valeſium itidem exiſtimaſſe patet ex ultimis ejus in hoc capite verbis. Demodicen tamen omnino apud Heraclidem reponendum videri cenſuit Franc. Junius Catal. Artif. p. 73. ubi, poſtquam integrum Pollucis locum, ut legitur & ſuppletur in optimae notae Voſſiano Cod. MS. protuliſſet, haec addidit: *Hunc locum aliquanto fuſius, quam res poſtulabat, transſcripſi, ut erudito lectori qualemcumque guſtum inſignis MS. exhiberem. Miſere interim in emendando iſthoc loco ſemet ipſum torquet Cl. Salmaſius de Uſur.* p. 423.

renſem & magiſtratus pertinent. Quapropter non mediocrem gratiam a ſtudioſis initurum me ſpero, ſi locos quosdam ejus libri corruptiſſimos emendavero. In Capite igitur IX. ſectione 100. agens de Magiſtratibus quibusdam, qui quadraginta dicebantur, haec habet: οἱ δὲ τεσσαράκοντα πρότερον μὲν ἦσαν τριάκοντα. οἱ περιϊόντες κατὰ δήμους, τὰ μέχρι δέκα δραχμῶν δίκας ἐδίκαζον. τὰ δὲ ὑπὲρ ταῦτα διαιτηταῖς παρεδίδοσαν. μετὰ τὴν τῶν τριάκοντα ὀλιγαρχίαν, μέσον δὲ ἀριθμῶ. τῶν τριάκοντα καὶ τεσσαράκοντα, ἐγένοντο χίλιοι καὶ διακόσιοι &c. quae ſic vertit interpres; *quadraginta autem, primum triginta ſoli erant, qui per populum obeuntes, ea quae ad decem drachmarum ſummam accedebant, dijudicabant: ſed quae ultra hanc excedebant, Arbitris transferebant. Poſt triginta Oligarchiam, medii inter triginta numerum, & quadraginta fuere, mille & ducenti* &c. Quis amabo eſt, qui ex his verbis ullum tolerabilem ſenſum elicere poſſit? Ego vero non dubito, quin a Polluce ſcriptum ſit, μετὰ δὲ τὴν τῶν τριάκοντα ὀλιγαρχίαν, μίσει δὲ ἀριθμῶ τῶν τριάκοντα, τεσσαράκοντα ἐγένοντο: & poſt haec ſcribe a capite, χίλιοι καὶ διακόσιοι. Eſt enim nova ſectio, in qua de mille ac ducentis agit, qui publica munera obibant. Totum igitur hunc locum ſic interpretor: *Quadraginta olim quidem erant triginta duntaxat, qui per vicos obeuntes, intra decem drachmas judicabant: quae vero eam aeſtimationem excedebant negotia, ad arbitros remittebant. Poſt tyrannidem autem triginta virorum in odium numeri tricenarii, quadraginta conſtituti ſunt.* Confirmat hanc emendationem noſtram Harpocratio, qui ſic ait in voce Κατὰ δήμους δικαστάς. περὶ τῶν κατὰ δήμους δικαστῶν, ὡς πρότερον μὲν ἦσαν τριάκοντα, καὶ κατὰ δήμους περιϊόντες ἐδίκαζον, εἶτα ἐγένοντο τεσσαράκοντα, εἴρηκεν Ἀριστοτέλης &c. De iisdem quadraginta viris loquitur Pollux in libro IX. Cap. 7. ſect. 101. ubi de jactu talorum diſſerit, unumque ex iis Euripidem dictum eſſe commemorat: ἐπὶ μὲν τοῖς τεσσαράκοντα τοῖς μετὰ τοὺς τριάκοντα προεστᾶσιν Ἀθήνῃσι συνῆξεν Εὐελπίδης &c. Eadem habet Euſtathius in Ἰλ. ψ pag. 1289. ἐλέγετο δὲ ἐκαλεῖτο Εὐελπίδης ἡ σημαίνουσα τὰ τεσσαράκοντα, ἐπειδὴ δοκεῖ ὁ Εὐελπίδης συνάξαι τοὺς ἐν Ἀθήναις τεσσαράκοντα προστατῶν μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν τριάκοντα. De iisdem loquitur etiam Demoſthenes tum in oratione adverſus Timocratem, tum in ea adverſus Pantaenetum.

CAPUT XVI.

Jul. Pollux emendatus.

IN eodem Capite VIII. ſectione 98. ſimilis fere error eſt ſuperiori, quem in praecedenti Capite notavimus: confuſae enim ſunt inter ſe ſectiones duae, & initium ſectionis tertiae decimae ad duodecimam pertinet. Proinde ſic ſcribendum eſt.

(a) Ita etiam ex Codd. MSS corrigendum eſſe monuerunt Jungermannus & Kuhnius. Valeſius autem hanc emendationem etiam dederat in notis ad Harpocrat. pag. 43. Ed. Blancard. ubi pleraque eadem, quae in hoc capite, habet.

eſt. (a) Ἀντιγραφεὺς πρότερον μὲν αἱρετὸς, αὖθις δὲ κληρωτὸς ἦν. καὶ πάντα ἀντεγράφετο παρακαθήμενος τῇ βουλῇ. Δύο δὲ ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως. Poſtea ſcribe a capite.

Λογισταί·

Καὶ τούτοις &c. quam quidem emendationem, ſeu potius diſtinctionem, aperte confirmat Harpocratio in voce Ἀντιγραφεύς· ex his porro, quae tum in hoc, tum in ſuperiori capite notavimus, ſatis apparet titulos ſectionum in recto caſu concipi debere, non ut vulgo editi ſunt, περὶ λογιστῶν, & ſimiliter.

CAPUT XVII.

Artemidorus explicatus.

ELegantiſſimus eſt Liber Artemidori de interpretatione ſomniorum. Nam & plurimos continet ritus Graecorum pariter ac Romanorum; &, tametſi argumentum ipſum tenue eſt ac futile, ſerio tamen & magno cum judicio pertractatur. Sed dolendum eſt, quod liber ille de interpretatione ſomniorum, malum interpretem ſortitus eſt, qui ſomnia ſua interdum lectori proponit verſionis loco. Exemplo ſit hic locus ex Lib. I. Cap. 58. ubi docet Artemidorus, quid ſignificet in ſomnis praeconium exercere: πλὴν ὅτι τοὺς δούλους οὐ χάριτι τῶν δεσποτῶν ἐλευθέρους ἀλλὰ ἀναφωνήσαντας ἐλευθερωθῆναι λέγει. Quae verba Joannes Cornarius ita vertit: *praeconem agere eadem quae buccinare ſignificat. Praeterquam quod ſervos invitis dominis liberat, & praeconio publico liberatum iri dicit.* Non intellexit Cornarius quid eſſet ἀναφωνῆσαι, ideoque hunc locum perperam interpretatus eſt. Eſt autem ἀναφωνῆσαι, *proclamare in libertatem*, ut loquuntur Juriſconſulti in titulo de liberali cauſa, quo ſenſu uſurpatur a Plutarcho in Ciceronis vita (pag. 874. D.) ubi de quodam M. Gellio loquitur, qui ſervili genere ortus ferebatur: is cum literas quaſdam in ſenatu recitaret magna voce; *Nolite mirari Patres Conſcripti*, (inquit Cicero) *hic enim unus eſt ex iis, qui in libertatem proclamarunt:* καὶ αὐτὸς εἷς ἐστὶ τῶν ἀναπεφωνηκότων· & ita interpretandum eſſe Plutarchi locum primus monuit Cujacius, teſte Frederico Morello in notis ad Dionem. (p. 76.) Johannes Chryſoſt. in oratione 6. adverſus Judaeos, ἀναβοᾷν ἐλευθερίαν pro eodem videtur poſuiſſe: ſic enim ait; ἂν σὺ τὸν οἰκέτην μαστίξῃς τὸν σὸν, ἅτε ἐκεῖνος τριάκοντα, ἢ πεντήκοντα λαβὼν πληγὰς, ἀθῴως ἐλευθερίαν ἀναβοήσῃ·

C A-

(a) Hanc itidem correctionem dederat Valeſius ad Harpocration. pag. 8. & illic monuit verba illa ex Sect. 99. Δύο δὲ ἦσαν &c. conjungenda eſſe cum ſuperiori Sectione.

CAPUT XVIII.

Artemidorus emendatus.

IN eodem Libro Cap. 66. ubi de lavacris agitur, locus eſt aſteriſco notatus, ἀγωνίαν ϗ δεῖκα τῆς ψυχῆς· legendum videtur (a) δεῖμα· ait enim Artemidorus lavacrum in ſomnis portendere animi anxietatem & timorem, eo quod inter lavandum color cutis mutari ſolet & pallorem contrahere. In Capite 30. quod eſt de re venerea, ubi legitur γυναιξὶ ἢ ἑταίραις ταῖς ἐπὶ καυστηρίοις ἑστώσαις μίγνυσθ &c. ſcribe meo periculo, ἐν (b) καμαρείοις. Sic antiqui vocabant lupanaria, & meretrices καμαρίδας· dicebant etiam καμαρεῖον, teſte Heſychio.

CAPUT XIX.

Artemidorus explicatus.

IN Lib. II. Artemidori Cap. 49. ubi recenſentur antiqui ſcriptores, qui de ſomniis ſcripſerant, graviter allucinatus eſt Cornarius. Cum enim Artemidorus ſcripſiſſet veteres illos in ſuis libris nihil fere praeter Imperia & Curationes Serapidis retuliſſe (graeca ſic habent: ϗ μάλιστα συνταγὰς ϗ θεραπείας τὰς ἀπὸ Σαράπιδος δοθείσας) Cornarius ſic vertit: *praeſertim compoſitiones medicamentorum ac curationes a Serapide datas.* Atqui συνταγὰς nullo modo ſignificat *compoſitiones medicamentorum*: ſed *imperia*, & *juſſus*, & *praecepta*, quae conſulentibus dabat Serapis; ut videre eſt in orationibus ſacris Ariſtidis. Atque interdum Serapis non pharmacum ullum, ſed lavacrum, aut quid ſimile praecipiebat: & hoc ſenſu συνταγὰς uſurpat Artemidorus in Lib. IV. Cap. 24.

In Cap. 62. ejuſdem libri corrigenda eſt interpretatio Cornarii; εἰ δέ τι οἱ νεκροὶ λαμβάνοιεν οἷον νεκροῖς συντίθενται, ἀσύμφορον. Vertit Cornarius: *ſi vero acceperint quid tale mortui, qualia mortuis dicantur, incommodum eſt.* Quin potius vertendum fuiſſet, *qualia cum mortuis condi ſolent.* Sic in Lib. IV. Cap. 24. uſurpat Artemidorus. Cum mor-

(a) Rigaltius in Notis exhibet ϗ καὶ δέος; unde fecit ϗ καὶ δειλά. Sed veriſſima eſt Valeſii emendatio & explicatio.

(b) Eandem etiam in hoc Artemidori loco emendationem, quae indubitata eſt, fecerat Heraldus notis ad Arnob Lib II. pag. 106. eamque pluribus adſtruit in Obſerv & Emendat Cap. 33. Tom II. Theſ. Jur. Heſychii locus eam egregie confirmat; Καμάρα, καμαρίς, πόρνη. Καμαρεῖται; οἴκοι ἐφ᾽ ὧν αἱ πόρναι ἐκαθίζοντο, ὅθεν καὶ τὰς πόρνας καμαρίτιδας ἔλεγον. & paullo poſt καμαρεῖον explicat πορνεῖον ex quibus patet falli Scaligerum ad Catalecta pag. 228. qui depravata Artemidori καυστήρια καλίνας explicat, & eadem eſſe putabat, quae ἰωτῆρες apud Ariſtophanem dicuntur.

Digitized by Google

mortuis autem condi ſolebant veſtes, arma & ſimilia, ut in funere Pallantis apud Virgilium. (*a*)

CAPUT XX.

Artemidorus correctus.

IN Lib. III. Cap. 31. de Imaginibus, ait Artemidorus imagines in ſomnis viſas, liberos ſignificare, itemque voluptatem ejus, qui viderit: liberos quidem, eo quod liberi imago ſunt parentum: voluptatem vero, eo quod omnes imaginibus delectentur. Graeca ſic habent, *διὰ τὸ ἐπαγγέλλεσθαι πάντας εἰκόσιν*. Scribe omnino (*b*) *ἐπαγάλλεσθαι*. qua voce utitur Artemidorus in Cap. 70. Libri V.

CAPUT XXI.

Artemidorus emendatus.

IN Lib. IV. ejuſdem Artemidori, Cap. 3. locus eſt quidam prava interpunctione corruptus, quae interpreti tenebras offudit. Agens enim Artemidorus de princi-piis

(*a*) Initio libri XI. Aeneidos, ubi Pallantis exſequias deſcribit. Locus autem ad ritum hunc faciens, quem reſpexit Valeſius, eſt v. 72.

Tunc geminas veſtes, auroque oſtroque rigentes
Extulit Æneas & ſeqq.

Cui ſimilis eſt locus ex Lib. VI. AEn. 221. in funere Miſeni

. . . tum membra toro defleta reponunt;
Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota,
Injiciunt.

Illuſtris de hoc more locus eſt apud Aelian. Lib. VII. Var. Hiſt. Cap. 8 *ὅπλα αὐτῷ εἰς τὴν πυρὰν ἐνέβαλε, καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον τῷ νεκρῷ συνέκαυσε, καὶ ἐσθῆτα τὴν μέγα τιμίαν ἐν Πέρσαις. Arma ipſi in pyram injecit, & aurum atque argentum ſimul cum cadavere conſumſit, itemque veſtem illam pretioſiſſimam apud Perſas*: ubi quaedam habet Perizonius. Sed de ritu hoc ſatis noto & a Viris Doctis abunde obſervato plura notare non attinet, ne aliorum ſcrinia compilem, ad exemplum capitalis illius in re Literaria Autolyci, Lamperti Alardi, qui in notis ad Valer. Flac. Lib. III. v. 312. multa congeſſit de hoc veterum more, ſed quae omnia, ut ubique facit, pudendum in modum atque importuno latrocinio totidem verbis, & omnibus veterum locis, ne ordine quidem immutato, deſcripſit ex Kirchmanno Lib III. de Funerib. Roman. Cap. 5. quod inſigne ejus plagium addi meretur illis, quae de Literario hoc pirata collegit Broukhuſius ad Propert. Lib. II. El. 7. v. 17 ubi ingentem Alardi furtorum ſeriem & catalogum exhibet Sed haec *ἐν παρόδῳ*.

(*b*) Ita etiam in hoc Artemidori loco corrigendum Vidit Vir Clariſſimus & egregium quondam in hac Academia Muſarum Graecarum decus Lamb. Bos in Obſervat. Critic. Cap. XXIII. pag. 103.

piis & elementis artis ſuae, ait quaecunque ab hominibus aguntur, ea partim artificioſe fieri, partim inartificioſe. Artificioſe quidem agunt, qui periti ſunt; inartificioſe vero inperiti. Artem vero definiunt, collectionem ex multis meditationibus, quae utilem aliquem finem propoſitum habent. Haec eſt ſententia Artemidori, qui hanc definitionem a Stoicis mutuatus eſt. Scribe igitur in graeco textu: ἀτεχνῶς ἢ οἱ μὴ τέχνην ἢ σύστημα. Paulo poſt in eodem capite lege: Ἀριστείδης ὁ νομικὸς καίτοι ἴδιον ἔχων &c.

In Cap. autem 24. quod eſt de praeceptionibus Deorum, qui certas curationes aegris praecipiebant (ſic enim συνταγὰς interpretari oportet) graviora ſunt menda, quam ut conjectura ſanari poſſint. Conabor tamen pro virili parte opem aliquam adferre. Ait igitur Artemidorus pleraſque hujuſmodi praeceptiones, quas quidam in literas retulerunt, prorſus ridiculas eſſe, quippe cum documenta ſint ſcriptorum otio abutentium, non autem viſa, quae aegrotis hominibus miſſa ſunt a Diis immortalibus ad eorum curationem. Verbi gratia, cum neſcio quis ſcribit praeceptum eſſe cuidam, per hiemem ut juſculo Nereidum uteretur, hic mihi Chelas Pelamidum prae caeteris optimas & jucundiſſimas videtur exiſtimare: eadem ratione, Jovis cerebrum, id eſt, Galli Gallinacei; & Indos mordentes praeceptos. eſſe ajunt, id eſt, piper, eo quod piper nigrum eſt, & palatum mordet: ſimiliter lac virginis, & aſtrorum ſanguinem, pro rore: denique ovem Creticam pro malo Cydonio. Haec ſententia eſt Artemidori, ſed verba ejus corrupta ſunt, quae ſic reſtituo: ὅτι ἢ ὡς ἀναγεγράφασί τινες &c. mox ſcribe meo periculo, ὅταν γάρ τις λέγῃ Νηρηΐδων ζωμὸν &c. jam illa, quae ſic hodie leguntur, καὶ πελωρίου ἐγκέφαλον, καὶ ἀλεκτρυόνος, fortaſſe ſic reſtituenda ſunt, καὶ Διὸς ἐγκέφαλον, τὸ ἀλεκ. proverbialis fuit locutio de eduliis quibuſdam admodum raris, Διὸς ἐγκέφαλος, ut tradit Heſychius. (a) Ennius de ſcaro piſce:

> —— —— —— —— *ſed quid*
> *Scarum praeterii, cerebrum Jovis paene ſupremi.*

Quod ſi cui haec emendatio minus arridet, poſſit etiam legere καὶ Πέρσου ἐγκέφαλον· nam Gallus a Graecis μηδικὸς ὄρνις eſt appellatus. In ſequentibus minor eſt difficultas; nec enim dubium eſt, quin Artemidorus ſcripſerit πέπερι ὅτι μέλαν &c. item ἄστρων αἷμα, δρόσον. Sequenti pagina locus eſt mendoſus: ἢ ἀπὸ ἱερῶν, ἢ ἐμπείρων, εἰ λαβόντες, αὐτὸ φέροιεν· lege meo periculo: ἢ ἀπὸ ἱερῶν ἐμπύρων τι λαβόντες, αὐτὸ φέροιεν. &c. id eſt, *aut ex ſacris victimis quae adolentur, aliquid auferentes, domum re-*

por-

(a) Hic Ennii verſus legitur apud Apulej. Apolog I. pag. 335. Edit. Colvii, quem vide in notis p. 453. praecipue Scip. Gentilem pag. 202. Hoc autem proverbium Διὸς ἐγκέφαλος, *Jovis cerebrum*, de lautitiis & deliciis omnes Paroemiographi interpretantur, & tradunt apud Perſas ſimiliter lautas epulas *Jovis cerebrum* vocatas eſſe. Vid. Eraſm. in Adagior. Chiliadib pag. 444. & Schottum ad Zenob. Cent. III. Prov. 41. apud quos tamen vitioſe in hoc Ennii verſu legitur, *Quid ſacrum praeterii* &c. Suidas etiam hoc proverbium ita explicat: Διὸς ἐγκέφαλος· τὸ κάλλιστον βρῶμα, οὕτω λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἐπὶ τῶν ἡδυσμάτων. ἢ βασιλέως ἐγκέφαλος. Heſychius tamen, quem hic in rem ſuam adfert Valeſius, non de lautitiis & eduliis delicatis, ſed de rebus admodum divinis hoc proverbium interpretatur ex teſtimonio Clearchi, cum contra Zenobius utatur ejuſdem Clearchi teſtimonio ad priorem explicationem adſtruendam.

portent &c. ἔμπυρα Graeci vocabant victimas, quae adolebantur, ex quibus ſigna & auſpicia captabant, ut ſcribit Suidas. Paulo ante ubi de Frontone loquitur, qui cum arthritide laborans curationem a Diis popoſciſſet, viſus eſt ſibi in ſomnis deambulare in ſuburbiis, καὶ πυρπολήσει χρησάμενος παρηγορήθη, ſcribendum videtur περιπολήσει.

CAPUT XXII.

Artemidorus correctus.

ELuamus nunc alteram maculam ex Cap. 51. Libr. IV. Μένανδρος ἐν Ἑλλάδι ἔδοξεν ἐσταυρῶσθαι ἔμπροσθεν ἱερῦ Διὸς πόλεως. Scribe omnino Διὸς πολιέως quo nomine Jupiter ab Athenienſibus cultus eſt.

Veniamus ad librum quintum, Cap. 5. ubi narrat Artemidorus, ſomnium cujuſdam, qui ſibi viſus erat in ſomnis liquidum ſinapi bibere: infauſtum ait fuiſſe ſomnium reo, qui caedis accuſabatur, & cauſam hanc reddit: καὶ μὴν τὸ διαχυθὲν πρότερον ἀπὸ τῦ λεγομένυ ἠθμῦ: id eſt, *percolatum ſinapi bibit*: ἠθμὸς *colum* ſignificat, ut eſt in veteribus Gloſſis. In Cap. 56. ejuſdem libri. Δρομεὺς ἐν Ὀλυμπίᾳ. παιζῶν ςάδιον ἐστεφανωμένος. Scribe παίδων ςάδιον Erat enim duplex certamen, puerorum ſcilicet & virorum. Redeamus ad librum primum, in cujus Capite 56. quod eſt de ephebis ſeu tironibus ſcribe, ἔνδημον γὰρ χρὴ εἶναι τὸν ἔφηβον, ex Suida: paulo ante ſcribe, ὃν περὶ τὸν τόπον ἐξετάζειν χρή· in fine Capitis emenda, περὶ μὲν ἐγκρίσεως. Quid ſit ἔγκρισις athletarum docet Artemidorus in Lib. I. Cap. 61. Haec pueris proprie conveniebat: hi enim examinabantur, an aetatem idoneam ad certandum adtigiſſent, an eam exceſſiſſent: qui adtigerant, admittebantur a Judicibus, idque ἐγκρίνεσθαι dicebatur; cui contrarium erat ἐκκρίνεσθαι· Caeterum in illo Cap. 61. ſcribendum eſt ἀθληταῖς δὲ παισὶ μὲν οὐκ ἐπίσημον &c. & mox lege, τὸ δὲ δοκεῖν ἐκκρίνεσθαι &c. item Ὀλυμπιάσιν ἐκκρίνεσθαι. in Cap. 57. ubi legitur, ἀλῆρες δὲ, καὶ τὰ ἴδια τύτων γυμνάσια, ſcribe, καὶ ἡ διὰ τύτων γυμνασία.

CAPUT XXIII.

Menander Rhetor correctus.

INter Graecos (*a*) Rhetoras, olim ab Aldo Manutio editos, eſt Menandri Rhetoris liber admodum corruptus. Nam ut ab ipſo libri titulo incipiamus, quid ſibi volunt haec verba? Μενάνδρυ ῥήτορος γενεθλίων διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν; forte legendum eſt περὶ Γενέθλιον, vel ſane ἢ Γενεθλίυ. Fuit enim Genethlius Sophiſta celebris

(*a*) Valeſium emendandis Rhetoribus Graecis operam dediſſe patet ex illis, quae in his capitibus ab eo adferuntur, tum quod notata ſua ad decem Rhetoras citet ad Harpocration. pag. 57.

Jebris circa tempora Gallieni, aemulus Callinici Sophiſtae cognomento Sutorii, discipulus Minuciani Sophiſtae, ut teſtatur Suidas.

In capite quomodo laudandae ſint Urbes a genere ſeu a Conditoribus pag. 600. haec habet verba: ἡ τρίτη διαίρεσις κατὰ τὰ τελικὰ καλλήματα ϗ τὰ κεφάλαια. τοῦ μὲν τείνυν δικαίου, τὸ καὶ ἀκρίβειαν. ὅτι οἰκίσας αὐτὴν νομίμως, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι. εὐσεβὲς γὰρ τὸ δυσσεβὲς δίκαιον. Quae ſunt corruptiſſima, ut cuivis adparet. Sic autem emendanda mihi videntur: τὸ κατὰ Ῥήνειαν, ὅτι οἰκίσας αὐτὴν ὁ Μίνως ἀνεθ. τῷ Ἀπ. εὐσεβείας ἕνεκα. τὸ γὰρ εὐσεβὲς δίκαιον. (a) Rhenaea inſula eſt Delo vicina: quam condidit Minos, id eſt, colonis frequentavit, & Apollini conſecravit.

In Capite, quomodo Urbes laudandae a ſtudiis & inſtitutis, corrupta ſunt haec verba: ὅπερ ὁ Δίων ἐν τῷ παροίνῳ ἐπιγραφομένῳ πεποίηκεν. Scribendum puto ἐν τῷ Ταρσικῷ. Nam in Tarſicâ Oratione perſtringit Dio prauam quamdam Tarſenſium conſuetudinem, planeque inmodeſtam & indecoram, cui dediti erant ipſi etiam pueri, ut ait pag. 404. & in eadem Oratione pag. 408. laudat antiquam diſciplinam Tarſenſium, praecipue in veſtitu mulierum, quae vultu velato incedebant.

Paulo ſupra, ubi de methodo laudandi Reſpublicas diſſerit, ϗ Ἀριστείδης ἐν τῷ Ῥωμαϊκῷ νόμῳ, ultima vox expungenda eſt: intelligit autem Menander orationem Ariſtidis, quae hodie inſcribitur, Encomium Urbis Romae. Quae mox ſequitur lacuna, ſic ſupplenda eſt: ὅπερ γὰρ μοι εἴρηται, κατὰ τοὺς Ῥωμαϊκοὺς νόμους ἅπασαι διοικοῦνται πόλεις. ait enim Menander parum abeſſe; quin totus ille locus laudationum, qui ex legibus ducitur, inutilis hodie ſit & otioſus; nam ut dixi, cunctae urbes Romanorum legibus utuntur: quae verba ſine dubio referuntur ad ſuperiorem locum, qui nunc non eſt ad manum. Sed ſequente pag. 608. idem repetit Menander his verbis: ἀλλὰ τὸ τῶν νόμων ἐν τοῖς νῦν χρόνοις ἄχρηστον. Κατὰ γὰρ τοὺς κοινοὺς τῶν Ῥωμαίων νόμους πολιτευόμεθα· ἔθεσι δ' ἄλλη πόλις ἄλλοις χρῆται &c. Illud praeterea notandum eſt, opus hoc Menandri diviſum fuiſſe in tres libros. Primus agit de laudibus Deorum, cujus caput ultimum eſt, περὶ ἀπευκτικῶν ϗ προσευκτικῶν, ut ipſe Menander teſtatur in fine hu-

(a) *Rhenaea inſula eſt Delo vicina &c.*] Egregia eſt haec & veriſſima Valeſii emendatio de inſula Rhenaea Delo vicina. Quod autem in hoc Menandri loco, ita ut hîc corrigitur, Minos dicatur Rhenaeam inſulam condidiſſe, ſeu colonis frequentaviſſe, id quidem non additum invenio apud Auctores veteres, qui inſulam hanc deſcripſerunt: Non tamen ideo de eo dubitandum, cum notiſſimum ſit, Minoem primum fere maris dominium tenuiſſe, & omnes inſulas maris Aegei circa Delum jacentes, quae Cyclades vocabantur, adeoque & hanc inſulam Rhenæam, ſibi ſubjeciſſe & incolis frequentaſſe, Vid. Meurſ. Lib. III. Cretae Cap. 3. deinde Apollini Rhenaeam hîc dicitur Minos conſecraviſſe, unde in loco Theocriti Jdyll. xvi. v. 20. quem produxerunt viri docti in deſcriptione hujus inſulae, dicitur de Apolline:

Ἶσον καὶ Ῥήνειαν ἄναξ ἐφίλασεν Ἀπόλλων.
Non aliter Rhenaeam dilexit Rex Apollo.

Idem & de Polycrate Sami Tyranno tradit Thucydides Lib. I pag. 11. & Lib. III. p. 242. ubi de eo dicit: Ῥήνειαν ἑλὼν, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι, τῷ Δηλίῳ. quae loca adtulit Holſtenius ad Stephan. Byzantin p. 272. Ceterum inſulam hanc Rhenaeam pluribus egregie nuper deſcripſit Vir Celeberrimus, & doctrinae pariter atque integerrimae amicitiae cauſſa numquam ſine honore mihi nominandus, Jacobus Philippus D'Orville, quo eximio Literarum ſtatore ac ſtrenuo vindice merito gloriatur Amſtela. Eum vide in eruditiſſima Exercitatione de Inſcriptionib. & Antiquit. Deliacis cap. XV. quam inſeruit Miſcellan. Obſervat. Vol. VII. Tom. I.

hujus Capitis. Secundus liber eſt de methodo laudandi urbes & regiones. Tertius liber eſt, quomodo laudandae ſint urbes a ſtudiis & inſtitutis, quod docet ipſe Menander pag. 606.

CAPUT XXIV.

Menander Rhetor emendatus. Feminae Olympicorum certaminum ſpectaculo arcebantur. Opuſcula Menandri & Alexandri Rhetoris male in unum conflata.

PAgina 608. ubi de modeſtia agit, ait in quibusdam feſtis & conventibus mulieres intereſſe prohiberi, verbi gratia, in Olympicis certaminibus: ἐν ἐνίαις γὰρ πανηγύρεσιν οὐδὲ γυναῖκες φαίνονται, ὥσπερ ἐν Ὀλυμπίᾳ. De hac Olympicorum certaminum lege non inutile fuerit adſcribere ea, quae olim adnotavi. Valerius Max. Lib. VIII. Cap. 15. *Berenices quoque non vulgaris bonos, cui ſoli omnium faeminarum gymnico ſpectaculo intereſſe permiſſum eſt, cum ad Olympia filium Euclea certamen ingreſſum adduxiſſet; Olympionica patre genita, fratribus eamdem palmam adſecutis latera ejus cingentibus.* Idem ſcribit (*a*) Aelianus in X. Variae Hiſtoriae libro, Cap. 1. & in Lib. V. de Animalibus Cap. 17. Verum etſi lex faeminas arceret ab Olympicorum certaminum ſpectaculo, excipiebantur a communi lege Cereris ſacerdotes, quibus ſpeciali privilegio conceſſum erat, ut ſpectaculis intereſſent, quemadmodum teſtatur Suetonius in Nerone Cap. 12. Hinc autem agnoſcere licet modestiam veterum Graecorum, qui foeminas ab his ſpectaculis arcuerunt, eo quod nudi fere athletae in his ludis certarent. Sed quandoquidem de ludis & certaminibus hic mentio eſt, vitioſiſſimum de iisdem locum Menandri emendemus: is eſt pag. 616. ἀπὸ δὲ χρόνων κατὰ μὲν τὴν περίοδον ἐὰν μόνη ὁ νιλυσίος, ὅτι οὐ σπανιότητι ἐστι περισπουδάσων, ὡς περὶ αἱ ἄλλαι καὶ συνεχῶς γινόμεναι. οὐδὲν ἐκείνων ἀπολείπεσθαι σεμνότητι, ὡς τὸ λέγει τι, ὡς ἐλευσιν, καὶ νέμεα καὶ ἴσθμια. ἐν γὰρ πενταετηρικῇ, ἢ τετραετηρικῇ, ἢ πλειόνων, ὡς τὰ πύθια, καὶ ὀλυμπία, καὶ δεδάλαια ἐν πλαταιαῖς, διήκοντα γὰρ ἄγεται. Scribe primo: ἐὰν μὲν γὰρ ἐνιαύσιος, ὅτι οὐ σπανιότητι ἐστι περισπούδαστος, ὥσπερ αἱ ἄλλαι καὶ συνεχῶς γινομένη οὐδὲν ἐκείνων ἀπολείπεται. Docet hoc loco Menander, qua ratione laudare oportet ſacra certamina, ſeu mercatus: ſic enim Vitruvius appellat, quas Graeci πανηγύρεις vocant. Laudandos igitur eos conventus ait, aut ab iis, in quorum honorem inſtituti ſunt, aut a multitudine co-

(*a*) Ubi hiſtoriam *Pherenices*, (nam ita etiam in Valerii Maximi loco hic adducto ſcribendum eſſe monuerunt jam viri docti pro *Berenices*, quod in aliis eſt Codd. & exemplar Valeſianum itidem habebat) tradit Aelianus, & refert ei conceſſum fuiſſe, quia patrem Olympiorum victorem habebat, Olympia ſpectare, quod aliter feminis erit vetitum, ut adnotavit hic Valeſius. Vid. & Potter. Archaeolog. Graec. Lib. II. pag. 414. & Caſaub. ad Sueton. Aug. Cap. 44. Cum iis autem, quae de hac Olympicorum certaminum lege hic obſervantur, confer notata Barthio & Bernaltio ad Statium Lib. I. Theb. 414. Ad Suetonii locum exceptionem illam de Cereris ſacerdotibus etiam fecit Beroaldus.

eorum, qui eo confluunt, aut a tempore, quo recurrunt. Ac ſiquidem annua ſint certamina, dicendum erit ea magnifieri non ex eo, quod raro agantur, ſicut alia certamina. Item dicendum erit de illis, quod, licet continue celebrentur, nihilo tamen inferiora ſunt iis, quae rarius celebrantur. Quae deinde ſequuntur longe corruptiſſima ſunt: ſic tamen videntur poſſe reſtitui: ἐὰν δὲ τριετηρικὰ, ὡς Ἐλευσίνια &c. ἐι δὲ πενταετηρικὰ, ἢ τετραετηρικὰ, ἢ πλειόνων, ὡς τὰ Πύθια, καὶ Ὀλύμπια καὶ Δαίδαλα τὰ ἐν Πλαταίαις, δι᾽ ἑξήκοντα γὰρ ἐτῶν ἄγεται. De Daedalis, quae ſexageſimo quoque anno celebrabantur apud Plataeenſes, fuſe agit Pauſanias in Phocicis. Ab his autem Menandri verbis quae ſequuntur, jam Menandri non ſunt. Itaque aſteriſcus notandus eſt, cum deſint plurima ex tertio Menandri libro; & novi libri initium conſtituendum, cujus auctor eſt non Menander, ſed alius neſcio quis. Etenim Menander quidem diviſionem ſuam initio libri primi praefixit, quam quisquis eſt hic auctor, non ſequitur, ſed aliam viam inſiſtit, & de hymno rurſus praecipit, quaſi nihil ante dixiſſet. Proinde hujus libri auctor eſſe non poteſt Menander, ſed fortaſſe (a) Alexander rhetor, is qui de figuris ſcripſit: incipit enim ὁ Ἀλέξανδρος φησὶ &c. liber certe utilis eſt, maxime ob exempla, quae adfert. Itaque in eo etiam emendando non male operam noſtram collocabimus.

CAPUT XXV.

Alexander Rhetor correctus.

ALexander igitur, (ſic enim vocabimus) libro περὶ ἐπιδεικτικῶν Cap. I. quod inſcribi debet περὶ βασιλικοῦ λόγου, pag. 613. ubi agit de capitibus, quae prooemium ſequi debent, nempe de patria, de genere & de ortu, in ortu id praecipue commemorandum eſſe ait, ſi fauſtum aliquod ſignum Regis ortum praeceſſerit, aut circa partum: idque ſignum ait conferri oportere cum iis, quae Cyro, & Romulo acciderunt, καὶ γὰρ κἀκείνοις συνέβη τὰ θαυμάσια. τῷ μὲν Κύρῳ τὰ τῆς μητρὸς ὀνείρατα· τῷ δὲ Ῥωμύλῳ τὰ περὶ τὴν λάκαιναν· ſcribe λύκαιναν. De lupa Romuli nota res eſt. Pag. 615. ubi de loco rerum geſtarum agit, cum, inquit, veneris ad fortia regis facinora, tunc reſpirare licet, & in media oratione interquieſcere: id enim invexerunt recentiores Sophiſtae. Licebit etiam fluvio aut regioni vocem tribuere, non ſecus atque in tragoedia. fluvio quidem, ut Homerus fecit in Scamandro: regioni vero &c. παρὰ δὲ ὁμοίως &c. quis nos videt legendum eſſe χώρᾳ; Conſideret autem lector, an recte verterim

(a) Dederat jam Valeſius hanc opinionem ſuam in notis ad Euſeb. Lib. II. Hiſt. Eccleſ. Cap. 6 pag. 54. ubi monet ex duobus opuſculis Menandri & Alexandri perperam unum librum fuiſſe conflatum in Editione Aldina, ibidemque promittit ſe id alibi oſtenſurum eſſe; indicans ſine dubio hos Emendationum ſuarum Libros. Vid. Fabric. Bibliothec. Graec Lib. IV. Cap. 31. pag 459 Cum vero Aldina illa Graecorum Rhetorum Editio rariſſima, & inſanum in modum pretioſa ſit, loca haec ex Menandro & Alexandro Rhetore, quae in his capitibus a Valeſio emendantur, conferendi facultas mihi non fuit, de quo Lectorem admonendum eſſe ratus ſum.

rim priora illa verba: ὅταν δὲ βασιλέως ἀριστείας ἐκφράζῃς, ἐνταῦθα καιρὸν ἕξεις· ϗ ἀνιέναι κατὰ τὸν μέσον τὸν λόγον. ϗ γὰρ τοῦτο παρειλήφαμεν παρὰ τῶν νεωτέρων καινοτομηθέν. Et paulo poſt eodem verbo utitur, μετὰ δὲ τὴν ἄνεσιν. Leve eſt quod monebimus pag. 616. initio: εἰ δὲ ἐπ' ἀξίας ϗ τιμῆς μεγίστης ἡ βασιλεία· ſcribe βασίλεια, ideſt, *regina*, & paulo poſt, ϗ ἡ σύνεσιν ἄλλη, lege, ἄλλη· μετὰ γυναικεῖον φῦλον &c. ſcribe, τὸ γυναικεῖον φῦλον. Gravius eſt mendum pag. 616. in ipſo Capitis titulo, qui ſic habet, διαίρεσις βασιλικοῦ, cum ſcribendum ſit, περὶ ἐπιβατηρίου. nam de baſilico praecedenti Capite actum eſt: in hoc agitur de Epibaterio, ſeu *adventoria oratione*. In hoc Capite notavi proverbium, quod alibi legere non memini, ἀφ' ἱερῶν ἐφ' ἱερὰ, ὡς ἂν εἴποι τις· &c. pag. 617. cum ſcilicet proſperis proſpera ſuccedunt. Eadem pagina pro his verbis ὅτι ἡ καταλιώτης, ſcribe ὅτι ἰταλιώτης· quae emendatio confirmatur ex ſequentibus. In fine autem paginae, ubi legitur πῶς ἐν δημὸς ἐστιν, lege δῆλος ἐστιν. &c. In eodem Capite pag. 618. πολιτευομένων συστήματα ϗ δῆμος, id eſt, decuriones & plebs.

CAPUT XXVI.

Alexander Rhetor correctus.

IDem Alexander in Capite περὶ λαλιᾶς, ubi docet quomodo per adlocutionem, ſie enim interpretor τὴν λαλιὰν, laudandus ſit magiſtratus, ſic ait, ἐκεῖ ζητήσομεν, ὁποῖος ἐστὶ περὶ βασιλείας. ὁποῖος ἐστὶ κατασκευαστῶν πόλεων, ϗ τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων· ſcribe, περὶ βασιλίας, & κατασκευὰς τῶν πόλεων, id eſt, *circa fabricas civitatum, & ſarta tecta operum publicorum* Paulo poſt cum de Ageſilao dicit, ὡς πειθομένων τῶν Λακεδαιμονίων τοῖς πράγμασι, legendum eſt προστάγμασι. In eadem pagina, ubi ait jucundas narrationes & fabulas huic orationum generi, quas λαλιὰς vocant, maxime convenire, ſubdit, utendum eſſe leni & jucunda verborum conſtructione, qualis eſt Xenophontis, Nicoſtrati, Dionis Chryſoſtomi & Philoſtrati ejus, qui Heroica & Imagines conſcripſit: ἀλλὰ ὅταν ἀπλουστέρα τυγχάνῃ, ϗ ἀσφαλεστέρα. οἷα ἡ Ξενοφῶντος, ϗ Νικοστράτου, ϗ Δίωνος τοῦ Χρυσοστόμου, ϗ Φιλοστράτου τούτου ἡρωικῶς, ϗ τὰς εἰκόνας γράψαντος· reſcribe, ἁπλουστέρα ϗ ἀφελεστέρα, &, Φιλοστράτου τοῦ τὰ ἡρωϊκὰ, ϗ τὰς εἰκόνας γράψαντος. In pag. 623. ſic ſupplenda eſt lacuna, φάσκων ἐξ ἀπογύιου σοι γεγενῆσθαι τὸ σπούδασμα. Porro λαλιὰς vocabant Sophiſtae orationes illas extemporales, quas habebant adoleſcentes, cum e ſcholis excederent, vel in patria, vel in perviis urbibus declamantes, & tanquam primitias eloquentiae civibus ſuis dedicantes: quod quidem conjicio ex Alexandro noſtro; ſic enim ait in hac pagina: πολλάκις δὲ αἰτήσεις συγγνώμην φάσκων ὅτι τῶν λόγων τὰς ἀπαρχὰς ἀναθεὶς τῇ πατρίδι ϗ τοῖς πολίταις &c. Idem confirmant ſequentia: Ἐρεῖς τι καὶ εἰς τὴν σεαυτοῦ πατρίδα, ὡς χρονίως μὲν ἐπανελθὼν ἐπ' αὐτὴν &c. ſed evidentiſſime id confirmatur his verbis, quae paulo poſt ſequuntur: χρὴ δὲ μνημονεύειν αὐτῶν Ἀθηναίων. ἕξης ἡ πάροδος, ϗ ἱεροφάντην ϗ δᾳδοῦχον,

ϗ

Digitized by Google

καὶ παναθηναίων, καὶ λόγων, καὶ ἀγώνων μυστικῶν, καὶ παιδευτῶν, καὶ νεολαίας· ubi reſcribe meo periculo, τῆς τῶν Ἀθ. ἐξ ἧς ἡ ἐπάνοδος. id eſt, ſed Athenarum mentionem facere oportet, ex qua urbe reverſus es, & hierophantarum &c. & Magiſtrorum, & juventutis. Nec tamen hae ſolae orationes λαλιαὶ dictae ſunt, cum ſic etiam συντακτικὴ, & προπεμπτικὴ, & ἐπιβατήριος, & generaliter quoduis argumentum λαλιᾶς convenerit, ut notat Alexander pag. 621. excepto judiciali genere, ut in principio dixit. Id autem proprium habet λαλιὰ, quod ſimplici ſermone contexitur, nec ordinem ullum ſervat, & ſuavitatem voluptatemque narrationum conſectatur. Hujusmodi orationum unum, quod ſciam, exemplum habemus Ariſtidis hymnum in Aeſculapium.

CAPUT XXVII.

Alexander Rhetor correctus.

IN Capite περὶ ἐπιθαλαμίου pag 629. ubi de thalamo agit, locus eſt corruptus & mutilus. πείθομαι δὲ καὶ ἔρωτας παρεῖναι Τόξα μὲν αὐτὶ --- μένους βέλη δὲ ἐφαρμόττοντας φαρμάκοις παθῶν τὰς οἰκίδας χρίσαντες δι' ὧν τὰς ψυχὰς συγχυρέσουσιν ἀναπνεῖν ἀλλήλαις. ſcribendum omnino eſt: φαρμάκοις πόθων τὰς ἀκίδας χρίσαντες. Priora autem emendare difficilius eſt. Quod thalamum & paſtada diſtinguit, non ſatis capio, πεπήγασι δὲ παστάδες οἵας οὐχ ἑτέρωθι ποτέ. θάλαμος δὲ πεποίκιλται ἄνθεσι καὶ γραφαῖς παντοίαις. Thalamum videtur ſumere pro cubiculo, παστάδας vero pro geniali thoro. In Capite de conſolatoria oratione notandum eſt, quod ait de Monodia, genus eſſe funebris laudationis, ſed quae non ſervet ordinem laudationum, cum is, qui Monodiam habet, totus conſternatus & quaſi mente captus eſſe videatur, διὰ τὸ μηδὲν αὐτοῦ δοκεῖν εἶναι τὸ λέγοντα, ἀλλ' ἐξεστηκέναι ὑπὸ πάθους. Scribendum puto αὐτῷ. Extant Libanii Monodiae complures, ex quibus id perſpici poteſt, quod ait Alexander; eſt enim abruptum initium, & confuſus ordo.

In eodem Capite pag. 630. οὐκ ἄπειρον καλὸν, ſcribe uno verbo ἀπειρόκαλον. Contrario errore paulo ſupra ſcriptum ἀερσοποιήτης uno verbo. In Cap. περὶ ἐπιταφίου, lege, ὦ ματαίων μὲν ἐκείνων συμβόλων, non autem συμβόλων. In Capite autem περὶ στεφανωτικοῦ ſcribe, εἰ δὲ ἀντέχειν οὐ δύναιται &c. hujusmodi orationes nullae hodie ſuperſunt, niſi fallor. Harum uſus erat, cum civitates legatos ad imperatorem mittebant, qui coronam auream ipſi offerrent, una cum decreto publico, quo hujusmodi honor principi tributus fuerat. Itaque poſt orationem recitatam orator rogabat imperatorem, ut decretum recitari juberet, quemadmodum hoc loco monet Alexander rhetor. Notandum etiam eſt, quod ait hujusmodi orationes centum & quinquaginta linearum aut ducentarum numerum excedere non debere. Ἔστω δὲ σοὶ ὁ λόγος μὴ πλεῖον ἑκατὸν πεντήκοντα καὶ διακοσίων ἐπῶν. Ubi ἔπη dixit pro lineis, quemadmodum Latini *verſus* dicunt. In Capite περὶ πρεσβευτικοῦ pag. 634. πολλοὶ μὲν οὖν τὴν χειροτονίαν ταύτην ἱμνημένων, ſcribe ἱμνήσονται, ut ſequentia aperte confirmant: id eſt,

eſt, *multi ambibant hanc legationem.* Pag. 635. locus hic mutilus & mendoſus eſt: ὥσπερ γὰρ τῷ Ἀπόλλω πολλάκις ἐδέχετο τοῖς μινθίοις, ἡνίκα ἔχειν, θεὺς προφανῶς ἐπιδημ. . . . . . εἰς ἀνθρώπους, οὕτω καὶ σὲ ἡ πόλις προσδέχεται· ſcribe, τοῖς σμινθίοις· &c. & lacunam ſic exple, ἐπιδημοῦντας. De Sminthio Apolline paulo poſt loquitur in altero exemplo: ejus mentio paſſim apud Poëtas, cui feſta dicata erant Sminthia, in urbe Ilio: de hac enim loquitur paſſim Alexander in hoc Cap. quod inſcribi debet περὶ κλητικοῦ, ut patet ex fine Capitis. Sed & Capite ultimo exemplum adfert hymni in Apollinem Sminthium a ſe ipſo, ut adparet, conſcripti: ex quo colligitur auctorem hunc Ilienſem fuiſſe.

CAPUT XXVIII.

Alexander Rhetor correctus.

CORrigendus eſt etiam Alexander in Cap. περὶ συντακτικοῦ· nam pro διαδόχους καὶ ἱεροφάντας, legendum eſt δαδούχους. Pag. 637. locus eſt mutilus, τίς γὰρ Ἰβηρίσι περιτύχων ἢ ...... φάγοις ἀφικόμενος οὐκ ἂν ὑμᾶς περιλιμήσειεν; ſcribe ἢ εἰς Λωτοφάγους &c. Hiberides inſulae ſunt fortunatae. Pag. 638. linea 5. poſt vocem εὖ φρονῶν ſcribendus eſt majuſculis literis hic titulus, περὶ μονῳδίας, & deinde ſcribendum a capite, Ὅμηρος ὁ θεῖος· mox legendum eſt, ἄδικον περὶ πεπρωμένης νόμον· paulo poſt κἂν μὲν τῶν πολιτευομένων ᾖ &c. id eſt, *ſi fuerit ex numero decurionum.* Pag. 639. hoc ultimum Caput, quod inſcribitur περὶ προοιμίων, usque ad finem plane alieno loco poſitum eſt, cum initio libri poni debuerit, ubi de hymno agitur. Reponatur itaque pag. 612. poſt illa verba εἰς Ἀπόλλων τῶν Μυσῶν. Et haec quidem in Alexandri librum de Demonſtrativo dicta ſunt: quibus illud etiam corollarii vice addemus, hunc ſive Alexandrum, ſive alio quo nomine dicendus eſt, diverſum videri ab Alexandro, qui de figuris orationis ſcripſit. Etenim Alexander is, cujus de figuris liber extat, Alexander Numenius dicebatur: ut teſtis eſt Julius Ruffinianus in libro de figuris, qui ſic incipit; (a) *Hactenus Aquila Romanus ex Alexandro Numenio.* Liber Aquilae Romani de figuris praepoſitus eſt libro Ruffiniani, quem Aquilae librum ex libro Alexandri, qui ab Aldo Manutio editus eſt, deſcriptum eſſe adparet: eumdem enim ordinem ſequitur Aquila, praeſertim in figuris ſententiarum, niſi quod exempla adfert Latina. Vixit autem Numenius temporibus Adriani, ut teſtatur Suidas, qui librum de figuris ab eo ſcriptum eſſe ibidem confirmat. Quare Alexander, ille cujus liber de figuris extat, vel ipſe Numenius eſt, vel certe Numenii filius. At Alexander ille, cujus librum de demonſtrativo genere emendavimus, longe recentior fuit, quippe qui Philoſtratum & Callinicum laudet.

(a) pag. 24. inter Rhetores antiquos Latinos a Fr. Pithoeo editos.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

Charmadas Carneadis diſcipulus. Salmaſius a Petavii reprehenſione defenſus. Cicero aliquot in locis emendatus; ut & Suidas.

CElebris inter Carneadis diſcipulos memoria eſt (*a*) Charmadae, qui poſt obitum praeceptoris, una cum Clitomacho ſcholam obtinuit. Sed nomen ejus fere corruptum in veterum libris remanſit, donec Viri doctiſſimi illud quaſi poſtliminio reſtituerunt. Primo enim Turnebus in Lib. X. Adverſariorum Cap. 16. *Charmadae* nomen repoſuit in primo Tuſculanarum libro: *quanta memoria nuper Charmadas, quanta qui modo fuit Scepſius Metrodorus*, quam emendationem confirmat Plinius in Lib. VII. Cap. 24. & Fortunatianus in Lib. III. Artis Rhetoricae. Deinde Petrus Victorius in Lib. XXXII. Cap. 24. Variarum Lectionum, alterum Ciceronis locum in Oratore correxit: nam cum vulgo legeretur hoc modo: *ſcitum eſt enim quod Carneades noſter diceret ſolebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo dicere*, Victorius ex manuſcriptis codicibus reſtituit *Charmidam*, cum *Charmadam* potius ſcribere debuiſſet, pro ut in ſuo codice repererat, utque in Palatino exemplari ſcriptum eſſe monuit Gruterus. Extitit poſtremo Salmaſius, qui in Exercitationibus Plinianis pag. 50. illorum veſtigiis inſiſtens, Ciceronis locum in Lib. 2. de Oratore ſimiliter emendavit. Ibi enim Antonius *ſe Athenis Carneadem & Metrodorum vidiſſe* cum dicat, *Charmadam* ſcribendum eſſe Salmaſius monet. Contra hanc Salmaſii emendationem valide inſurgit D. Petavius in Miſcellaneis Exercitationibus, Cap. 8. & 9. & argumenta ex ipſius Ciceronis libris opponit. Equidem D. Petavii aucto-

(*a*) Quae hic egregie de Carneadis aetate & diſcipulo ejus *Charmada* obſervavit Valeſius, conferenda ſunt cum iis, quae ſuper hoc argumento multis quaeſtionibus implicito eruditiſſime contra Petavium itidem ſcripſit Jonſius Lib II. de Scriptor. Hiſtor. Philoſ. Cap. XIV. ubi pag. 189. inter alia argumenta, quibus de aetate Carneadis adverſus Petavium diſputat, urguet praecipue tempus celebris illius legationis trium Philoſophorum a Graecis ad Romanos miſſorum, Diogenis nempe, Critolai & Carneadis, qui Romam venerunt eo tempore, quo Scipio Africanus, & C. Laelius principes erant civitatis. De qua legatione notavit quaedam Aldobrandin. ad Diogen. Laert. Lib. IV. in vita Carneadis, prope finem. Praecipue vero haec quaeſtio ventilata eſt aliquot abhinc annis inter doctos Gallos Foucherium & Lantinum, quorum ſententias late exponit Baelius in Lexico Critico in Carneade Tom. II. pag. 63. Ad nomen autem diſcipuli Carneadis quod adtinet, quem poſt Turnebum, Victorium & Salmaſium, vocandum eſſe *Charmadam* monet Valeſius, & ideo in fine capitis apud Suidam Χαρμάδας legit, in eo adſentientem non habet Jonſium, qui pag. 191. in illis Ciceronis & Plinii locis *Charmidem* reponi jubet, ac Turnebum refellit, eumque lectionem membranarum veterum Plinii, quae *Carmidas* habebant, peſſime in ſuum *Charmadam* transformaſſe dicit. Ad Codices Plinii quod adtinet, teſtatur contra Salmaſius, qui a Valeſii ſententia ſtat, libros veteres eo in loco habere *Carmadas*, ut emendabat Turnebus, & ita dicendum ex terminatione Graeca oſtendit, nempe a Χάρμας eſſe Χαρμάδας, verum a Χάρμις deduci Χαρμίδης Et hoc equidem rectius eſſe etiam arbitror; quamquam ſint tamen qui *Charmidam*, aut *Charmidem* non repudient Sane ea forma occurrit apud Euſeb. de Praep. Euang. Lib. XIV. p. 726. D. & in loco Sexti Empirici, quem profert Gronov. ad Gellium Lib. VII. cap 14. Vide & Davies ad Cicer. Lib. I. Tuſcul. Diſput. cap. 24. neque aliter etiam adductis iiſdem Sexti Empirici & Euſebii locis, eum vocat Menagius ad d. Laertii locum pag. 110. Ed. Londin. ubi quaedam de hoc *Charmide* notavit.

ritati multum tribuo, & ſingularem ejus Viri doctrinam magni facio: feret tamen aequo animo, ſi diſcuſſis atque examinatis ipſius rationibus, ab eo hac in parte diſſentiam. Praecipuum autem illius argumentum, quo tamquam ariete emendationem inpugnat Salmaſii, hoc eſt, quod Craſſus, cum Quaeſtor ex Aſia veniſſet Athenas, Carneadem cum Clitomacho ac Metrodoro, ibi viſos ab ſe commemorat, & quidem cum Carneade Platonis Gorgiam legiſſe, apud Ciceronem in Lib. I. de Oratore. Fuit autem Craſſus quadriennio junior Antonio, quemadmodum Cicero teſtatur. Proinde ſi Craſſus Carneadem audivit, eumdem etiam audire potuit Antonius. Ad haec Cicero in fine libri I. Academ. Carneadis Academici auditores ſibi viſos eſſe dicit. Et initio Libri V. de Finibus, Carneadem ab ſe auditum eſſe Athenis indicat. Haec quidem & multo plura ibi Petavius de Carneadis aetate diſſerit. Quae omnia, ut uno verbo dicam, falſa mihi videntur. Nam neque Craſſus umquam, neque Antonius Carneadem illum Academicum audierunt, ut Craſſus ipſe apud Ciceronem in Lib. III. de Orat. apertiſſime indicat; ubi auditores multos Carneadis a ſe tum quaeſtore Athenis viſos eſſe dicit Graecos. Intelligit autem *Charmadam*, *Clitomachum* & *Aeſchinem*, quorum cum Charmada Platonis Gorgiam legerat, ut ipſe ait in Lib. I. de Oratore. Ex Romanis autem ejus auditores nominat adhuc ſuperſtites Scaevolam & Metellum. Quod ſi Antonius Carneadem audiſſet, certe eum hic non omiſſurus erat Craſſus. Neque ſi ipſe Craſſus Carneadem audiviſſet, hic profecto id tacuiſſet. Id ipſum conficere mihi videtur locus Marci Tullii in Lib. I. de Oratore Cap. 3. ubi ſic loquitur Craſſus: *Audivi enim ſummos homines, cum Quaeſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades, & Clitomachus, & Aeſchines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipſum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum & copioſiſſimum. Vigebat auditor Panaetii illius tui Mneſarchus, & peripatetici Critolai Diodorus.* Ex quibus verbis ſatis adparet, poſt mortem Carneadis Craſſum Athenas veniſſe, cum ſucceſſores Carneadis ſcholam obtinerent. Neque enim ſuperſtite adhuc Carneade Clitomachus & Aeſchines ejus diſcipuli Academiam obtinere potuerunt. Deinde addit Cicero de Metrodoro, *qui cum illis una ipſum illum Carneadem audierat.* &c. qui ſunt illi? Omnino *Charmadas*, *Clitomachus* & *Aeſchines*. Accedit quod eo tempore, quo Athenas venit Craſſus, jam Critolaus & Diogenes obierant. Qui una cum Carneade legati Romam venerant, eorumque ſucceſſores ſcholam obtinebant. Critolai ſcilicet Diodorus, Diogenis autem poſt Panaetium Mneſarchus. Poſtremo haec verba, *qui Carneadem audierat diligentius*, id neceſſario pervincunt, mortuum tunc fuiſſe Carneadem. Nam ſi tum ſuperſtes adhuc fuiſſet Carneades, quid opus erat hoc dicere, cum illum adhuc audiret, ut caeteri. Idem eſt quod alibi ait Cicero de hoc ipſo Metrodoro, ni fallor, *Carneadem optime noſſe ferebatur Metrodorus in Academia.* Ex his igitur adparet in Cicerone ſcribendum eſſe *Charmadas*, & *Clitomachus*, & *Aeſchines* &c. Et paulo poſt, *cujus tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam.* Poteſt etiam ſcribi *Charmades*, quemadmodum legitur apud Sextum Empiricum; & longe infra, ubi Charmadae judicium de ingenio Craſſi refert

fert Antonius, *Charmades* etiam pro *Carneade* ſubſtituendus eſt. Quod vero pertinet ad locum Ciceronis in Lib. V. de Finibus Cap. 2. ubi Cicero dicit, *modo, inquit, fuit Carneades, quem videre videor. Eſt enim nota imago. A ſedeque ipſa tanta ingenii magnitudine orbata deſiderari vocem illam puto.* Nemini dubium eſſe poſſet quin legendum ſit *Charmades.* Quomodo enim Cicero Carneadem videre potuiſſet, quem Craſſus non viderat. Maneat ergo rata ac firma Apollodori ſententia, qui Carneadem obiiſſe ſcribit anno 4 Olympiadis 162. Poſtremo illud etiam monendum eſt, hujus Philoſophi nomen corruptum eſſe in Lexico Suidae: Hic enim voce Πλάτων, ſucceſſores Platonicae Scholae omnes enumerans, usque ad Arceſilam quidem Socraticos dictos eſſe teſtatur. Ab Arceſila vero octavum numerat Carneadem, ſecus quam Cicero, qui quartum ab Arceſila teſtatur; eique ſucceſſorem tribuit Ἀρμάδαν, corrupte pro Χαρμάδαν.

CAPUT XXX.

Parodiae. Dion Chryſoſtomus illuſtratus & correctus. Homeri & Menandri verſus apud eum declarati.

QUi Scriptores antiquos non obiter nec perfunctorie legerunt, ſatis compertum habent ſolitos eſſe illos ad Poëtarum veterum verſus paſſim adludere, quod quidem Latini Interpretes plerumque non animadvertunt, nec verba Scriptoris illius, ad quem adluditur, verbis diſtinguunt. Atqui tota fere elegantia in hujusmodi parodia poſita eſt, adeo ut non animadverſa παρῳδίᾳ, pereat lepos totius ſententiae. Parodia enim, ut notavit Dionyſius Halicarnaſſenſis in libro περὶ ἑρμηνείας, *genus eſt leporis ſeu venuſtatis in ſermone.* Ejus rei exemplum hic adſcram ex Dione Chryſoſtomo in Orat. XXXII. ad Alexandrinos pag. 365. ubi de inſtitutione ac de ſermonibus Philoſophiae diſſerit, quanta ſit eorum virtus ad perſanandos morbos animorum: *Quicumque,* ait, *hoc excellenti remedio continenter utuntur toto vitae ſpatio, ii tandem ad ſanitatem felicitatemque perveniunt: qui autem infrequenter, & certis duntaxat intervallis utuntur, ii*

> Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
> Τεθνᾶσι.

Verſus eſt (a) Homeri in Νεκυίᾳ de Caſtore & Polluce. *Qui vero,* inquit, *hujus remedii plane expertes ſunt, ii demum infelices ſunt, qui nullum portum nec receſſum habeant, quo ſeſe a perturbationum fluctibus procellisque tueantur.*

> Ἀλλ' ἐν ἀκαλύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ χειμαζόμενοι.

Verſus hic eſt (b) Menandri ex Comoedia, quae πλόκιον dicebatur, quem Agellius una

 cum

(a) Odyſſ. Λ. v. 302.
(b) Pag. 154. Edit. Clerici, qui locum hunc Dionis Chryſoſtomi ad illuſtrandum Menandri verſum itidem in notis adduxit, ſed in Menandrei verſus interpretatione graviter lapſus eſt, dum ταλαιπώρῳ βίῳ χειμαζόμενος vertit, *calamitoſa vita hibernans,* pro *agitatus, jactatus,* ut notavit hoc Venerandus Patruus meus in praefat. ante Phileleuth. Lipſienſ. Emend. in Menandr. & Philem. Reliq. pag. 23.

cum aliis refert in (a) Lib. II. Cap. 23. Et Johannes Stobaeus in Sermone 187. Et Clemens Alexandrinus in Lib. II. Stromatum in fine. Quin etiam in Oratione XXXII. ejuſdem Dionis Chryſoſtomi pag. 389. verſus eſt neſcio cujus Comici, Menandri fortaſſe, quem non animadvertit Interpres, prava ſcilicet interpretatione deceptus: Scribendum enim eſt a capite: ὡς τῶν κωμικῶν ἔφη τις ἐπὶ τοῖς τοιούτοις,

Ἀκόλαστος ὄχλος ναυτική τε ἀταξία.

Qui verſus egregie convenit in Alexandrinos, apud quos ingens turba erat nautarum, ad ſeditiones ac tumultus aptiſſima, quod etiam Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria.

CAPUT XXXI.

Dion Chryſoſtomus illuſtratus & emendatus.

PErgamus de Dione Chryſoſtomo bene mereri. Nam & Scriptor ipſe id meretur, quippe graviſſimus & elegantiſſimus, & a lectoribus, Dionisque ſtudioſis non mediocrem, ut ſpero, gratiam hac noſtra opera inituri ſumus. In Oratione Corinthiaca queritur Dio contumelia ſe adfectum a Corinthiis, qui ſtatuam, quam ipſi antea erexerant, paulo poſt, nulla injuria accepta, ſuſtuliſſent & confregiſſent. Hanc injuriam variis modis exaggerat, primum quaſi jocans, dein ſerio. Inter caetera adfert exemplum Syracuſanorum, qui coloni erant a Corinthiis olim deducti, ut eos hujus comparationis pudore ſuffundat. *Syracuſani*, inquit, *coloni veſtri Lucanum hominem, qui ad ipſos legatus venerat, & legationem ſuam Dorico*, id eſt, Syracuſanorum, *ſermone erat executus, non modo benigne exceperunt, confectaque re, cujus gratia advenerat, dimiſerunt; Verum etiam talento donatum, publice aenea ſtatua honorarunt. Si quis vero non ex Lucania, ſed civis Romanus, non de plebe, ſed ex equeſtri familia, qui non linguam ſolum ſed & mores & ſtudia habitumque Graecorum adamavit, idque cum tanta ambitione ſimul ac continentia, quanta (dicam enim audacius) nullus antea Romanorum uti Graecorum hac aetate quispiam. Nam praeſtantiſſimus quidem Graecorum perſuaſit, ut ad Romanorum ſtudia ſeſe converteret: Romanorum autem principi & Imperatori, ut ad Graecorum ſtudia animum adplicaret, perſuaſit. Harum rerum gratia & rem familiarem & dignitatem, locumque, quem in Republica obtinebat, cuncta denique ſponte divertit, ut hoc unum inſtar omnium bonorum poſſet adipiſci, Graecum ſcilicet eſſe & videri. Hujus, inquam, viri aeneam ſtatuam apud vos ſtare non oportebat? Imo certe in ſingulis urbibus id fieri decuerat* &c. Hic eſt ſenſus totius loci pag. 461.

(a) Vide illic Jacobi Gronovii notas, qui teſtatur non aliter hunc Menandri verſum apud Gellium ad marginem exemplaris ſui emendaſſe noſtrum Valeſium, adſcripto illo Dionis Chryſoſtomi loco, quem hic profert.

Digitized by Google

461. quem prout emendandus & interpretandus mihi eſſe videbatur, hic adpoſui: Nam ubi legitur τὸν δὲ προςάτην, ſcribo, τῶν δὲ, vel τέτων δὲ. id eſt Romanorum. Veſpaſianum autem aut Nervam intelligi puto: Deinde ubi legitur ἐν αὐτῷ περιῆν ἐναντίον πάντων Ἕλλησι δοκεῖν τε καὶ εἶναι; Noli dubitare quin ſcripſerit Dio, ἐν ἀντὶ πάντων, quod in interpretatione expoſui. Denique poſtrema ſic interpungi debent; εἶτα τῦτον οὐκ ἐχρῆν παρ' ὑμῖν ἑςάναι χαλκοῦν, καὶ κατὰ πόλιν γε. quod idem valet ac ſi dixiſſet, καθ' ἑκάςην πόλιν. Sic enim Graeci elegánter loquuntur, ſubaudientes hanc vocem: quod cum vúlgare ſit, ac vel pueris notum, Interprès tamen ſicut & alia quamplurima non intellexit. Eadem locutione utitur Dio in fine Corinthiacae.

CAPUT XXXII.

Strabo, Stephanus Byzantius, & Scholiaſtes Pindari emendati. Aegimius Dorienſium Rex. Poëma antiquum ſub titulo Αἰγιμιὸς *quibus adſcribatur?*

CUm multa ſunt valde corrupta in Veterum Libris, tum praecipue nomina propria, non locorum modo, ſed etiam Virorum. Atqui tanto majore periculo in his peccatur, quod error nominis errorem etiam in hiſtoria pariat. Exempli cauſa lubet hic adferre inſignem locum e Strabonis Libro IX. pag. 427. ubi de Dorienſibus eorumque Tetrapoli loquitur. Τύτων, inquit, ὁ βασιλεὺς Αἰπάλιος ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς, κατήχθη πάλιν, ὡς ἱςοροῦσιν, ὑφ' Ἡρακλέους. Sic ergo ſcribendum eſſe contendo (*a*) Αἰγίμιος. Fuit enim *Aegimius* Dorienſium Rex, qui cum oppugnaretur a Lapithis, Herculis auxilium inploravit, partem regni pollicitus, ſi ſuppetias tuliſſet, ut refert Apollodorus in Bibliotheca. Sed quae ſequuntur in Strabone hanc emendationem magis confirmant: Ait enim Strabo hunc ipſum Dorienſium Regem, qui ab Hercule in regnum reſtitutus fuerat, in gratiam accepti ab Hercule beneficii, adoptaſſe ſibi Hyllum Herculis filium natu maximum, qui poſtea ipſi in regnum ſucceſſit. Conſtat autem ab *Aegimio* Dorienſium Rege id factum fuiſſe. Sic enim ſcribit Ephorus in Lib. I. Hiſtoriarum: cujus verba refert Stephanus in Δυμᾶνες· Δυμᾶν φῦλον Δωριέων. Ἦσαν δὲ τρεῖς Ὑλλεῖς, καὶ Πάμφυλοι καὶ Δυμᾶνες ἐξ Ἡρακλέους. καὶ προσετέθη ἡ Τριθία, ὡς Ἔφορος α'. Αἰγιμιος γὰρ ἦν τοῦ περὶ τὴν Οἴτην Δωριέων βασιλεύς. Ἔσχε δὲ δύο παῖδας Πάμφυλον καὶ Δυμᾶνα καὶ τὸν ἐξ Ἡρακλέους Ὕλλον ἐποιήσατο τρίτον, χάριν ἀποδιδόντες ἀνθ' ὧν Ἡρακλῆς ἐκπεπλωκότα κατήγαγεν. Multa hic vitioſe praeſcripta ſunt. Primo enim ſcribendum eſt Δυμᾶνες φυλὴ Δωριέων. Deinde

(*a*) Ita etiam Palmerio in mentem venerat, nam ille in Exercit. ad Auctor. Graec. pag. 221. ad hunc Strabonis locum notat omnes alios Scriptores Regem hunc *Aegimium* vocare non *Aepalium*. Thomas etiam Galeus in notulis ad Apollodor. Lib. II. Cap. 7 §. 7 notat Stephanum & Diodorum Siculum cum Apollodoro eum vocare *Aegimium*, ſed alios hunc Dorienſium Regem *Aepalium* nominare. Sed ſine dubio apud eos, quibus *Aepalius* ſcribitur, corrigendum ubique eſt *Aegimius*.

de (*a*) expungenda ſunt illa verba ἐξ Ἡρακλέυς. Poſtremo lege ἐποιήσατο τρίτον χάριν ἀποδιδοὺς &c. Caeterum Herodotus non Δυμᾶνας hanc tribum vocat, ſed Δυμανάτας· quartamque tribubus jam dictis additam non *Hyrnithiam*, ſed *Aegialeam* vocat; ubi de Sicyoniis loquitur, (Lib. V. Cap. 68.) qui erant origine Dorienſes. Ejuſdem *Aegimii* meminit Pindarus in Ode I. (vs. 124.) & V. Pythica (vs. 96.) ubi Scholiaſtes vetus de Dyma & Pamphylo ejus filiis quaedam ſcribit. Sed caſtigandus eſt in eo quod tradit pag. 195. (ad I. od. Pyth. vs. 120.) de Hyllo Herculis filio, ὃς ἐβασίλευσε τῶν περὶ Ἰταλίαν οἰκησάντων. Scribe meo periculo, περὶ Οἴτην. Fuit & poema quoddam apud antiquos, cui titulus fuit Αἰγίμιος, quod utrum tragicum, an Epicum fuerit parum conſtat. Scholiaſtes (*b*) Apollonii in Lib. IV. (vs. 816.) hoc carmen citat abſque auctoris nomine, ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας. Alii Heſiodum, alii Cercopem Mileſium hujus carminis auctorem faciebant, teſte Athenaeo Lil. XI. (Cap. 15.) ex quo Epicum carmen fuiſſe diſcimus. Pauſanias in Corinthiacis (Lib. II. Cap. 28.) de hoc eodem Aegimio loquitur, ejusque filium (*c*) Pamphylum commemorat.

C A-

(*a*) Forte retineri poſſunt haec verba, ſi ordine inmutato ſcriberetur in Stephano: ἦσαν δὲ τρεῖς Πάμφυλοι, καὶ Δυμᾶνες, καὶ Ὑλλεῖς, ἐκ τοῦ Ἡρακλέυς· *erant enim tres Pamphyli, Dymanes; & Hyllenſes ab Hyllo Herculis filio*: unde ſcilicet nomen traxerunt Hyllenſes. Locutio ὁ Ἡρακλέυς ſubintellecto υἱὸς adſtrui vix meretur, nam ita apud Heſychium ſimiliter in Τάρας. πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Τάραντος, τοῦ Ποσειδῶνος, *a Tarante, Neptuni filio*. Sic Πραξιφάνης Διονυσιφάνους, *Praxiphanes Dionyſiphanis filius* apud Clem. Alex. Lib. I. Stromat. p. 133. Ed. Sylb. & apud quos non? vide quae habet Jonſ. de Scriptor. Hiſt. Philos. Lib. I. Cap. 2. p. 14. & Cl. Bos de Ellipſ. Gr. p 178. deinde in hoc Stephani loco recte Ὕλλου ſcribendum pro Ὕλλας monet Holſtenius p. 165. *Hyllus* enim Herculis filius eſt. de quo Scylax pag 16. Ed. Gronov. Ὑλλεῖς δέ φασιν Ὕλλον τὸν Ἡρακλέυς αὐτοῦ κατοικῆσαι· *Hylli vero dicunt, Hyllum Herculis filium, illic habitaſſe*, ubi itidem habes Ὕλλον τὸν Ἡρακλέυς ſcil. υἱὸν, ut paullo ante in Stephano nomen autem *Hylli* in nonnullis Scriptorum veterum locis corruptum eſt, ut apud Theophil. Antioch. Lib. II. p. 96. τὸ δὲ καὶ Ἡρακλέυς τοῦ Διὸς, εἶμαι Ὕλλου, quomodo legendum indicavit Delrio Comm. ad Senec. Herc. Oet. v. 1446. & reſtituit in noviſſima Editione Cl. Wolfius, in cujus notis vide etiam locum ex Chronico Euſebii, apud quem ſimiliter, ut apud Stephanum, Ὕλλος, τοῦ Ἡρακλέυς· nonnumquam etiam fallo locum occupavit, ut apud Diodorum Sic Lib IV. Cap. 77. dicitur Ὕλλος τοῦ Τρωὸς, *filius Trois*, ubi Ἴλος corrigendum monuit Jenſius Epiſt. ad Graevium poſt Lection. Lucian. p 413.

(*b*) Meminit & hujus poematis Αἰγιμίου Scholiaſtes idem ad Lib. III. vs. 587. ſed nullo Auctoris quoque indicio, laudana tantum ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας, ut in loco ex Lib. IV. vs. 816. ubi ſecundum hujus Poematis librum allegat, ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας ἐν δευτέρῳ φησί. vide Caſaub. ad Athenaeum p. 518. Voſſium de Hiſtor. Graec. Lib IV. p. 509. & Fabric. Biblioth. Graec. Lib. II. Cap. 8. p. 380. Porro hoc ipſum eſt idem Caput, quod ſibi Pariſiis a Valeſio praelectum gratulatur Jac. Gronovius in notis ad Stephan. Byzant. pag 1. in voce Ἀβάντις, ubi corrigit Gronovius, Ἡσίοδος ἐν Αἰγιμίου δευτέρῳ *Heſiodus in libro ſecundo Aegimii*, quomodo ſimiliter hujus poematis librum ſecundum ad partes vocat Scholiaſtes Apollonii, ut ſtatim notavimus: & hanc Gronovii correctionem veram eſſe arbitror, quamvis Meurſius Lib. II. Attic. Lect. Cap. 20. emendet ὡς Ἡσίοδος Γυναικῶν δευτέρῳ, ut innuatur Heſiodi celebre poema εἰς Γυναῖκας, quod in tres καταλόγους fuit diſtributum, quo tendebat Salmaſii emendatio corrigentis ἐν καταλόγῳ δευτέρῳ, ut monuit Berkelius.

(*c*) De quo Pamphylo, Aegimii filio, multa erudita brevi dabit Cl Hemſterhuſius noſter in notis ad Ariſtophan. Plut. pag. 114. & 115. ubi corruptiſſima illa Scholiaſtae Pindari verba ad Od. 1. Pyth v. 120. maculis liberat. In iis autem quod hic Valeſius emendari jubeat ſuo periculo, περὶ Οἴτην οἰκησάντων pro περὶ Ἰταλίαν, nondum mihi perſuadet certam illam & indubitatam eſſe correctionem, ſed potius amplectendam puto emendationem, cujus me admonuit itidem Hemſterhuſius, qui legendum cenſebat, περὶ Οἰχαλίαν, quam veriſſimam eſſe lectionem, & praeter hiſtoriae veritatem ad literas vulgatae propius accedere, non negaturum ipſum, ſi viveret, Valeſium opinor.

CAPUT XXXIII.

Harpocration emendatus & illuſtratus. Mauſſaci opinio rejecta. Decemviri in Piraeeo quinam fuerint? Meurſius notatus. Andocidis locus correctus. Corn. Nepotis error.

LOcus eſt apud Harpocrationem in voce Μόλπις, admodum difficilis & obſcurus, qui ſic habet, Μόλπις. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ Διογένους κλήρου φησί; Μόλπις ὁ τῶν ἐν Πειραιεῖ, οἱ δ' ἄρα μετὰ τοὺς Τριάκοντα, Δέκα Ἄρχοντες ἦρχον ἐν Πειραιεῖ, ὧν εἷς ἦν ὁ Μόλπις, ὡς Ἀνδροτίων ἐν τρίτῃ Ἀτθίδος &c. Philippus Mauſſacus (*a*) exiſtimavit Lyſiam ſeu Harpocrationem hic loqui de decem magiſtratibus, quos Athenienſes abdicatis XXX. Tyrannis conſtituerunt, de quibus Harpocration ſcribit in voce Δέκα. Verum ego pace ejus Viri dixerim, aliter ſentio. Hi enim decem Magiſtratus, qui poſt triginta Tyrannos creati ſunt, nullum in Piraeeo imperium habuerunt. Qui enim poſſint illic imperium habere? cum Piraeeus tunc temporis ab exulibus teneretur, ut teſtatur Xenophon in Lib. II. Diodorus in Lib. XIV. aliique plures. Proinde alii decem Magiſtratus quaerendi ſunt, qui in Piraeeo imperaverint: de quibus dicam, paulo altius narratione repetita. Fractis Athenienſium rebus navali proelio ad Helleſpontum, tumultus in urbe, ut par erat, exortus eſt: Ii ergo, qui mutatam Rempublicam maxime volebant, conjuratione inter ſe facta, Ephoros quinque conſtituerunt, qui & populum ad concionem convocarent, & Duces ac Praefectos ad cuſtodiam urbis, & reliquos Magiſtratus arbitrio ſuo crearent. Horum e numero fuit Critias & Eratoſthenes, ut ſcribit Lyſias in oratione contra Eratoſthenem. Hi cum Lyſandrum arceſſiviſſent, concione habita, effecerunt, ut Democratia Athenis ſolveretur, & triginta Viri conſtituerentur ſummo imperio praediti. Praeter hos vero, undecim quidem Magiſtratus in urbe, decem autem in Piraeeo crearentur, qui fori rerumque venalium curam haberent. Id quod teſtatur Plato in Epiſtola VII. ad Dionis propinquos. καὶ τῆς μεταβολῆς, inquit, εἷς καὶ πεντήκοντά τινες ἄνδρες προὔστησαν ἄρχοντες, ἕνδεκα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δὲ ἐν Πειραιεῖ περί τε ἀγορὰν ἑκάτεροι τούτων, ὅσα τ' ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει· τριάκοντα δὲ πάντων ἄρχοντες κατέστησαν αὐτοκράτορες· Horum undecim Virorum ac decem Virorum, qui cum triginta Tyrannis imperium geſſerunt, meminit etiam Xenophon in Lib. II. rerum Graecarum pag. 280. Editionis Henrici Stephani; ubi inter exules, qui erant in Piraeeo, & cives ex Aſtu pacem a Pauſania Lacedaemoniorum Rege factam eſſe ſcribit, his conditionibus, ut ſingulis domum ſuam repetére liceret, exceptis triginta & undecem Viris ac decem Viris, πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα, καὶ τῶν ἐν Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα. Ex horum decem Virorum numero,

(*a*) Dederat hanc opinionem ſuam Mauſſacus in notis ad Harpocr. p. 116. in voce Δέκα, ſed refutavit eam Valeſius ad notas Mauſſaci p. 107. Ed. Blanc. ubi maximam partem eorum, quae erudite & prolixe in hoc capite de his Decemviris in Piraeeo traduntur, breviter collegerat, ſimul admonens ſe multa de iis notaſſe ad Xenophont. Hellenic. Lib. II. Scribit etiam illic Valeſius, ſibi verba illa οἱ δ' ἄρα μετὰ τοὺς

ro, unus fuit & Charmides Glauconis filius, teſte Xenophonte pag. 278. Ubi eum caeſum fuiſſe dicit in ea pugna, in qua & Critias cecidit unus e triginta Tyrannis, τῶν δ' ἐν Πειραιεῖ δέκα ἀρχόντων Χαρμίδης. Denique Plutarchus in Lyſandri vita hos decem Viros Piraeei commemorat his verbis, τὴν πολιτείαν ἔλυσε, τριάκοντα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δὲ ἐν Πειραιεῖ καταστήσας ἄρχοντας. Creati ſunt hi decem Viri cum undecim Viris & triginta Tyrannis anno primo Olympiadis 94. Anno autem ejuſdem Olympiadis quarto, cum exules duce Thraſybulo Piraeeum occupaſſent, atque in dies transfugientibus ad eos civibus, opes eorum animique augerentur, Athenienſes qui erant in urbe, pulſis triginta Tyrannis, quorum crudelitatis ipſos jam pertaeſum erat, illorum loco decem Viros cum ſummo imperio conſtituerunt; Unum ex ſingulis tribubus, ut ſcribit Xenophon & Diodorus. Unus ex his fuit Phidon, qui ex triginta Tyrannis fuerat, & pulſis triginta Tyrannis ſolus cum Eratoſthene non erat e civitate pulſus. Inter hos etiam Hippoclem & Epicharem Lampreñſem fuiſſe teſtatur Lyſias in Oratione contra Eratoſthenem. (*a*) Rhinon quoque ex horum decem Virorum numero fuiſſe perhibetur ab Iſocrate in exceptione adverſus Callimachum. Porro hi decem Viri, cum ab Athenienſibus creati eſſent eo conſilio, ut exules cum civibus reconciliarent, contrariam prorſus viam inierunt: Nam & triginta Tyrannos, qui Eleuſinen ſe receperant, oppugnare, & exules in Piraeeo adoriri ſtatuerunt, cum in animo haberent nihilo mitiorem, quam quae ſub triginta Tyrannis fuerat, dominationem conſtituere. Phidonem igitur legatum miſerunt Lacedaemonem, qui auxilium ab iis peteret, ad oppugnandum Piraeeum, ac centum talenta a Lacedaemoniis mutuati ſunt, ut mercenarios conducerent, ducemque Lyſandrum paucorum potentiae ſtudioſiſſimum, ſibi dari poſtulaverunt. At Pauſanias Lacedaemoniorum Rex, qui Lyſandri gloriae invidebat, ſubmiſſis, qui exules monerent, ut ad ſe legationem mitterent, pacem inter eos ac cives fecit his conditionibus, quas ſupra ex Xenophonte memoravi. Id autem contigit Olymp. 94. Anno 4. Reverſus igitur in urbem (*b*) Thraſybulus una cum exulibus, primum quidem Diis gratias egit: deinde

τῶν τριάκοντα &c. apud Harpocr. in voce Μόλπις p. 245. videri Harpocrationis eſſe, non ipſius Lyſiae, ut perperam putaverat Mauſſacus. hic autem nihil certi definiendo videtur id in medio relinquere, dum dicit *Lyſiam ſeu Harpocrationem*. Ceterum praetermittere non poſſum egregiam in hoc Harpocrationis loco emendationem, quam mihi ſuggeſſit Cl. Hemſterhuſius: Ille enim refingendum in eo putabat, Μόλπις ὁ τῶν ἐν Πειραιεῖ ι΄, id eſt, δέκα, quam numeralem literam abolitam eſſe exiſtimabat ex praecedenti voce Πειραιεῖ, deinde verba illa ἐν δ' ἄρα ut inutilem laciniam reſecanda, locumque ita conſtituendum eſſe cenſebat: Μόλπις ὁ τῶν ἐν Πειραιεῖ δέκα; Quae Lyſiae verba ſunt, iisque explicandis de ſuo Harpocrationem addidiſſe: Μετὰ τῶν τριάκοντα δέκα ἄρχοντες ἦρχον ἐν Πειραιεῖ &c. ita certe concinnius procedit oratio, & poſt Valeſii inſignem emendationem perſanatum puto hunc Harpocrationis locum. Quod autem Vir Cl. Jac. Gronovius in notis ad Harpocr. p. 94 ex Codice Mediceo legendum putet δέκα ἄνδρες, pro ἄρχοντες, quia in Tyrannos illos honeſtam nimis Archontum appellationem non convenire exiſtimet, contrarium plane, ut puto, patebit ex locis Xenophontis & Platonis a Valeſio hic adductis, ubi ἄρχοντες ſimiliter vocantur. Ceterum de praefectis his Piraeei vide etiam Meurſ. in Libro de Piraeeo Cap. X.

(*a*) De eo vide Mauſſacum ad Harpocrationem p. 312. cujus palmaria illic de hoc *Rhinone* in loco Iſocratis eſt emendatio.

(*b*) Refert haec Juſtinus Lib. V, Cap. 10. ubi vid. notas. & Leon: Allatium ad Socraticas Epiſtolas pag. 168.

bem de legem tulit, ut injuriae utrimque inlatae oblivioni mandarentur. Quod cum populus ſciviſſet, viginti Magiſtratus conſtituti ſunt, qui Reip. curam gererent, donec leges praeſcriptae fuiſſent. Interim vero leges Solonis Draconiſque ſervari in civitate voluerunt; ut ſcribit Andocides in Oratione de myſteriis: Ubi etiam jusjurandum illud refert, quodpublice praeſtiterunt Athenienſes, oblituros ſe injuriarum omnium. (a) καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδὲν, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα. Quinam eſſent hi ἕνδεκα non intellexit Meurſius in Lib. III. de Archontibus Atheniens. Cap. 15. Sunt autem undecim Viri, de quibus ſupra diximus. Deeſſe vero videtur in Andocide nomen decem Virorum: ſic enim ſcripſiſſe videtur Andocides, καὶ τῶν ἕνδεκα, καὶ τῶν δέκα. Ex his adparet longe differre hos decem Viros ab illis decem Viris Piraeei: Et quid mirum a Mauſſaco non fuiſſe diſtinctos, cum Cornelius Nepos utroſque confuderit: ſic enim ſcribit in Thraſybulo: (Cap. 3.) *Is inter Thraſybulum & eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus, ne qui praeter triginta tyrannos & decem, qui poſtea Praetores creati, ſuperioris more crudelitatis erant uſi, adficerentur exilio.* Nam Xenophon pag. 280. decem Viros Piraeei diſerte dicit, ut ſupra notavi. Quae cum ita ſint, adparet in Harpocrationis Lexico ſcribendum eſſe, μετὰ τῶν τριάκοντα, δέκα ἄρχοντες ἦρχον ἐν Πειραιεῖ·

CAPUT XXXIV.

Julius Pollux correctus. Poſtelli, Sigonii, & Meurſii opinio inprobata.

SUperiori capite docui, pulſis triginta tyrannis, & reverſis in patriam exulibus, viginti viros ab Athenienſibus eſſe conſtitutos; quod quidem Andocidis Oratoris teſtimonio comprobavi. Eorumdem viginti Magiſtratuum meminit Julius Pollux in Lib. VIII. Cap. 9. (ſegm. 112.) ſed quia locus eſt corruptiſſimus, hic eum adponam. Γυναικοκόσμοι δὲ ἀρχοὶ ἐπὶ τοῦ κόσμου τῶν γυναικῶν, τὰς δὲ ἀκοσμούσας ἐζημίουν, καὶ τὰς ζημίας αὐτῶν γράφοντες, ἐξετίθεσαν ἐπὶ τῆς πλατάνου τῆς ἐν Κεραμεικῷ. Οἱ εἴκοσι τούτους εἵλοντο μετὰ τῶν τριάκοντα τῆς πολιτείας, καὶ τῶν νόμων ἐπιμελητῶν ἀριστίνδην ἐπιλε-

(a) pag. 217. Edit. Miniati. ubi integrum illud Athenienſium jusjurandum refertur, ad quod reſpexit Cicero in Orat. I. Philip. Cap. I. *quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis, Athenienſiumque renovavi vetus exemplum: Graecum etiam verbum uſurpavi quo tum in ſedandis diſcordiis erat uſa civitas illa, atque omnem memoriam diſcordiarum oblivione ſempiterna delendam cenſui.* Quo in loco diſſentiunt viri docti, an Cicero graecum verbum civitatis ἀμνηστίαν (quod in textum a ſciolis ibidem inſcite intruſum fuit) uſurpaverit, an vero illud, quo uſus eſt Thraſybulus μὴ μνησικακεῖν, a priori ſententia ſtat Manutius in Comment. pag. 50 & 51. Ed. Graev. ſed Muretus Lib. II. Var Lect. Cap. 15. cum ex hoc ipſo Andocidis loco, tum ex Xenophonte & Aeſchine alterum μὴ μνησικακεῖν indicaſſe Ciceronem docte probat, quem tamen refutat Fabricius in eruditis ad Oroſium notis Lib. II. Cap. 19. p. 125 & 126. vide & Boxhornii notam ad Nepotis locum in Thraſyb. Cap. 3. ubi jusjurandum illud ex hoc Andocidis loco itidem inluſtrat.

ξάμβοι· Viri Doctiſſimi hactenus exiſtimarunt haec Pollucis verba ad γυναικοκόσμυς referri debere: qua in ſententia fuit Poſtellus, & Sigonius, & Meurſius Lib. II. Atticarum Lectionum Cap. 5. cum tamen disjungenda ſint Pollucis verba. Poſtquam enim de Gynaecocoſmos locutus eſt, tum de viginti Viris loquitur. Scribe igitur a capite; (a) Οἱ Εἴκοσι· Τύτυς εἵλοντο μετὰ τὺς τελάκοντα, τῆς πολιτείας ϗ τῶν νόμων ἐπιμελητάς &c. Id eſt, *Viginti Viri. Hos ejectis triginta tyrannis, creaverunt Athenienſes, qui Reipublicae ac legum curam gererent, eosque viritim legerunt.* Andocidis locus, quo tamquam fundamento haec emendatio noſtra innititur, extat in Oratione de myſteriis pag. 11. editionis Aldinae, quem brevitatis ſtudio praetermittam.

(a) Locum hunc Pollucis ita, ut hic eum corrigit, emendandum eſſe monuerat Valeſ. in notas Mauſſac. ad Harpocration. p. 107 ubi ſimiliter Poſtelli, Sigonii, ac Meurſii errorem indicavit: & ita quoque Kuhnius ex v. c legendum eſſe notavit, quem non praeteriit itidem Andocidis ille locus, cujus integra verba, a Valeſio hic non adſcripta, exhibuit.

HEN-

HENRICI VALESII EMENDATIONUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Dionis Chryſoſtomi vita enarrata. Dio natus in urbe Pruſa ad Olympum. Pater ejus Paſicrates, vir illuſtris. Dio civis Romanus ex equeſtri familia. Philoſophiae ſe tradit. Veſpaſiani amicus. Domitianum fugiens in exilium abit Delphos; ubi oraculum conſulit. Inde Boryſthenem uſque & Hypanim pervenit. a Getis benigne excipitur. Dionis Getica interciderunt. In Graeciam redit. Romam tendens morbo opprimitur; a Trajano benevole habetur. Patriae ſuae Pruſae multa commoda impetrat. in eam revertitur. quae erga eum ingrata eſt. Qualis in Reſpubl. extiterit: Socraticae ſectae Philoſophus fuit. Xenophontis amator. Ejus diſcipulus Favorinus Arelatenſis.

CUm hic liber Dioni Chryſoſtomo ſpecialiter dicatus ſit, ab ejus vita, quam ex ipſius Orationibus collegi, exordium ſumam.

Dio Chryſoſtomus natus eſt in Bithyniae oppido Pruſa: Sed cum duae ſint hujus nominis urbes in Bithynia, altera ad Olympum montem, altera ad Hyppium fluvium ſita, utrum harum fuerit Dionis patria, obſcurum. Ego vero non dubito quin Pruſae ad Olympum natus ſit. Idque ut credam, plurimis argumentis inducor. Primum enim Dio in Oratione XL. & XLI. Pruſam ſuam ait vicinam & conterminam fuiſſe Apamiae, civitati maritimae. Deinde in Oratione XLIV. ait urbem fuiſſe non admodum antiquam, quae tamen brevi celeberrima inter Graecas urbes evaſerit. Poſtremo in Oratione XL. & XLIV. ait in ea conventum fuiſſe jurisdictionis cauſa. Haec autem non alteri conveniunt, quam Pruſae ad Olym-

(a) Vitam Dionis hujus conſcripſit inter veteres Philoſtratus de vitis Sophiſtar. Lib. I. n. 7. & Photius in Excerptis, quae leguntur ante Dionis Orationes in Editione Caſauboni. Comparanda etiam ſunt, quae, licet non ita prolixe ut hic Valeſius, de ejus vita, fatis, ac ſcriptis habet Fabricius in Biblioth. Graec. Lib. IV. cap. 10.

Olympum, quae vicina fuit Apamiae, teſte Ptolemaeo: & recens condita ab Annibale, ut docet Plinius in Lib. V. ſub finem: Et conventus jurisdictionis cauſa, ſolennis fuit Pruſae ad Olympum, quod docet Plinius junior in Lib. X. Epiſtolarum ad Trajanum, in qua nominatim de Dione noſtro loquitur, ut poſtea oſtendemus.

Natus autem fuit parentibus nobiliſſimis. Nam & pater ejus Paſicrates princeps fuit civitatis quoad vixit: Et avus gratia & auctoritate plurimum potuit apud Imperatorem Romanum, a quo etiam civitate Romana donatus eſt, ut ſcribit Dio in Orat. XLI. ad Apamenos: qui ſi diutius vixiſſet, hoc etiam beneficium impetraturus erat, ut Pruſa libera fieret ac ſui juris, ut ait in Orat. XLIV. Fuit autem Vir ſingulari doctrina praeditus, quae amicitiam Principum, opes quoque ipſi conciliavit: Nam cum patrimomium omne in erogationes publicas patriae ſuae impendiſſet, poſtea, tum ex doctrina, tum Imperatorum beneficiis, opes ſibi comparavit, quod refert Dio in Oratione XLVI. Sed & majores ejus, Clariſſimi in Rep. Viri, ſtatuis & publica ſepultura ornati fuerant, ut ibidem ſcribit. Ex his igitur natus Dio, civis fuit Romanus, quemadmodum ipſemet profitetur in Orat. Corinthiaca: Idque ex equeſtri familia, ἐκ τῶν ἱπποτρόφων. Sed quamquam civis Romanus, & ſplendida equeſtri familia natus Dio, ad ſummos honores facile adſpirare poſſet, cuncta tamen prae Sapientiae ſtudio deſpexit: Abjecta igitur cura rei familiaris, philoſophari inſtituit, ac, relicta patria, peregre profectus, univerſum prope orbem Rom. peragravit, eo conſilio, ut & ſe variis laboribus ad patientiam ac fortitudinem exerceret, & cum ſummis quibusque Viris colloquendo undique Sapientiae praecepta colligeret. Neque vero philoſophari ipſe contentus, alios quoque partim exemplo ſuo, partim ſermonibus ad Sapientiae ſtudium incitavit, ut in Corinthiaca ipſe gloriatur; Inter quos Laſthenes fuit quidam, oriundus Apamiae Bithyniae, qui tamen aliquanto poſt, relicto pallio, ad militiam deſcivit. Sed cum idem poſtea mutato conſilio, ad philoſophiam regredi vellet, a Veſpaſiano Principe impetravit Dio, ut ſacramento militiae ſolveretur: Adjecit Veſpaſianus in Dionis gratiam, ut Laſtheni philoſophanti ſtipendia procederent, non ſecus ac ſi militaret, ut ſeribit Philoſtratus in Lib. V. de vita Apollonii. In hac peregrinatione congreſſus eſt Dio cum Apollonio Tyaneo & Euphrate Tyrio, celeberrimis ejus aetatis Philoſophis; inter quos cum ex aemulatione diſſidia extitiſſent, ipſe in utriusque amicitia ſemper permanſit.

Porro cum Veſpaſianus nondum adhuc firmato principatu, ex Syria in Aegyptum veniſſet, Dionem & Euphratem ſibi comites adjunxit, eorumque conſilio in rebus graviſſimis uſus eſt. Quemadmodum refert Philoſtratus in eo, quem dixi, libro. Veſpaſiani imperio, at non amicitiae & benevolentiae in Dionem, ſucceſſit Domitianus: qui cum tyrannos omnes ſaevitia & crudelitate ſuperaret, optimum quemque, indicta cauſa, interſiceret, atque adeo virum quemdam optimum ac nobiliſſimum, Dionisque amiciſſimum, nullam aliam ob cauſam, quam propter ipſius virtutem interemiſſet, haud quaquam territus Dio, eum graviter objurgavit, ſpretis ejus minis, ipſum ultro provocans ac laceſſens. Erat alioqui

Do-

Digitized by Google

Domitianus Philoſophis omnibus inſenſiſſimus: Proin in exilium abire coactus eſt Dio; quod tamen exilium non ſententia Principis irrogatum, ſed voluntarium fuiſſe Philoſtratus tradit. Dio tamen paſſim in Orationibus id exilium nominat, cauſamque exilii prodit amicitiam illius viri, quem dixi, in Orat XIII. Domitianum igitur fugiens Dio, non prae metu, neque enim is erat Dio, qui tormenta ulla metueret, ſed ne inmanitatem atque atrocitatem illius Belluae intueretur, in exilium abire ſtatuit: Ac primum profectus eſt Delphos, ut Apollinis oraculum conſuleret, ut moris fuerat olim apud Graecos, qui nullam majoris momenti rem, niſi conſulto prius oraculo, ſuſcipiebant. Accepit autem hoc ab Apolline reſponſum, ut id quod inſtituerat, forti animo agere pergeret, donec ad ultimas terras perveniſſet, quemadmodum ipſe teſtatur in Oratione XIII. ad Athenienſes. Proinde fidentius itineri ſe accinxit, ſolus ac ſeminudus, jamque adſecta aetate: profectus eſt autem ſecundum ripam Danubii, quo trajecto, adusque Boryſthenem & Hypanim pervenit. Qua porro humanitate exceptus ſit a Boryſthenitis, ipſemet luculenter narrat in Oratione Boryſthenica, ubi ſitum illius urbis & oram maritimam ejus tractus accurate deſcribit. Habebat in animo per Scythiam proficiſci ad Getas, ſicut ipſe ibidem teſtatur: ſed utrum Scythas adierit, incompertum eſt: Erant certe Scythae vicini Boryſthenitis, eosque adſiduis incurſionibus infeſtabant. Hic vero hominis fiduciam mirari ſubit, qui gentes ferociſſimas inermis petere auſus fuerit, non mercaturae cauſa, neque ad foedus & amicitiam cum iis paciſcendam; ſed duntaxat ut eorum mores ac diſciplinam & ſtudia cognoſceret. Exceptus eſt autem benigne a Getis, tametſi nudus ad armatos, inbellis ad bellicoſos, pacatus ad inquietiſſimos perveniſſet: Atque utinam extarent illius (*a*) Getica, quod opus ſummis laudibus effert Philoſtratus.

Mortuo Domitiano, rebusque meliorem in ſtatum converſis, Dio in Graeciam reverſus eſt: Ac primo Olympiam adiit voti cauſa, quod multo antea Jovi Olympiaco voverat. Ibi orationem habuit ad Helienſes, quae Olympica inſcribitur, quam equidem inter elegantiſſimas Dionis orationes numerare ſoleo. Inde cum Romam proficiſci inſtituiſſet, ut conveniret Nervam optimum Principem, quocum erat antiqua neceſſitudine conjunctus, in morbum incidit: quo factum eſt, ut pulcherrima opportunitate juvandae atque augendae patriae fruſtratus ſit Dio: nihil enim erat, quod ille a Nerva impetrare non poſſet. Sed hanc jacturam Nervae ſucceſſor Trajanus brevi ſupplevit. Hic enim non minori benevolentia Dionem complexus eſt: adeo ut in conſeſſum vehiculi ſaepe illum admitteret, & ad eum converſus, haec dicere ſoleret, *quid loquaris*, inquit, *neſcio: caeterum te amo non minus, quam me ipſum*; quemadmodum a Philoſtrato relatum eſt. Ea porro amicitia Principis non ad quaeſtum proprium abuſus eſt Dio, licet maximo aere alieno oppreſſus, quod pater ei moriens reliquerat: nihil enim neque ſibi, neque ſuis a Trajano umquam popoſcit: ſed de patria ſua duntaxat ſollicitus, quam & ampliſſimam & ornatiſſimam eſſe cupiebat, impetravit ei a Trajano, ut centum

(*a*) Quae Dioni huic iiſdem adſcribit Philoſtratus, ſed Dioni Caſſio perperam Suidas. vid. Fabric. p. 319.

Senatores ſupra legitimum numerum allegere ipſi liceret; ut ſcribit Dio in Orat. XLV. & XL. Impetravit etiam, ut conventus Pruſae ageretur a proconſulibus, quo vicinae civitates & oppida & vici juriſdictionis cauſa convenirent, ut indicare videtur in eadem Orat. XL. pag. 495. & in Orat. XLV. pag. 516. Maximo tunc omnium hominum favore celebratus eſt Dio: Nam & Romae rogatus a clariſſimis hominibus frequenter declamavit ſummo audientium plauſu, ut ipſe teſtatur in Orat. XIII. & omnes fere Graeciae atque Aſiae civitates, miſſis ad eum legationibus, & honorificis decretis, publice ipſi gratulatae ſunt ob reditum felicem, eumque civem & Senatorem apud ſe adſciverunt, quemadmodum ipſe in Corinthiaca, & in Orat. ad Nicomedienſes & ad Apamenos. Pruſenſes decreto publico ei gratias egerunt, utque in patriam redire vellet, rogarunt: tanto amore patriae, tantoque deſiderio flagrabat Dio, ut Principis amicitiam & gratiam, ut familiaritatem nobiliſſimorum hominum, qui erant in urbe, ut opes atque auctoritatem, omnia denique ei uni poſtponeret. Itaque cum ſuper hac re epiſtolam ad Trajanum ſcripſiſſet, ab eoque reſponſum accepiſſet, quo facultas redeundi concedebatur, in patriam tandem reverſus eſt.

Ibi cum rem familiarem magnopere inminutam reperiſſet; quippe ob diuturnum ejus exilium ac longinquum, plerique ſervorum aufugerant, ac libertatem uſurpaverant; multi quoque fundos ac praedia per vim occupaverant, ipſe tamen de nullo umquam conqueſtus eſt, neminem in judicium vocavit, ut ait ipſemet in Orat XLV. ad cives ſuos. Sed tamen talis tantusque vir, & de patria ſua optime meritus, non parem a ſuis civibus gratiam retulit. Cum enim porticum quamdam in patria ſua fieri ſuaſiſſet, ut & peregrinis & proconſulibus, qui in urbem juriſdictionis cauſa veniebant, civitas ornatior adpareret, atque in id opus magnam pecuniae vim cum ipſe, tum amici ejus polliciti eſſent, in hujus operis aedificationem coactus eſt tabernam quamdam aerariam demoliri. Hinc occaſione arrepta calumniatores ejus urbem ab illo deſtrui criminati ſunt: cumque opus jam perfectum Reip. adſignaret Dio, Eumolpus & Archippus Philoſophus reſtiterunt, & Plinio proconſuli libellos obtulerunt: quibus Dionem inſimulabant, quod non recte neque ex utilitate Reip. id opus feciſſet, & quod in eodem opere ſtatuam Principis, & cadavera uxoris ac filii poſuiſſet. Cum Plinius ſuper hoc poſtremo accuſationis capite Trajanum conſuluiſſet; reſcripſit Trajanus, quaeſtionem Majeſtatis in ejusmodi negotio admittendam non eſſe; id enim a temporum ſuorum modeſtia abhorrere. Extat etiamnum Epiſtola (a) Plinii ad Trajanum, cum reſcripto Divi Trajani: quod certe mirum eſt, non animadvertiſſe Caſaubonum, praeſertim cum

(a) Lib. X. Epiſt. 85. ubi Dio hic Chryſoſtomus vocatur *Dio Cocceianus*, a patrono ſuo *Cocceio Nerva*. Vide illic notam Catanaei, qui recte Dionem Pruſenſem intelligit; Nam Plinii Epiſtolam ad hunc Dionem pertinere jam dudum oſtenderat Valeſius in notis ad Excerpt. Peireſcian. p. 80. ubi pleraque eadem, quae hic de injuria civium Pruſenſium erga Dionem tradit, notavit. Errat igitur Jonſius Lib. III.° de Scriptor. Hiſt. Philoſ. Cap 14. p. 283. ubi Dionem hunc Pruſaeum, cujus Orationes ſuperſunt, diverſum facit ab illo Dione Cocceiano apud Plinium memorato: merito etiam Fabricius in diverſa abiit a Tillemontio aliisque Viris doctis, qui eos diſtinguendos eſſe voluerunt.

cum & in Dionis Orationes & in Plinii Epiſtolas, notas conſcripſerit. De hac calumnia paſſim loquitur Dio in Orationibus XL. & ſequentibus.

Sed & aliquanto poſt, cum penuria annonae urbs Pruſenſium laboraret, ſparſusque ſermo eſſet in vulgus, Dionem horrea occludere, ut frumentum carius venderet, populares furore concitati in aedes ejus irruerunt cum ſaxis & facibus, parumque abfuit, quin una cum conjuge & liberis incenderetur: de quo queritur graviter in Orat. XLVI.

In Republica autem ita ſe geſſit, ut nihil laudis & gloriae cauſa faceret: ſolum enim patriae commodum prae oculis habebat: aliorum autem gloriae favebat quam maxime. Itaque ſi quis in Senatu auctor fuiſſet alicujus ſententiae, quam ipſe e Rep. fore exiſtimabat, primus hominem laudabat, utque ei negotium committeretur, ſuadebat. Cuncta enim per alios geri, quam per ſemetipſum, malebat, niſi forte cum ejusmodi res eſſet, quae non niſi per ipſum poſſet perfici, ut teſtatur in Orat. XL.

Quod ad Philoſophiam adtinet, Socraticum maxime philoſophandi genus adamavit; ac crebro dicere ſolebat, ut cibi abſque ſalis condimento inſulſi ſunt, ita orationem, quae Socratico ſale ac lepore deſtituta ſit, inconditam eſſe. Ex Socraticis autem praecipue Xenophonten ſuſpexit, cujus ſuavitatem & nativam quamdam ſimplicitatem in dicendo aemulatus eſt, ejusque libros numquam de manibus deponendos eſſe homini Remp. gerenti, & ad eloquentiae gloriam adſpiranti, ſuadet in Orat. XVIII. Habuit autem diſcipulos & ſectatores quam plurimos, quos partim exemplo ſuo, partim ſermonibus ad philoſophiam incitavit. Sed omnium longe celeberrimus fuit Favorinus Arelatenſis, qui Dionem ſemper magiſtrum vocare ſolitus erat, ut auctor eſt (a) Philoſtratus. Hunc igitur intelligit Dio in Orat. Corinthiaca pag. 462. cum ait ſe multos, non Graecos ſolum, ſed etiam Barbaros eo adduxiſſe, ut ſecum una philoſopharentur: & Graecis quidem oſtendiſſe quantum poſſet inſtitutio atque doctrina, ut quis Graecus eſſe videatur, qui tamen oriundus non eſſet ex Graecia: Romanis vero, eos qui dignitate excellunt, doctrinam dignitati poſtponere non oportere: Celtis vero, neminem Barbarorum animum deſpondere debere, quaſi ad doctrinam Graecorum adſpirare non poſſet.

CAPUT II.

De urbe Pruſa ad Olympum, quae & Pruſias dicta. Ortelii error refutatus. Appiani locus ſuppletus. Concilium Nicaenum correctum. Pruſa ad Olympum a quo condita. Emendatus Philoſtratus, & forte Memnon.

SUperiori capite dixi duas fuiſſe urbes in Bithynia, Pruſas nomine; harumque alteram ad Olympum ſitam Dionis Chryſoſtomi patriam fuiſſe. Nunc vero demon-

(a) Qui tamen tradit eum Dionem quidem audiviſſe, verum ab eo tantum diſtare, quantum is qui numquam audiviſſet. vid. Lib. I. de Vitis Sophiſtar. num. 8. ubi vitam ejus deſcribit, & quae de hoc Favorino illic notavit Olearius.

monſtrare conabimur, hanc ipſam Pruſam etiam alio nomine Pruſiadem eſſe vocitatam. Sed antequam id adgrediamur, refellendus eſt obiter error Ortelii, qui in Lexico Geographico ſcribit, tres fuiſſe urbes in Bithynia, quae Pruſae communi nomine dicerentur: duas ſcilicet, quas ſupra memoravi, ac praeterea Cium. Sed errat Ortelius, ut dixi. Neque enim Cius Pruſae nomen umquam obtinuit, neque id a (*a*) Strabone dictum eſt. Pruſias quidem vocata eſt, quemadmodum teſtatur Memnon, & Strabo, ac Solinus, quibus Ptolemaeus quoque ſuffragatur, & Stephanus. Nec opus eſt pluribus verbis ad refellendam ſententiam, quae nulla veterum Scriptorum auctoritate ſubnixa eſt. Ut igitur ad propoſitum redeam, Pruſam ad Olympum ſitam, Pruſiadis quoque nomen tuliſſe primum teſtimonio Plinii vincam. Is in Epiſtola ad Trajanum (Lib. X. Epiſt. 85.) ſcribit, cum Pruſae ad Olympium publicis negotiis audiendis vacaret, accuſatum eſſe Dionem ab Eumolpo quodam, cui Flavius Archippus adſiſtebat, quod opus quoddam publicum non ex utilitate Reip. nec prout debuerat, aedificaſſet: Addit deinde, cum Nicaeae cogniturus pro tribunali ſediſſet, adfuiſſe Eumolpum & Archippum: *Archippus*, inquit, *cui Eumolpus ſicut* (*b*) *Pruſiadae adſiſtebat* &c. At initio epiſtolae, Archippo Eumolpum adſtitiſſe dicit in urbe Pruſa, ex quo neceſſario conficitur, Pruſam & Pruſiadem promiſcue dictam fuiſſe.

Alterum argumentum ex epiſtolis ejusdem Plinii petitum eſt, in quibus refert ad Trajanum de Flavio Archippo Philoſopho Pruſenſe, qui a Velio Paulo proconſule Ponti ac Bithyniae damnatus fuerat in metallum ob crimen falſi. Archippus nihil proferebat, quo reſtitutum ſe adverſus illam ſententian probaret: Sed adlegabat epiſtolam Domitiani Imperatoris ad honorem ſuum pertinentem, qua ille procuratori ſuo mandaverat, ut agrum emeret Archippo, circa Pruſiadem patriam Archippi; unde Archippus ſe ſuasque alere poſſet: Extat haec epiſtola Domitiani in libro X. Plinii Ep. 66. (*c*)

Ex

(*a*) Cujus locus eſt Lib. XII. p. 563. Ed. Paris: *ἐν ᾗ Προῦσά ἐστιν ἡ Κίος πρότερον ὀνομασθεῖσα.* Ita illic ſcribebatur in vulgatis Editionibus, quas ſolas conſulere potuit Ortelius; ſed Salmaſius ad Solin. pag 877. ex MSS. emendari juſſit *Πρυσιάς ἐστιν*, quomodo etiam Caſaubonus in margine Editionis ſuae adnotavit, vetuſtos codices praeferre *Πρυσία* vel *Πρυσιάς*, & in Notis pag. 217. monet *Pruſam*, quam *Cium* vocant reliqui, a Memnone ſemper *Κίερον* adpellari, a quo diverſus abit Palmerius in Exerc. ad Script. Graec. pag. 335. & docet *Κίερον* & *Κίον* inter ſe diverſas eſſe, eumdemque in Scaligero quoque errorem notat. Idem etiam p. 182. locum Memnonia de Pruſiade corrigit, ubi pro *αὐτῇ δὲ Κίερος ἡ παλαιὸν ἐκαλεῖτο*, legit *αὐτῇ δὲ Κίος*. Ceterum multa de tribus his urbibus erudita habet Holſtenius ad Stephan. Byzant. p 263. & 264, ubi ex nummis antiquis *Pruſas* egregie inluſtrat; & ita de Pruſa ad Olympum capiendus etiam eſt nummus apud Begerum in Theſaur. Brandenburg. Tom. II. p 643. plura de iis dabit Cellarius Geograph. Antiq. Lib. III, c. 8. p 241. & ſeq. & pag 256-258. diverſitatem autem Plinii & Strabonis de conditoribus Pruſae, adducto itidem Dionis Chryſoſtomi loco ex Orat. XLIV. examinat etiam Celeb. Weſſelingius in eruditiſſimis ad Hieroclis Synecdemum notis p. 692. & 694.

(*b*) Ita recte Aldina, Juntina, aliaeque editiones, cum in aliis habeatur *Pruſae.*

(*c*) In quo loco circa *Pruſiadem* fruſtra haeret Cellarius, (ut in noviſſima Cortii editione notatum eſt) qui *Pruſiadem* in Epiſtola hac Domitiani apud Plinium corruptam eſſe ſuſpicabatur, quia in altero Plinii loco Lib. X. Ep. 85. *Pruſa ad Olympum* dicitur; ſed *Pruſiadem* & *Pruſam* promiſcue dictam hic egregie evincit Valeſius: quamvis in Oxonienſi Plinii Editione Hearnius in notis ad d. l. Lib. X. Ep. 85. ex Stephano probare conetur *Pruſam* dictam eſſe ad Olympum, & inde ejus gentile *Pruſaeus*, ſed quae ad Hypium amnem ſita eſt, *Pruſiadem* adpellatam, ejusque gentile *Pruſiaeus* eſſe, ac nonnulla alia inſuper de Pruſa habet.

Ex epiſtola autem Plinii ad Trajanum de Dione, quam ſupra retulimus, adparet hunc Archippum oriundum fuiſſe Pruſa ad Olympum, perinde ac Dionem; quippe qui Dionem accuſaverit, quod opus publicum Pruſae aliter feciſſet, ac debuerat. Nam ſi Archippus alterius civitatis fuiſſet, quid ejus intererat qualiter opus a Dione factum eſſet Pruſae? Fuit igitur Archippus ſine dubio ex Pruſa ad Olympum; & cum ejus patria in epiſtola Domitiani Pruſias adpelletur, ſequitur id quod dixi, Pruſam & Pruſiadem promiſcue adpellatam fuiſſe. Quod ſi auctoritas Plinii fortaſſe non ſufficit, alterum huic adjungam teſtimonium Appiani: Is in libro, qui Mithridaticus inſcribitur, pag. 223. (Ed. Henr. Steph.) de Triario & Barba loquens ducibus Romanis, qui cum exercitu in Bithyniam inruperant: ὁ δὲ Βάρβας τὴν Προυσιάδα εἷλε, τὴν πρὸς τῷ ὄρει: id eſt, *Barba vero Pruſiadem cepit, quae ad montem ſita eſt.* Olympum ſine dubio montem intelligit (*a*) Appianus: ac fortaſſe locus ita ſupplendus eſt: πρὸς Ὀλύμπῳ τῷ ὄρει. Certe Pruſam ad Olympum a Romanis ducibus captam eſſe tradit Memnon in Libro XV.

Denique in catalogo Epiſcoporum, qui Nicaeno concilio ſubſcripſerunt, inter Epiſcopos provinciae Bithyniae recenſetur Georgius Pruſiadis juxta Olympum montem: Et ante illum ponitur Heſychius quidam Pruſenſis (*b*) juxta *Hyppium* fluvium, & prior utroque Cyrillus Cius: ſic enim ſcribendum eſt, non *Chius.* Ubi vides tres urbes Bithyniae, licet eodem prope nomine ſint, tamen aperte diſtingui: Cium ſcilicet, quae & Pruſias dicta eſt; Pruſam ad Hyppium, & Pruſam ad Olympum, quae aliter Pruſias vocatur, ut dixi. Et haec quidem de nomine.

Caeterum a quo condita ſit Pruſa ad Olympum, parum inter ſcriptores convenire video. Strabo a Pruſia Rege Bithyniae, qui cum Croeſo bellum geſſit, conditam adfirmat. Stephanus autem Byzantius, qui Strabonis verba ſublegit, pro Croeſo poſuit Cyrum. At Joannes Tzetſes Chiliade tertia hiſtoria 115. Pruſiam Nicomedis filium, illum, qui unum os dentium loco habuiſſe dicitur, Pruſam ad Olympum condidiſſe ſcribit: auctoremque ejus rei laudat Arrianum, qui Bithynica conſcripſit. Poſtremo Plinius ab Hannibale extructam eſſe tradit: tunc ſcilicet, cum apud Pruſiam regem Bithyniae moraretur, quam ſententiam confirmare videtur Dio in Orat. XLIV. ad Cives ſuos, cum ait, non ante multum temporis habitari coeptam eſſe Pruſam: At ex Strabonis ſententia ſequeretur Pruſam non adeo recentem eſſe civitatem. Ab hac autem Pruſa ἐθνικὸν fit Προυσαεύς, ut ſcribit Stephanus: quod confirmat Dio in Orat. XLIII. & Photius, ac Suidas. Proinde in Libro I. Philoſtrati de vitis Sophiſtarum perperam ſcribitur Δίωνα τὸν Προυσαῖον.

A Pruſa vero, quae eſt ad Hyppium fluvium patronymicum fit Προυσιεύς, ut teſtantur numi veteres Veri & Macrini. Pruſias autem quae & Cuis vocata eſt,

(*a*) Ita etiam Palmerius hunc Appiani locum intellexit in Ex. ad Scr. Gr. pag. 159. & putat Olympum illic vocari montem κατ' ἐξοχὴν ob amplitudinem ejus & excelſitatem, quem ſi ſequamur, emendatione Valeſii in Appiano opus non erit.

(*b*) Ita ſemper habebat ſcriptum Valeſianum, pro quo alii pejus *Hippium* vocant hunc fluvium, quem ex emendatis Edd. & nummis antiquis *Hypium* ſcribendum eſſe conſtat. Vid. Salmaſ. ad Solin. Tom. II. pag. 877. Ed. Par.

incolas denominat Πρυσιεῖς, quemadmodum legere eſt apud Strabonem & Stephanum. Memnon tamen in Libro de rebus geſtis Heracleotarum Cap. 42. ejus urbis cives vocat Πρυσαεῖς, niſi mendoſi ſint codices.

Caeterum antequam hoc caput abſolvam, lectorem monitum velim, quod in Euſebii Chronico ſcribitur Olympiadis XXXVII. anno 4. Pruſiadem conditam, id de Cio intelligendum eſſe, quae multo poſt Pruſias dicta eſt. Haec enim a Mileſiis condita eſt; tunc quum maris imperium obtinerent, teſte (a) Ariſtotele in Republica Cianorum. Recte in id tempus refertur conditus urbis Cianorum, cum per ea tempora plurimas alias civitates in ora Ponti condiderint Mileſii.

CAPUT III.

Dio Chryſoſtomus emendatus. Caprae pini & oleaſtri adpetentes. Theſſali Pythiis praeſidebant.

NUnc ad Dionis ſcripta veniamus. Ac primum locus occurrit corruptiſſimus in Orat. VIII. quae Diogenes inſcribitur, pag. 133. Ubi ait virum generoſum ſemper in pulvere ac ſtadio verſari: *habere enim illum antagoniſtas*, labores ſcilicet, *quibuſcum adſidue conluctetur, tam noctu, quam interdiu, non pro apio, neque pro Oleaſtro, aut pinu, ſed pro felicitate:* καὶ τούτοις ἀεὶ φιλεῖ μάχεσθαι, καὶ τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν. οὐχ ὑπὲρ σελίνου, ὥσπερ αἱ γυναῖκες &c. non dubito quin Dio ſcripſerit (b) ὥσπερ αἰ-

(a) Cujus locus deſumtus eſt ex Scholiaſte Apollonii Rhodii ad Lib. I. v. 1177. ubi haec notat: ἔστι δὲ Κίος πόλις Μυσίας, ἀπὸ Κίου τοῦ ἀφηγησαμένου τῆς Μιλησίων ἀποικίας, ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοτέλης ἐν Κιανῶν πολιτείᾳ. Κατῴκησαν δὲ αὐτὴν πρῶτον Μυσοί, ἔπειτα Κᾶρες, τρίτον Μιλήσιοι.

(b) Haec Valeſii conjectura, licet nonnulla veri ſpecie blandiatur, veram tamen in Dionis loco emendationem exhibere non videtur. Longe ſaltem melior eſt eo, quod ſomniavit Anonymus ille, (ſive is Seldenus, ſeu Dounæus, vel alius quiſquam ſit) auctor Emendationum ad Dion. Chryſoſtom. quas in lucem dedit Celeb. Wolfius in Anecdot. Graec. Tom. I. ubi pag. 236. hoc in loco tentat, ὥσπερ οἱ νεκροί, *ut mortui*; & adfert proverbium illud, τοῦ σελίνου δεῖται, *apio opus eſt*. quod in morbo capitali de inſtante mortis periculo adhibebatur, quomodo etiam monumenta & ſepulchra defunctorum apio coronabantur. Vid. Schottum ad Proverb. Graec. pag. 255. verum haec nihil huc faciunt, & potuiſſet facile Auctor ille hac correctione ſuperſedere. Quia autem de apio, oleaſtro, & ſimilibus athletarum coronis hic agitur, apioque viridi cinctos fuiſſe Nemeorum victores conſtat, hinc fortaſſis, niſi literarum ductus longius a vulgata diſtare cuiquam adpareat, conjicere liceret ſcribendum eſſe, ὥσπερ Νεμεονῖκαι, *more Nemeonicarum*. Illorum autem praemium fuiſſe coronam ex apio notiſſimum eſt. Plinius Lib. XIX. Cap. 8. ubi de apio agit, dicit: *Honos ipſi in Achaia, coronare victores ſacri certaminis Nemeae* Hinc Νεμεία σέλινα apud Suidam in Νέμεα, quae perperam Kuſterus ſollicitabat. In primo Anthologiae Graecae Epigrammate, ubi omnium Ludorum Olympicorum aliorumque coronas recenſet poëta, ſimiliter habes:

Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Sic Pauſanias Lib. VIII. Cap. 48. praemia horum ludorum enumerans, ἐν Ἰσθμῷ πίτυς, καὶ τὰ ἐν Νε-

αἶγες; quam emendationem ipſe confirmat Dio in oratione ſequenti, quae Diogenes ſeu Iſthmiaca inſcribitur pag. 140. Ibi enim de corona pinea loquens, qua Iſthmiorum certaminum victores coronabantur, ſic ait: ᾗ ὅτι οὐ τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλὰ ταῖς αἰξὶ δηλαδὴ περιμάχητον αὐτὸν εἶναι δεῖ: id eſt: *deque ea corona non homines, ſed capras inter ſe certare debere Diogenes ajebat.* Oleaſtrum quoque maxime adpeti a capris Dio noſter tradit in Orat. LXV. de gloria; non tamen tanto cum furore, quanto ab hominibus adpetitur, qui vitam ipſam profundere parati ſunt, ut corona illa potiantur. An vero etiam apium adpetatur a capris, non memini legere: certe inter cibos caprarum non numeratur ab Eupoli Comico in comoedia, cui caprarum titulum fecerat, cujus verſus refert Macrobius in Libro VII. Saturnalium Cap. 5. quare commodius legi poteſt, οὐχ ὑπὲρ σελίνου, οὐδὲ κοτίνου ἢ πίτυος, ὥσπερ αἶγες. Sequitur mox in Dione, περὶ πάντα τὸν βίον, οὐχ ὅταν Ἠλεῖοι προείπωσιν ἢ Κορίνθιοι, ἢ τὸ κοινὸν τῶν Θετταλῶν. Hic fortaſſe poſſit haerere quiſpiam, quiſnam ſit agon ille, quem a communi Theſſalorum pronunciari ſolitum Dio ſcribit. Ego Pythia intelligi adfirmo, quibus praeſidebant Theſſali ea aetate, teſte (*a*) Philoſtrato, in Lib. IV. de vita Apollonii c. 7. & vita Hippodromi Sophiſtae.

CAPUT IV.

Dio Chryſoſtomus aliquoties emendatus. Phidiae ſimulacrum Jovis Olympii. Mos in ſacris Corybantiis. θρονισμός, θρόνωσις, *&* ἐνθρονισμὸς *quid?* Κορυβαντιᾷν *pro furere.*

ELegantiſſima eſt Oratio Dionis XI. quae Troïca inſcribitur, in qua, quaecumque ab Homero dicta ſunt de Ilio, refellere conatur. In ea Oratione locus eſt

G 2 p. 174.

Νεμέᾳ σέλινα data fuiſſe tradit. Etiam apio, ſed arido, in ludis Iſthmicis coronabantur victores, pro quo deinde in iis pinus ſucceſſit. Unde Diphilus in verſibus apud Athenaeum Lib. VI, pag. 228. Ed. Caſaub.

> Περὶ τῶν σελίνων μαχόμεθ᾽ ὥσπερ Ἴσθμιοις.
> *De apio dimicamus tamquam in Iſthmiis.*

Cujus locum, ne quid diſſimulem, praeivit mihi Eraſmus in Adagiorum Chiliadib. pag. 204. & eo ſpectat Juvenalis in Sat. VIII. v. 226.

> —— *Grajaeque apium meruiſſe coronae.*

ubi vide Scholiaſtem & Grangaeum.

(*a*) Illic apud Philoſtratum nihil haberi video, quod pertineat ad ea, quae hic tradit Valeſius. Sed in Cap. 23. Edit. Olear. de Theſſalis quidem agitur, quamquam nihil etiam ibi, quod ad Pythia ſpectet, reperiatur, nam quod tradat Philoſtratus, ἐς Θετταλοὺς τὰ Ἀμφικτυονικὰ περιῆλθεν, id longe aliud eſt, & nihil huc pertinet. In altero autem Philoſtrati loco, qui eſt ex Lib II. de Vitis Sophiſtar. num. 27. §. 2 tradit auctor apud Theſſalos magnum fuiſſe honorem Pythiis vel ſemel praefuiſſe, & exemplo Hippodromi confirmat, quod magis ad rem facit.

p. 174. qui levi mendo laborat, τῷ μὲν Ἀγαμέμνονι χαρίζεταί τινα ἀρετὴν ἀνόητον. Scribe (a) ἀνόνητον. Idem error occurrit in Orat. XXXVIII. ad Nicomedienſes pag. 477. καὶ τὸ πεπαιδευμένον οὐδεὶς οὕτως ἔχει πρὸς αὐτὸν, ὡς ἐπιθυμεῖν ἀνοήτου πράγματος. Scribo hic etiam ἀνονήτου. In Orat. XII. quae Olympica inſcribitur, plura ſunt, & graviora menda, quae Caſaubonus magna ex parte deterſit. Reſtant tamen quaedam, quae medicinam deſiderant, ut in pag. 198. poſt illa verba, τὸ ἀπὸ γλώττης μόνον συνδεχομένων, quae ſequuntur lineae usque ad illa verba γῆρας ἀοίδιμον, expungendae ſunt, quippe quae ſenſum perturbant & alieno loco poſitae ſunt.

In eadem Oratione pag. 200. loquens de ſimulacro Jovis Olympici ait (b) Phidiam ex Homerica poëſi illud expreſſiſſe, πρὸς τὴν Ὁμηρικὴν ποίησιν, ὥς φασι, Φειδίαν παραβαλλόμενον. Primus omnium Paulus Aemilius id de ſimulacro Jovis Olympici dixiſſe fertur, teſte Plutarcho in ejus vita, & Polybio apud Suidam in Phidias. Vide Valerium Maximum Lib. III. c. 7. (ex. ext. 4.) In eadem Oratione pag. 203. καθάπερ, inquit, εἰώθασιν ἐν τῷ καλουμένῳ θρονισμῷ καθίσαντες τοὺς μυουμένους οἱ τελοῦντες κύκλῳ περιχορεύειν. Male Interpres *thronum* vertit: Nam θρονισμὸς ſeu θρόνωσις eſt initiationis genus, qua Myſtae in ſacro thono collocati initiabantur, armatis circum ſaltantibus ac tripudiantibus; qui mos erat in ſacris, quae Carybantia dicebantur, ut teſtatur Plato in Euthydemo, ποιεῖτε δὲ ταυτὸν, ὅπερ οἱ ἐν τῇ τελετῇ τῶν Κορυβάντων, ὅταν τὴν θρόνωσιν ποιῶνται περὶ τοῦτον, ὃν ἂν μέλλωσι τελεῖν. καὶ γὰρ ἐκεῖ χορεία τίς ἐστι καὶ παιδιά. &c. Heſychius in Lexico, θρόνωσις, inquit, καταρχὴ περὶ τοὺς μυουμένους. Porphyrius in vita Pythagorae (§. 17.) ait illum a Morgi unius ex Idaeis dactylis ſacerdotibus initiatum eſſe in Creta, & in antrum Idaeum deſcendiſſe, ac ter novenos diès ex more ibi egiſſe, Jovique ſacrificaſſe, & thronum, qui Jovi quotannis ſternitur, ibi vidiſſe. Hinc dicti videntur ἐνθρονισμοὶ, carmina ſcilicet, quae his initiis accinebantur; qualia & Orpheum ſcripſiſſe, & Pindarum refert Suidas. Ad hunc morem adludit Origenes in Libro III. contra Ceſſum (pag. 120.) τούτοις, ait, προκαταυλοῦμεν καὶ προκατηχοῦμεν τοὺς ἀνθρώπους, ὥσπερ οἱ τοὺς κορυβαντιζομένους περιβομβοῦντες· & Maximus Tyrius in Oratione VII. (p. 74.) de Homero loquens, qui priſtinam hominum de Diis opinionem, humilem antehac & abjectam, mirum in modum amplificavit, & ſuavitate carminum, auditorum animos obſtupefecit. τοῦτο γάρ τοι δύναται, inquit, ποιητοῦ λόγος ἐμπεσὼν ἀκοαῖς τεθεραμμέναις κακῶς, περιβομβεῖν αὐτὰς, καὶ μὴ παρέχειν σχολὴν διαπιστεύειν τοῖς εἰκῇ θρυλλουμένοις λόγοις· Denique Philoſtratus Lemnius in XV. Epiſtola ad Epictetum, οἱ τελούμενοι τῇ Ῥέᾳ, inquit, μαίνονται πληγέντες τὰ ὦτα κτύποις ὀργάνων· id eſt, *qui initiantur ſacris Corybantiis, furore corripiuntur, ubi*

(a) Voces has ſaepe inter ſe commutatas eſſe apud alios itidem Scriptores patet ex iis, quae habet Kuſterus ad Ariſtophan. Nub v. 416.

(b) Idem quoque tradit Philoſtratus Lib. IV. de vita Apollon. Cap. 7. & qui pluribus hoc Jovis Olympici ſimulacrum a Phidia ſecundum deſcriptionem Homericam factum deſcribit Pauſan. Lib. V. Cap. 10. vid notam Cameraçii ad Quinctilian. Lib 11. Inſt. Orat 3. iisque qui laudantur in notis ad Valerii Max. locum a Valeſio hic adductum, adde Paſſeratium ad Propert. p. 456.

ubi organorum ſoni auribus inſonuerunt. Hinc (*a*) κορυβαντιᾷν Graeci uſurpare ſolent pro eo, quod eſt ſimpliciter *furere.*

CAPUT V.

Dio Chryſoſtomus emendatus. Mos mulierum oracula adeuntium lapidem humi jacentem levare.

IN Oratione XIII. Dionis Chryſoſtomi de exilio, locus occurrit inſignis, in ipſo fere exordio, de mulieribus, quae oracula captabant in templis, lapidem humi jacentem levantes, ac prout levis viſus eſſet, aut gravis, ita de futuro negotio conjicientes. Ait igitur Dio, videri poſſe exilium, morbum & ſenectutem, & caetera hujuſmodi perinde ſe habere ac lapides illos, quos divinandi cauſa mulieres tollere ſolent in templis; aliis enim gravia videri, iis ſcilicet, qui graviter & moleſto animo ferunt: aliis contra levia, iis nimirum, qui leviter & aequo animo ferunt: ὁποῖον λεγόμενόν ἐστι περὶ τὴν μαντείαν τὴν τῶν γυναικῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς· ἐκείνας γὰρ βωμόν τινα ἢ λίθον. ἐπαίρουσας, σκοπεῖν ἐκ τούτου περὶ τοῦ πράγματος, οὗ πυνθάνονται· καὶ δὴ ταῖς μὲν αὐτῶν φασὶ γίγνεσθαι κοῦφον, ταῖς δὲ βαρύν. Exiſtimavi aliquando pro βωμὸν legendum eſſe βωλὸν, id eſt, *glebam*: nihil tamen temere mutandum eſt. Caeterum de hoc mulierum more elegans epigramma extat Antiphili in Libro primo Anthologiae Cap. 53. (p. 80. Ed. Steph.) quod ſic habet.

Ἡ γρηῢς Εὐβούλη, ὅτε οἱ καλαθύμιον ἦν τι,
Φοίβου τὸν περὶ ποδῶν μάντιν ἄειρε λίθον,
Χείρεσι πειράζουσα· καὶ ἦν βαρύς, ἡνίκα μή τι
Ἤθελεν· εἰ δ' ἐθέλοι, κουφότερος πετάλου·
Αὐτὴ δὲ πρήσσουσα τὸ οἱ φίλον, ἤν ποθ' ἁμάρτοι,
Φοίβῳ τὰς ἀνίσους χεῖρας ἐπεγράφετο·

Id eſt, *Anus Eubule, quando fixum quid ratumque animo habebat, divinum lapidem, qui ante pedes Apollinis erat, levare conſueverat, manibus experiens: & quoties quid facere nolebat, tum gravis erat lapis: ſin facere volebat, tunc levior erat folio. Poſtea vero cum egiſſet id quod voluerat, ſi forte res infeliciter ceſſiſſet, inaequalitatem manuum Apollini imputabat.* Inmerito id quidem; cum ſibi ipſi inputare debuiſſet, quae praeoccupato animo quaſi Deum tentatura ad aram acceſſerat.

(*a*) Huc egregie facit locus Strabonis Lib. X. pag. 473. Τὸν δὲ Κορυβάντων ὀρχηστικῶν καὶ ἐνθουσιαστικῶν ὄντων, καὶ τοὺς μανικῶς κινουμένους κορυβαντιᾷν (ſic recte ex Codd. vet. legit Caſaubonus) φαμέν. *Quando autem Corybantes ſaltant & inſtinctu divino concitantur, etiam eos qui furioſe moventur,* corybantiare *dicimus.* Κορυβαντιᾶν etiam dicebantur illi, qui patentibus oculis propter imagines & ſonores dormientes, furiis continuis in ſomno agitantur, & vigiliis ac inſomniis vexantur, quae a Corybantibus inmitti credebant veteres. Vide Scaliger. ad Catullum pag. 34.

CAPUT VI.

Dio Chryſoſtomus emendatus. Menandri Comoediae olim in ſcholis actitari ſolitae.

UTiliſſima eſt Dionis Oratio decima octava, quae de exercitatione dicendi inſcribitur: In ea ſiquidem traditur methodus inſtituendorum ſtudiorum ei, qui ad eloquentiam adſpirare velit. Inter caetera ſuadet inprimis, ut Euripidem Tragicum & Menandrum Comicum adſidue in manibus habeamus, utque eos non legamus aut recitemus ipſi, ſed ut coram nobis ſuaviter & canore, aut certe non injucunde eorum verſus declamari jubeamus: altius enim penetrare ſenſus verborum, cum a legendi moleſtia liberati ſumus. Verba Dionis haec ſunt pag. 255. quorum mentem Interpres minime eſt adſecutus: καὶ τούτοις, μὴ αὐτὸς ἀναγινώσκοντα, ἑτέρων ἐπισταμένων, μάλιστα μὲν καὶ ἡδέως οὐδ' ἂν ἀλύπως ὑποκρίνασθαι. Nec vero locus hic mutilus eſt, ut Caſaubonus exiſtimavit, ſed obſcurus duntaxat ob ignorationem moris antiqui. Sciendum eſt igitur (*a*) Menandri comaedias olim in ſcholis declamari & actitari ſolitas eſſe, propterea quod mirifice compoſita eſſet oratio ad geſtum & actionem, utpote quae ſoluta eſſet abſque particulis & conjunctionibus, ut notat Dionyſius Halicarnaſſeus in libro περὶ ἑρμηνείας, in Capite περὶ ἰσχύ. ubi obſervat duo eſſe genera dictionum, alterum, quod ad geſtum & actionem compoſitum eſt, graece ἀγώνιον & ὑποκριτικὸν dicitur: alterum, quod ad legendum duntaxat eſt comparatum, eaque γραφικὴ λέξις adpellatur, quales ſunt dialogi & epiſtolae. Ac ſoluta quidem oratio magis convenit declamationi: exemplum adfert mox Dionyſius hunc Menandri verſum;

Ἐδεξάμην, ἔτικτον, ἐκτρέφω, φίλε·

Haec enim propterea quod disjuncta ſunt, etiam invitum compellunt ad geſtum & actionem: At ſi conjunctiones addideris hoc modo; ἐδεξάμην, καὶ ἔτικτον, καὶ ἐκτρέ-

(*a*) Rhetores enim & veteres Eloquentiae magiſtri pueris Menandrum praecipue lectitandum & ediſcendum dabant, & ut praeſtantiam ejus ac dotes diſcipulis inculcarent, comparatione inter eum, ac Philemonem, ſimileſque inſtituta, eos exercebant ad eloquentiam promovendam, eorumque praecepta & gnomas inter ſe conferebant: quo ſpectat illa *Menandri* & *Philemonis* (ut recte correctum eſt a Viris doctis pro *Philiſtionis*) Σύγκρισις, quam cum elegantiſſimis D. Heinſii notis edidit Rutgerſius Lib. IV. Variar. Cap. 12. In noto autem Ovidii loco Lib. II. Triſt. 370.

Fabula jucundi nulla eſt ſine amore Menandri,
Et ſolet hic pueris Virginibusque legi.

putem forte eumdem indicari morem, quem hic obſervat Valeſius, ut capiamus, ſolere Menandrum praelegi pueris ac virginibus, in Scholis nempe, nam puellas & virgines etiam ludos literarios frequentaſſe ex Caſauboni & Menagii notis ad Laërtium oportune monuit ad Ovidium meus Patruus. Quae autem, ut hoc obiter dicam, ad illum locum notavit Gronovius Diatribes Statianae pag. 188. ubi refutat eos, qui Ovidium παραλογισμὸν illic commiſiſſe exiſtimarant, ſpectant Dan. Heinſium in notis ad Menandr. & Philem. Συγκρίσ. apud. Rutgers. pag. 389.

τρίφω, omnis adfectus per has conjunctiones tollitur: oratio autem adfectu deſtituto prorſus inepta eſt ad actionem & ὑπόκρισιν. Contra vero ſcriptoria dictio (ſic enim liceat adpellare, quam Dionyſius γραφικὴν λέξιν nominat) commodiſſima eſt lectioni ſeu recitationi, quippe quae tota inter ſe connexa ſit, & quaſi firmata conjunctionibus, quae perſpicuitatem conciliant orationi. Quamobrem Menandri quidem Comoedias actitare ſolent, propterea quod ſolutus eſt ut plurimum; Philemonis autem legere: διὰ τοῦτο δὲ καὶ Μένανδρον ὑποκρίνονται λελυμένον ἐν τοῖς πλείστοις. Φιλήμονα δὲ ἀναγινώσκουσι. Vides quantum lucis adferat Dioni noſtro hic Dionyſii locus, adeo ut abſque illo vix poſſet intelligi. Caeterum in Dionis verbis mendum aliquod ſubeſſe non negaverim. ac fortaſſe ſcribendum eſt; ἑτέρων δὲ ἀκούσαντα ἐπισταμένων &c. Quod valde arridet, neque aliter Dionem ſcripſiſſe cenſeo. Paulo poſt ſcribe; τῆς περὶ τὸ ἀναγινώσκειν ἀσχολίας· Nec omittendus eſt hoc in loco illuſtris Plutarchi locus in comparatione Ariſtophanis & Menandri, ubi Menandri comoedias ait omnium bonorum, quae Graecia adtulit, praeſtantiſſimum eſſe & latiſſime diffuſum, quippe quae in theatris, in ſcholis & conviviis actitentur, legantur, recitentur: ἐν θεάτροις, ἐν διατριβαῖς, ἐν συμποσίοις ἀνάγνωσμα, καὶ μάθημα, καὶ ἀγώνισμα, κοινότατον ὧν ἡ Ἑλλὰς ἐνήνοχε καλὸν παρέχων τὴν ποίησιν.

CAPUT VII.

Dio Chryſoſtomus emendatus & inluſtratus. Dionis aetate Tragoediae non Comoediae interciderunt. Pergulae Magiſtrorum.

LEve eſt quod monebimus, ſed tamen non omittendum, in Oratione XIV. quae eſt de ſervitute pag. 232. ſic legitur, οὐ γὰρ ἔξεστι τούτοις πράττειν, ὡς αὐτοὶ ἐθέλουσιν, ἀλλ' ὡς ὅ, τε κυβερνήτης, καὶ ἰατρὸς, καὶ διδάσκαλος πράττει. Scribe meo periculo (a) προστάττει, non πράττει· In Orat. XIX. locus eſt, qui mihi quidem valde obſcurus videtur: poſtquam enim dixit Dio, artem Cytharoedorum & Hiſtrionum ſive actorum ſibi excellentiorem videri Sophiſtica ac Rhetorica ad voluptatem conciliandam, hanc rationen adfert (pag. 261.) *Nam & vox*, inquit, *contentior eſt, & cum majori arte & cura: neque extemporalis ars eſt, ſicut Rhetorum, qui ex tempore plerumque dicere conantur: Sed Poëtarum verſus canunt accurate & cum otio conſcriptos, & pleraque eorum, quae ab illis canuntur, vetuſta ſunt, & ab hominibus compoſita longe ſapientioribus, quam qui nunc vivunt*: ſequitur deinde: τὰ μὲν τῆς κωμῳδίας ἅπαντα, τῆς δὲ τραγῳδίας, τὰ μὲν ἰσχυρὰ ὡς ἔοικε μένει· λέγω δὲ τὰ ἰαμβεῖα, καὶ τούτων μέρη διεξίασιν ἐν τοῖς θεάτροις· τὰ δὲ μαλακώτερα ἐξεῤῥύη, καὶ τὰ περὶ τὰ μέλη. Id eſt: *Et Comoediae quidem omnes adhuc partes manent: Tragoediae vero firma quidem & ſolida quaeque permanſere: Jambicos verſus intelligo, eorumque partes in theatris recitantur; Molliora vero & cantica*

(a) Eadem emendatio in mentem venit auctori Notarum in Dionem a Wolfio editarum pag. 248.

ſa penitus exoleverunt. Obſcurum eſt quid ſibi velit Dio hiſce verbis, niſi forte Tragoediarum quidem ſcribendarum ſtudium ſua aetate pridem intercidiſſe vult: Comoedias autem adhuc componi ſolitas eſſe: quod quidem veriſſimum eſt, ſi de ſcriptoribus Graecis intelligatur, quemadmodum intelligi debet. Nam Romani circa haec tempora Tragoedias maxime ſcriptitarunt, Comoediam autem antiquis reliquerant. Inter Graecos porro Philiſtion recentiſſimus Comoediarum ſcriptor haud procul ab aetate Dionis abſuit. Quamquam Marcus Antoninus in Libro XI. (§. 6.) de vita ſua queritur Comoediam ſua aetate prorſus in Mimum degeneraſſe.

In Orat. XX. de ſeceſſu pag. 264. fortaſſe quis mirari poſſit, quid ſit, quod ait Dio, *οἱ τῶν γραμμάτων διδάσκαλοι, μετὰ τῶν παίδων ἐν ταῖς ὁδοῖς κάθηνται*: id eſt, *literarum doctores cum pueris ſedent in via.* (*a*) Pergulas magiſtrales intelligit, quae in viam ſpectabant apertae, perinde ut pictorum pergulae & aliorum opificum. Auguſtinus in Libro I. Confeſſionum Cap. 16. in foro fuiſſe teſtatur Grammaticorum ſcholas, quos penulatos Magiſtros vocat: & *magna res agitur*, inquit, *cum hoc agitur publice, & in foro, in conſpectu legum ſuper mercedem ſalaria decernentium.* Apertas autem fuiſſe ſcholarum fores, etiam ſcholaſticis ſedentibus, tum ex hoc Dionis loco patet, tum ex eodem Auguſtino in Cap. 13. Libri citati: *At enim*, inquit, *vela pendent liminibus Grammaticarum ſcholarum: ſed non illa magis honorem ſecreti, quam tegumentum erroris ſignificant.* (*b*) Velo igitur duntaxat obductas fores habebant, ne praetereuntium tumultus obſtreperet ſcholaſticis & doctoribus. Romae quidem in Capitolio, qui locus erat urbis celeberrimus ac frequentiſſimus, erant auditoria & ſcholae, ut diſcimus ex codice (*c*) Theodoſii. Quod quidem ideo a veteribus fiebat, ut puerorum caſtitati conſulerent. Philoſtratus in vita (*d*) Hippodromi ſcholas Smyrnenſium in foro fuiſſe teſtatur, & quidem in templo.

C A-

(*a*) In pergulis enim docuiſſe Grammaticos ac Rhetores patet ex Sueton. de Illuſtrib. Gramm. Cap. 18 ubi *Lucium Craſſitium in pergula docuiſſe* dicit. vide illic Marc Donati notam. Vopiſcus in Saturnino Cap. X. *Nam & in Africa Rhetoricae operam dederat, Romae frequentaverat pergulas magiſtrales* ubi Caſaubonus perperam putabat in iis tantum docuiſſe magiſtros triviales: ſed falli virum ſummum, & celebres liberalium artium doctores Mathematicos, Grammaticos, Rhetores, & qui ſtipendia publica accipiebant, in iis artem ſuam profeſſos fuiſſe egregie ad illum locum oſtendit Salmaſius. Vide & Boſch. ad Petron. Cap 88.

(*b*) Quemadmodum hic de Grammaticorum Scholis obſervat Valeſius, earum fores velo obductas fuiſſe, ita etiam in Oratorum recitationibus publicis loca erant, in quibus velo diſcretae ſedebant feminae, ut patet ex Plinii loco Lib. IV. Epiſt. 19. *Diſponit qui nuncient ſibi quem adſenſum, quos clamores excitarim quem eventum judicii tulerim; eadem, ſi quando recito, in proximo diſcreta velo ſedet, laudesque noſtras avidiſſimis auribus excipit.* ubi in notis Cortius obſervavit velo ſimiliter a conſpectu hominum ſecluſos ſediſſe judices; quod de capitalibus intelligendum, nam in cauſſis levioribus populus apertis velis admittebatur. Vid. Torrent. ad Sueton. Claud. Cap. 10.

(*c*) Ex quo hoc itidem docet Ryckius de Capitol. Cap. 35. pag. 304. ſed verba legis, quia prolixiora, non adſcripſit.

(*d*) Lib. II. de vitis Sophiſt. Cap. 27. §. 5. ubi vid. Olear. ex ad Procem. Lib. I. pag. 479. in fine.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Dio correctus & interpretatus. Libamenta tangendi mos in ſacrificiis. Statuarum tituli in alterius honorem deleti & mutati. Mos uxores ſuas aliis cedendi notatus.

OMnium Dionis Orationum, ut longiſſima, ita etiam excellentiſſima eſt Rhodiaca. Mirabilis in ea tum ſubtilitas, tum vis & copia argumentorum, ut Demoſthenem in hac parte aequaſſe merito videatur Dio. Proinde operam recte collocaturus videbor, ſi quid ad ejus illuſtrationem adtulero. Non procul ab initio locus ſeſe offert corruptiſſimus, quod miror a Caſaubono minime animadverſum fuiſſe. Poſtquam enim dixit Dio multa eſſe, quae minimo ſumtu facere poſſimus, ſi perfunctorie ea volumus exequi, non autem pro dignitate, exemplum hoc adfert pag. 313. οἷον εὐθὺς τὰς θυσίας, ἃς ἑκάστοτε τελοῦμεν τοῖς θεοῖς, ἔξεστι μὴ θύσαντας φάσκειν τεθυκέναι, μόνον ἂν δεξιῇ στεφανωσαμένους καὶ τοῦ βωμοῦ προσελθόντας, καὶ τῶν ὑδάτων θιγγάνοντας: quae ſic vertit interpres, *nempe ſtatim ſacrificia quae frequenter Diis ſolvimus, licet non offerre, & nihilominus dicere nos obtuliſſe: modo nos, ſic videtur, coronemus, adque aram accedamus, & pavimenta adtingamus.* quid eſt rogo, *pavimentum adtingere?* quaenam illa cerimonia eſt? noli dubitare, quin Dio ſcripſerit τῶν οὐλῶν θιγγάνοντας, id eſt, *& libamenta adtingamus*, quam emendationem ipſe confirmat Dio in Oratione Tarſica II. pag. 423. cum ait, οἱ δ᾽ ἐκ παρέργου προσίασιν ἁπτόμενοι μόνον τοῦ πράγματος, ὥσπερ οἱ σπονδῆς θιγγάνοντες. quem locum perperam vertit Latinus interpres: verte igitur: *alii perfunctorie accedunt, negotium leniter tantum contingentes, ut qui libamenta ſummis digitis adtingunt.* Sic Prudentius in agone Eulaliae (in Libro περὶ Στεφ. Hym. III. v. 124.)

Si modicum ſalis eminulis
Turis & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis.

Vides σπονδῆς θιγγάνειν in Tarſica II. poni pro eo, quod dixerat in Rhodiaca, οὐλῶν θιγγάνειν. Nam οὐλαὶ, ſeu οὐλοχύται, nihil aliud ſunt quam σπονδαί, far ſcilicet & mola ſalſa, qua Diis libabant ii, qui non habebant tura, ut ait Plinius in praefatione Naturalis Hiſtoriae. Eodem ſenſu Dio in hac ipſa Oratione, quam prae manibus habemus, pag. 314. uſurpat verbum προσάπτεσθαι; τὸ μὲν τῶν θεῶν, ἴσε δήπουθεν, ὅτι κἂν σπείσῃ τις αὐτοῖς, κἂν θυμιάσῃ μόνον, κἂν προσάψηται, μεθ᾽ ἧς μέντοι προσήκει διανοίας, οὐδὲν ἔλαττον πεποίηκεν. id eſt, *Et quidem quod ad Deos adtinet, ſive libet quis ipſis, ſive ſuffitum accendat, ſive duntaxat haec adtingat cum ea qua decet pietate ac religione, nihil minus fecit quam caeteri, ut optime noſtis.*

Pag. 323. locus eſt obſcurus, qui lectorem morari poſſit: Perſtringens enim Dio pravam illam conſuetudinem Rhodiorum, qui veteri ſtatuae titulum delere conſue-

verant, ut eam alteri, quem demereri volebant, conſecrarent, ſic argumentatur: *uxorem quidem nemo vir bonus per adulterium accipere ſuſtinuerit, cum priori viro injuriam fecerit, immo nec quiſquam uxorem libenter acceperit ab alio marito, etſi frequenter id fiat non mala ex cauſa.* μᾶλλον ἢ οὐδ' ἂν ὅλως λάβῃ τις ἡδέως παρὰ ἀνδρὸς ἑτέρου, καί τοι πολλάκις γίνεται τοῦτο οὐ πονηρᾶς αἰτίας. Nihil ad hunc locum adnotavit Caſaubonus, quo veterum conſuetudinem illuſtraret. *Multi ſunt*, inquit Dio, *qui uxores accipiunt a viris propriis deſponſas.* Sane Marcum Catonem Hortenſio uxorem ſuam petenti ceſſiſſe narrat Plutarchus in ejus vita, & Strabo in Libro XI. (p. 515) idque ex antiquo more inſtitutoque Populi Romani: Vide quae olim notavi ad Excerpta Dionis pag. 638 Caeterum haec prava conſuetudo dudum apud Graecos invaluerat: Sic Athenienſes ſtatuas Coloſſeas Eumenii & Attali eraſis titulis Antonio dedicaverant, teſte Plutarcho.

CAPUT IX.

Dio Chryſoſtomus emendatus. Proconſul in provinciam ibat ex praeſcripto principis. Aphracta Rhodiorum naves. opera publica, cum conſtructa erant, examinabantur a Magiſtratibus vel populo. Acratus Neronis libertus.

POſt bella civilia Romanorum, pace demum compoſita, cum res ita exigere videretur, peregrinis omnibus conceſſum eſt jus novarum tabularum, lege Auguſti, ut videtur. Hoc munus, cum caeteri omnes ultro amplexi eſſent, ſoli Rhodii, quamvis ob populi Romani partes ſtudioſe defenſas urbs ipſorum capta & direpta fuiſſet, conſtanter adſpernati ſunt: & cum caetera omnia Romanis facile permitterent, id unum abnuerunt, ne quid inhoneſtum lucri cauſa facerent. Haec Dio fuſe perſequitur pag. 331. ſubditque, οὐ γὰρ δὴ τὸ μετὰ πάντων ἀσχημονεῖν, τοῦ μόνους αἴσχιον ὑπειλήφατε. Scribe meo periculo, τὸ μόνους ἀσχημονεῖν ἢ μετὰ πάντων αἴσχιον &c. id eſt, *neque enim ſolos delinquere turpius eſſe cenſuiſtis, quam cum aliis omnibus peccare*: quod idem eſt, ac ſi diceret, Rhodios exiſtimaſſe, non minus turpe eſſe ſolos delinquere, quam cum aliorum ſocietate.

In eadem Oratione pag. 342. ait Dio Rhodios, qui olim ſolebant 100 navium claſſes e portu emittere, nunc in Euxinum pontum, nunc in Aegyptum, interdum quoque ad ipſum Oceanum, ſua aetate una aut duabus aphractis navibus quotannis Corinthum occurrere: quod ſic intelligendum cenſeo. Proconſul Aſiae per mare in provinciam ire mandato Auguſti tenebatur, ac primam ex Aſiae urbibus Epheſum applicare. Igiter Rhodii naves Corinthi paratas quotannis habere tenebantur ex foedere, aut ex Senatusconſulto, ut Proconſules in provinciam deportarent: Vid. leg. 4. ff. de Officio Proconſulis, cui conſentit Plinius in Lib. X. (Epiſt. 28.) ad Trajanum, ubi de ſuo adventu in provinciam certiorem illum facit. Tanta fuit diligentia tamque accurata diſpoſitio veterum Romanorum, ut Magiſtratibus

tibus in provinciam ituris certum iter praeſcriberent. Cicero in (*a*) Vatinium, *Exieriſne*, inquit, *legatus in ulteriorem Hiſpaniam, cum illud iter Hiſpanienſe pedibus fere confici ſoleat, aut ſi quis navigare velit, certa ſit ratio navigandi: Venerisne in Sardiniam, atque inde in Africam.* Caeterum aphracta Rhodiorum memorat etiam Cicero in Epiſt. 13. Libri V. ad Atticum. (*b*)

In eadem pagina leguntur haec verba, quae non intellexit interpres, ut nec alia innumera: καὶ νῦν μὲν ὑφ' ὑμῶν δοκιμασθησόμενα οἰκοδομεῖται. Verte, *Et nunc quidem ea aedificantur, quae vos ipſi probaturi eſtis.* Opera publica, poſtquam conſtructa erant, examinari a Magiſtratibus aut a populo ſolebant: Hinc vetus inſcriptio Puteolana, in lege operis ſic habet: *Quod eorum XX. Jurati probaverint, probum eſto; quod inprobaverint, inprobum eſto.* Pag. 346. leve mendum eſt, quod ſententiam perturbat: ἤδη τοίνυν ἠκούσατε, καὶ τοιοῦτόν τινος ἀποσχεδιάζοντος. Scribo ἤκουσά τι: reſpondet enim Dio excuſationibus Rhodiorum: Sic ſupra pag. 342. καὶ μὴν ἤδη τινὸς ἤκουσα Ῥοδίου λέγοντος.

Denique pag. 355. corruptum eſt Acrati nomen, Neronis Liberti, qui totum fere orbem terrarum peragraverat, miſſus a Nerone, ut ſimulacra & tabulas & ſigna excellentium artificum corraderet: Qui cum Rhodum veniſſet, & Rhodii ejus adventu maxime angerentur, adfirmavit publice in theatro non auferendi cujusquam, ſed ſpectandi tantum gratia Rhodum veniſſe: ἴσε γὰρ ὦ Κεράτων ἧκε μόνος. lege, ἴσε γὰρ Ἄκρατον ἐκεῖνον, ὃς τὴν &c. quam emendationem confirmat codex Regius. Hic Acratus memoratur a Cornelio Tacito in Lib. XVI. Hiſtoriarum, ubi (*c*) Lipſius jam pridem admonuit, hunc Dionis noſtri locum corruptum eſſe.

CAPUT X.

Dio Chryſoſtomus emendatus. Ψάλιον & ψέλιον *commutata.* Ψάλιον *fraeni durioris genus.*

IN Oratione 32. ad Alexandrinos pag. 369. ridicule erravit interpres, cum haec Dionis verba interpretaretur, καθάπερ ἵππον γενναῖον ἐξ ἡνίας ἀτελοῦς, πρᾴως ἄγοντα, οὐδὲν

(*a*) Cap. 5. ubi integra Ulpiani verba ex l. 4. ff. de offic. Procons. & Leg. adſcripſit in notis Abramius.

(*b*) Ex quo patet non magni aut velocis navigii genus fuiſſe: verba ejus ſunt: *Navigavimus ſine timore & ſine nauſea, ſed tardius propter aphractorum Rhodiorum inbecillitatem.* cui adde locum ex Lib. VI. Epiſt. 8. *nos eteſiae vehementiſſime tardarunt: detraxit XX. ipſos dies etiam aphractus Rhodiorum.* & paullo poſt: *nos Rhodiorum aphractis, ceteriſque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus*

(*c*) Vitioſe deſcriptum hic erat exemplar Valeſianum. Nam indicatur locus ex Lib. XVI. Annalium Cap. 23. ubi *Acrati* quidem fit mentio, verum non illic Lipſius Dionis locum corruptum eſſe admonuit, & *Acrati* nomen in eo repoſuit, ſed ad Lib XV. Annal. Cap. 45. Dederat etiam Valeſius inſignem hanc & veriſſimam emendationem in notis ad Excerpt. Peireſc. pag. 98. ubi tamen Lipſii, cui illa ante Valeſium in mentem venerat, non meminit. Ceterum *Acrati* nomen habetur quoque in Inſcriptione Gruteriana pag. CCCIV. inſcr. 4. ubi occurrit C. PLAETORIVS C. L. ACRATVS.

ὐδὲν δεόμενον ψαλίων. Interpres vertit: *quemadmodum equum generoſum loro vili manſuete ducens, haud indigens annulis.* Ego, *fraenis* interpretor: Sic enim Heſychius, Ψαλὸν εἶδος χαλινοῦ; & Ψαλίον, χαλινός. Hoc vocabulum corruptum eſt in Oratione Dionis Celaenenſi pag. 430. Ubi ait, ex aſino equum fieri non poſſe: οὐδ' ἂν τὰς γνάθους τρήσαντες αὐτῶν, ψέλλιον ἐμβάλλωσι. Interpres inepte vertit, *nec ſi mento perforato armillas illis injiciant*: Ego (*a*) ψάλιον legendum eſſe contendo, id eſt, *nec ſi perforatis malis, fraenum illis injicias.* Idem error in Oratione XLVIII. rurſus occurrit pag. 535. ὅταν ὁ χαλινὸς μὴ κατισχύῃ, ψέλλιον αὐτοῖς ἔξωθεν ἐμβάλλεται. Scribe etiam hic, ψάλιον, quod genus fraeni eſt durioris, quod equis inmorigeris adjici ſolet, cum fraenum minime ſufficit: *lupatum* latine dici poteſt.

In eadem Orat. pag. 370. mendoſe legitur, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις σπονδαῖς, cum ſcribendum ſit σπουδαῖς, id eſt, *in reliquis autem certaminibus & factionibus.* Idem eſt enim ac ſi diceret, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις θέαις. Haec enim oppoſita ſunt ſuperioribus illis Dionis verbis, ἐν τῷ παρόντι, καὶ ὅταν τὰ συνήθη θεωρῆτε· Ubi τὰ συνήθη adverbialiter poſitum eſt, quod interpres non animadvertit.

C A-

(*a*) Simili varietate apud Plutarch. in Lycurgo: ψάλιον ἐμβαλοῦσιν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν. ubi codicem antiquum Manuſcriptum habere ψέλιον teſtatur H. Stephan. in Theſaur Ling. Gr. Tom. IV. pag. 698. ubi de his ψαλίοις multa egregia notavit. reperitur etiam haec vox apud Ariſtoph. in Pac. v. 154. & Syneſium in Epiſt 104. pag. 245. ubi de equite ignavo, qui quam poterat celerrime in fugam ſe dabat: παρενεγκὼν βίᾳ τὸ ψάλιον καὶ μετεωρισθεὶς ἔφευγεν ἀναπεπταμένος· ut autem apud Heſychium ψαλὶν dicitur εἶδος χαλινοῦ, *fraeni genus*, ita apud Euripid. in Phœniſſ. v. 799.

Ἅρμασι καὶ ψαλίοις τετραβάμοσι μώνυχα πῶλον.

Ubi Scholiaſtes ψάλια explicat χαλινούς, quomodo etiam interpretatur Thomas Magiſter in hac voce, qui locum illum Euripidis adfert, & notat ψάλιον diverſum eſſe a ψέλιον, idque armillam ſeu viriolam ſignificare: ſimiliter Ammonius de differentiis verborum: ψάλιον καὶ ψέλιον διαφέρει. ψάλιον μὲν γὰρ τὸ ἵππου· ψέλιον δὲ τὸ ἀνδρὸς βραχίονι περιτιθέμενον κόσμιον. Dubito tamen an diſcrimen illud a Grammaticis poſitum ſemper obſervaverint Scriptores. ψάλιον autem de equi fraeno ſumi indicat etiam Pollux Lib. X. Cap. 12. ſegm. 54 ubi inter ea, quibus ad equum regendum opus eſt, enumerat ψάλια & χαλινούς· contra de armillis ſive viriolis ψέλια uſurpari tradit Idem Lib. V. Cap 16. ſegm 99. quo ſenſu apud Aelian. Lib. I. Var. Cap. 22. & Lib II. Cap. 14. tum ψελίοις κεκοσμημένος, *armillis redimitus*, apud Herodian. Lib V. Cap 5. §. 7. alioſque. Apud Strabonem vero Lib IV. pag. 200. de Britannis, ἐλεφάντινα ψάλια καὶ περιαυχένια intelligenda de armillis, nam illic ψάλια male a quibusdam per *fraenos* redditum eſt; de quo Strabonis loco vide Salmas. ad Solin. Tom. I. pag 245. ubi Grammaticorum diſtinctionem inter ψάλια & ψέλια etiam obſervat, ſed ſimul eam auctores ſaepe inſuper habere notavit Aeſchylus vero in Prometh. Vinct. v. 54. ψάλια vocat circulos ferreos, quibus innexus Prometheus monti adfigebatur, ut explicat Scholiaſtes, nam Stanlejus *brachialia* vertens de ψελίοις cogitavit. Sed pluribus haec perſequi notarum harum ratio non patitur. Quidquid ſit, ψάλιον fraeni durioris genus in equis fuiſſe conſtat, unde Valeſius ψάλιον hic interpretatur per Latinum *lupatum*, quod fraeni duplicis genus equis inmorigeris injiciebatur. Ita apud Virg. III. Georg. 208.

——— prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis,

ubi Servius *dura lupata* explicat frena aſperrima. & ſic etiam apud Ovid. I. Amor. El. 2. vs. 15.

Aſper equus duris contunditur ora lupatis.

Vide Barthium ad Stat. IV. Theb. v. 730.

Digitized by Google

CAPUT. XI.

Dionis verſio emendata. Inperitia Interpretis Dionis notata. Dio correctus & inluſtratus. ἀντιᾶσθαι, *pugnam committere. Mos temulentorum aqua adſpergendi praetereuntes.*

IN eadem Orat. pag. 383. graviter lapſus eſt interpres, quem tamen miror a Caſaubono ſemper eruditum vocari. Nullibi frequentius edidit ſpecimen inperitiae ſuae Nageorgus, quam in hac pagina: ac meo quidem judicio ſatius feciſſet Caſaubonus, ſi ejus interpretationem corrigendam ſuſcepiſſet: Nam notas quidem illius pauci ſunt, qui legant, interpretationem vero fere omnes legunt, paucis duntaxat exceptis, qui Graeci ſermonis peritiam ſibi compararunt. Equidem inperitos interpretes ferre non poſſum, qui ſcriptores Graecos, quos ipſi non intelligunt, interpretandos ſuſcipiunt, quaſi id facile ſit, & cuilibet promtum; aut quaſi caeteri non melius intellecturi ſint Graeca, quam ipſi. Adponam igitur hic integrum Dionis locum, prout verti debuit in Latinum ſermonem aliis verbis. καὶ νῦν οὕτως ἐπιεικεῖς &c. Id eſt, *& nunc cum tam humanos Praefectos nacti ſitis, eos tamen in ſuſpicionem adverſus vosmet ipſos concitaſtis, adeo ut ſollicitiore cuſtodia in poſterum ſibi utendum eſſe cenſuerint: atque id effeciſtis, non inſidias ipſis ſtruendo, ſed levitate duntaxat atque inſolentia. Cum enim fieri poſſet, ut vos umquam defectionem moliremini, ut vel unum diem bellum gereretis? An non in heſterno tumultu multi cavillis ac dicteriis tenus audaces fuerunt? Nonnulli cum quidquid ad manum erat teli loco congeſſiſſent, ut qui praetereuntes perfundere ſolent, mox canentes diſcubuerunt? Alii vero ad portus ac navalia ſeſe contulerunt compotaturi, tamquam in die feſto? Memoria tenetis rem illam jocoſam, quomodo Vir optimus Conon erga vos ſe geſſerit, qui eo progreſſus, ubi confertiſſima erat turba, quemdam vobis locum digito monſtrans, palam pronunciavit, ſiquidem ipſe prior illuc perveniſſet, ſe victorem futurum, vosque domum receſſuros: ſin autem vos, inquiebat, quatuor aut quinque paſſibus praecurretis, victoria penes vos erit, & ego hinc recedam. Haec autem ille dicebat, parcens vobis vosque deridens, & tamquam cum pueris jocans & ludens. Praeſto ſiquidem aderat exercitus* &c. In exemplari Graeco haec ultima verba corrupta ſunt, legendum enim eſt, ἐπεὶ τὸ στρατόπεδον ἐφεστήκει, non ut editum eſt, ἐπὶ τὸ &c. quod miror a Caſaubono non eſſe adnotatum.

Quod ſequitur, non magis feliciter vertit Interpres, κᾀκεῖνος οὐδένα εἶα ἀντιᾶσθαι. Nam ἀντιᾶσθαι hoc loco eſt, *committere pugnam*, quod ἀντιᾶσθαι μάχης Graeci dicunt. Recte autem vertit Interpres haec Dionis verba, ὥσπερ οἱ καταχέοντες τῶν παριόντων, *quemadmodum qui praetereuntes perfundunt*: quod facere ſolebant temulenti, qui in cauponis luxuriabantur. Hi enim ex caenacula proſpectantes per jocum ac laſciviam praetereuntes aqua perfundere conſueverant, quod ἐκχέειν etiam Graeci dicunt, ut legere eſt apud Diogenem Laërtium in Socratis vita, ubi de Xanthippe ſermo eſt, quae poſt convicia & jurgia Socratem aqua perfudit. Irridet igitur Dio Alexan-

 xan-

xandrinorum levitatem, qui poſt ſaxa & cujusquemodi tela in Praefectum & milites conjecta, quaſi nihil grave commiſiſſent, & obvios duntaxat aqua perfudiſſent, illico ad convivia & cantilenas ſe contulerant. Hic porro Conon, de quo loquitur Dio, Praefectus fuit Auguſtalis, ut adparet ex praecedentibis Dionis verbis: Docet enim Dio Alexandrinos neque antea, cum ſub Regum imperio eſſent, nec tunc, cum a Praefectis, quos ἡγεμόνας vocat, regebantur, recte parere & modum tenere potuiſſe.

CAPUT XII.

Dio correctus. Neptuni tridens a Tarſenſibus cultus. Herculem Tarſenſes praecipue venerabantur. Sanda Herculis filius Tarſi conditor. Baſilius Seleucenſis explicatus.

IN ipſo veſtibulo Orationis Tarſicae primae, locus occurrit ſatis obſcurus: Loquens enim Dio de conditu civitatis Tarſenſium, & de auctoribus coloniae, ſic ait, περί τε Περσέως καὶ Ἡρακλέους, καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος τῆς τριαίνης, καὶ περὶ χρησμῶν τῶν γενομένων, καὶ ὡς ἐστὲ Ἕλληνες καὶ Ἀργεῖοι καὶ ἔτι βελτίους· Legendum puto, (a) τῆς τε τριαίνης· Erant Tarſenſes Argivorum coloni: Triaina vero maximo honore colebatur ab Argivis, eo quod Neptunus in gratiam Amymonae terram olim tridente percuſſerat, ac fontem ibidem ſcaturire juſſerat: Unde & loco Triainae nomen remanſit, nt teſtatur Euripides in Phoeniſſis (vs. 195.) ejusque Graecus Scholiaſtes, Nonnus in Lib. VIII. Dionyſiacῶn. Hinc apud Aeſchylum in Supplicibus (vs. 763.) puellae Argivae cum viderent Aegyptiorum naves ad portum accedentes, metu perterritae, ſic Danaum adloquuntur:

Οὐ μὴ τριαίνας τάσδε, καὶ θεῶν σέβη
Δείσαντες ἡμῶν χεῖρ' ἀπόσχωνται, πάτερ.

Id eſt, *numquid tridentes hos, & Deorum religionem veriti, manus a nobis abſtinebunt, ô pater?* Poſt (*b*) Perſeum Argivum, inter conditores Tarſenſium a Dione ponitur

(*a*) Haec Valeſii correctio licet probabilis ſit, adfirmare tamen non auſim Dionem ita revera ſcripſiſſe; nam ſi hoc voluiſſet, opinor potius ſcriptum fuiſſe τό τε τοῦ Ποσειδῶνος τριαίνης, ut conjiciebat Caſaubonus in Diatriba eruditiſſimarum notarum Dioni adjecta pag. 63. addens Apollinis tridentem hoc in loco memoratum prorſus ſibi ignotum neque alibi lectum eſſe: tridentem vero Neptuno, quem maximo opere Argivi colebant, adtribui notiſſimum eſt, cumque veteribus ſummo in honore fuiſſe pater ex iis, quae hic habet Valeſius. Longe minus ſcopum tangit Auctor emendationum in Dionem a Wolfio editar. pag. 260. qui tentat reſcribere τῆς θυατρηνῆς. Sed ſanum eſſe Dionis locum evincit Celeb. Weſſelingius ad Itinerar. Hieroſolymitan. pag. 579. qui docet Tarſenſes Apollinem armaſſe telo, quod hic a Dione *tridens* vocatur, & *gladius* a Demetrio Tarſenſi in loco Plutarchi, quem adfert.

(*b*) Perſeum Tarſi conditorem etiam dicit Ammian. Marcellin. Lib. XIV. cap. 8. ubi & Sandae illius, de

Digitized by Google

tur Hercules: Certe Tarſenſes Herculem praecipue venerabantur, & in ejus honorem pulcherrimam pyram quotannis exſtruebant, ut teſtatur Dio pag. 408. Idemque a Rhodiis factitatum docet Lucianus in Amoribus verſus finem. Inter praecipuos Tarſenſium Magiſtratus erat, Στεφανηφόρος Ἡρακλέους, id eſt, *Herculis Sacerdos*, teſte Athenaeo in fine Libri V. Adde quod Sandas ſive Sandan Herculis filius Tarſum condidiſſe memoratur, quemadmodum ſcribit Baſilius Seleucienſis in Lib. II. de vita Theclae Cap. 15. ubi loquens de Euſebio advocato, qui Hyperechium Virum Clariſſimum ſummopere dilexerat, καὶ γὰρ, inquit, ἐκ μιᾶς πόλεως ὥρμηντο τῆς Δαμαλίδος τε καὶ Σάνδα τοῦ Ἡρακλέους τοῦ Ἀμφιτρύωνος: quibus verbis (*a*) Tarſum deſignari pro certo habeo, a Sanda Herculis filio conditam. Nam Ammianus Marcellinus in Lib. XIV. Sandam Tarſi conditorem nominat. Pag. 402. ſcribe, τὰ ῥάκη (*b*) ῥερυπασμένοι, non autem περιεζωσμένοι, ut habent vulgati Codices.

CAPUT XIII.

Dionis Oratio Tarſenſis poſterior inluſtrata & emendata. Caſaubonus refutatus. ἡγεμόνες *Praeſides provinciarum. Tarſi publicus erat conventus, ad quem finitima conveniebant oppida.* δικάζειν, *de urbibus, quae forum habebant:* δικάζεσθαι, *de oppidis, quae ad id conveniebant.*

INter Orationes Dionis ſubtiliſſima mihi videtur poſterior Tarſica, & maximo cum artificio ſcripta. Nam cum Dio Tarſenſes reprehendere vellet ob duas cauſas, tum quod adverſus Magiſtratus Romanos inſolentius ſe gererent, eisque accuſationes & judicia repetundarum minarentur, tum quod finitimos & ſubditos ſibi populos, Mallotas ſcilicet & Solenſes, acerbius tractarent; initio Orationis eos ob id ipſum maxime laudat: quod genus Graeci ἐσχηματισμένον λόγον, Latini *figuratam orationem* appellant. Itaque pag. 416. non parum dignitatis civitati Tarſenſium

de quo paullo poſt agit Valeſius, meminit; ejus verba ſunt: *Ciliciam vero quae Cydno amne exultat, Tarſus nobilitat, urbs perſpicua: Nobilis hanc condidiſſe Perſeus memoratur, Jovis filius & Danaes, vel certe ex Aethiopia profectus Sandan quidam nomine vir opulentus & nobilis.* Cujus locum adſcripſi, ut eum emendat Salmas. ad Solin. Cap. 41. pag. 772. nam in vulgatis eſt: *urbs perſpicabilis: hanc condidiſſe* &c. eadem autem tradit Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. III. v. 117. cujus locum vide apud Valeſ. ad Ammian. pag. 38.

(*a*) Eamdem opinionem dedit Valeſius ad dictum Ammiani locum: verum in Baſilii loco non Tarſus, ſed urbs Daliſandus denotatur, ita contracte dicta a Damalide & Sanda Herculis filio; ut late contra Valeſium adſtruxit itidem Weſſelingius ad Hieroclis Synecdem. pag. 710. ubi plura huc facientia de Tarſo & Sanda erudite, ut ſolet, notavit,

(*b*) Ita in hoc Dionis loco emendandum eſſe jam monuerat Valeſ. in notis ad Harpocration. pag. m. 51.

ſium ex eo acceſſiſſe dicit, quod Magiſtratus Romanos, qui provinciam male adminiſtraverant, ſaepe ipſi in judicium vocaſſent: ita enim factum eſſe, ut terrori eſſent Praeſidibus, & ab omnibus magni fierent, quippe qui & ſeipſos tueri, & alios a Praeſidum injuria indemnes praeſtare poſſent. Sed in fine Orationis pag. ſcilicet 434. invidioſum eſſe, ac periculoſum oſtendit Dio, excitare contra ſe iram atque odium Praeſidum, & multas ac graviſſimas calamitates hinc poſſe contingere, ſi forte cauſa ceciderint: proinde prudenter feciſſe Jönas, Epheſios ſcilicet aut Smyrnaeos, qui plebiſcito ſanxerint, ne quem umquam Proconſulem, qui Aſiam rexiſſet, accuſare fas eſſet.

Haec idcirco paulo fuſius retuli, quia Caſaubonus hujus Orationis argumentum minime intellexit: Dionem enim de Magiſtratu ſive Duumviro civitatis Tarſenſium loqui exiſtimavit, qui non a Tarſenſibus creatus, ſed a Romanis miſſus eſſet; quae ſunt mera ſomnia. Nam Dio manifeſte loquitur de Praeſidibus Romanis, qui ad Ciliciam regendam mittebantur a Caeſare: quippe Cilicia erat inter provincias Auguſti. Certe vox, ἡγεμόνες, qua utitur Dio, Caſaubonum admonere debuerat de Praeſidibus provinciae hic agi: nam Dio ſic ſemper appellat Magiſtratus populi Romani, tum in Rhodiaca, tum in Oratione ad Nicomedienſes pag. 478. tum in Oratione XL. pag. 487. & alibi ſaepius. Sic etiam Strabo in fine operis ἡγεμόνας vocat Praeſides, ſeu legatos pro Praetore, qui in Caeſaris provincias mittebantur. Deinde cum eosdem Dio appellet pag. 424. τὰς ἐπὶ τῆς ἐξουσίας, & quidquid velint agendi poteſtatem eos habere dicat, equidem non video, quomodo id convenire poſſit Magiſtratibus municipalibus; quippe cum Dio in hac ipſa Oratione pag. 427. τὴν ἐξουσίαν, pro Magiſtratu Romano perſpicue ponat, ἢ καταφθέγγεται ἐπὶ τὴν ἐξουσίαν ἰδίως. Poſtremo quod ait Dio pag. 425. ferendas eſſe leves injurias τῶν ἡγεμόνων, neque eorum iracundiam atque odium adverſus civitatem provocare oportere, de Magiſtratibus municipalibus intelligi non poteſt, qui non adeo metuendi erant, & levem duntaxat coërcitionem, ut in jure dicitur, habebant, non autem vitae ac necis poteſtatem, quam τοῖς ἡγεμόσι tribuit Dio, cum ait, μηδ' ἂν ἀποσφάττῃ τις, ſupple τῶν ἡγεμόνων. Adde quod Dio pag. 416. teſtatur, cum Tarſenſes aliquos ἡγεμόνας reos peregiſſent, magni habitos fuiſſe ab omnibus, utpote qui & ſibi ipſi & aliis ſuppetias ferre poſſent: quod certe de Magiſtratibus municipalibus dici non poteſt: nam Duumvir Tarſenſium, extra Tarſum nullam habebat jurisdictionem. Sed quid opus eſt pluribus argumentis inpugnare ſententiam, quam nec ipſe Caſaubonus pertinacius tueretur, ſi adhuc ſuperſtes haec legeret.

Caeterum in hac Oratione reprehendit etiam Dio Tarſenſes, eo quod cum Magiſtratu ſeu Duumviro ſuo diſſiderent ob levem cauſam, ut legere eſt pag. 417 & 426. quem quidem στρατηγὸν adpellat, & πρύτανιν. Haec autem diſſenſio, ut equidem conjicio, inde manabat, quod cum Tarſenſes Praeſidem accuſare vellent, Duumvir ipſis repugnabat. Pag. 425. lego, τὴν τοιαύτην ἀνάστασιν μηδαμῶς συμφέρειν; ſcribendum puto, (a) ἀνάτασιν, id eſt, *comminationem*. Sed & antea in pag. 418. ſcri-

(a) Et haec quoque emendatio in mentem venit Seldeno, ſive alius quispiam ſit auctor, in notis ad Dionem apud Cel. Wolf. in Anecd. Gr. Tom I. pag. 262. quem etiam non praeteriit ἰδίᾳ in proxime antecedenti loco pro δίᾳ, quomodo itidem corrigit hic Valeſius.

ſcribe, *ἰδίᾳ τὸ συμφέρον ἑκάστῳ δηλονότι σκοποῦντες·* in pag. 427. legitur hic locus, *ὃ μεῖζόν ἐστι τοῦ εἶναι παρ' ὑμῖν καὶ δικάζεσθαι μᾶλλον*, quem fruſtra Caſaubonus corrigere conatur. Tarſi conventus erat, ad quem conveniebant finitima Ciliciae oppida, ut lites ſuas perſequerentur; nam Praeſes quotannis jus in ea civitate dicebat: quod etiam teſtatur Philoſtratus in Lib. I. de vita Apollonii. Mallotae proinde, qui Tarſo contributi erant, Tarſum ventitare cogebantur ad conventum, ut ibi cauſas ſuas perſequerentur. Sed & ad ſacrificia obeunda venire tenebantur, ut Dio ſcribit hoc loco: Erat autem id praecipuum decus, quo maxime urbes efferebantur, forum apud ſe habere, quo aliae convenirent; quod teſtatur Dio noſter in Orat. ad Caelenenſes, & in Orat. XL. ad cives ſuos pag. 488. Urbes porro, quae forum & conventum habebant, dicebantur *δικάζειν*; quae autem conveniebant, *δικάζεσθαι*, ſeu *συντελεῖν εἰς τὸ παρ' ἑτέροις δικαστήριον*, ut loquitur Dio in Oratione ad Nicomedienſes pag. 476. & pag. 488. *εὖ γὰρ ἴστε, ὅτι καὶ τοῖς οἰκοδομήμασι καὶ ταῖς ἑορταῖς, καὶ τῷ δικάζειν αὐτοί, καὶ τῷ μὴ παρ' ἑτέροις ἐξετάζεσθαι, μηδὲ συντελεῖν ἄλλοις, καθάπερ οἶμαι κώμην* &c. ſic enim legendum eſt pro *μηδὲ συντελεῖν ἀλλήλοις*; id eſt, *compertum enim habetis civitates praecipue gloriari, ſeque prae caeteris efferre ſolere, & pulchritudine aedificiorum, & diebus feſtis, & quod ipſae judicant, neque apud alios negotia ſua diſceptantur, nec aliis contributae ſunt inſtar vicorum.* Merito enim *δικάζειν* dicebantur eae civitates, in quibus conventus agebatur: quippe cum Judices ex ea praecipue civitate a Praeſidibus aut Proconſulibus ſumerentur, ut docet Plinius in Libro X. Epiſt. ad Trajanum de Archippo Philoſopho. Contra populi, qui conveniebant ad forum, jure dici poterant *δικάζεσθαι* ſeu *κρίνεσθαι παρὰ τοῖς ἄλλοις*. Sic loquitur Dio in Oratione proxime citata pag. 495. *καὶ κρίζει τοὺς ἄλλους πάντας, ὅτι δὴ τὰς δίκας ὑμεῖς ἀποδέχεσθε, καὶ παρ' ὑμῖν αὐτοὺς ἀνάγκη κρίνεσθαι·*

CAPUT XIV.

Dionis Oratio in Celaenis de conventibus illuſtrata.

ORatio XXXV. Dionis Chryſoſtomi habita eſt Celaenis in Phrygia, ut ipſe titulus indicat. Haec urbs Apamea vulgo a Latinis dicebatur: in ea urbe ait Dio pag. 433. celeberrimum fuiſſe mercatum, quo conveniebant Phryges, Lydi, Cares, & Cappadoces, Pamphyli ac Cilices: id vocat Dio, *ἀγορὰν καὶ σύνοδον παρέχεσθαι·* Addit Dio in eadem urbe conventum fuiſſe quotannis jurisdicendi cauſa, ad quem convenirent ex finitimis populis innumeri, negotia ſua diſceptaturi: *αἱ δίκαι κατ' ἔτος ἄγονται παρ' ὑμῖν·* Hic conventus Apamenus dicebatur, quo conveniebant Metropolitae, Dionyſiopolitae, Euphorbeni, Acmonienſes, Pelteni, & alii minores populi, ut teſtatur Plinius in Lib. V. Nat. Hiſt. (Cap. 28 & 29.) Ubi omnes Juriſdictiones Aſiaticas accurate recenſet; ac tres quidem in Phrygia fuiſſe dicit;

 pri-

primam Cybiraticam, cujus etiam meminit (*a*) Cicero in Verrem: ſecundam Synnadenſem; tertiam Apamenam: *Tertius Apameam vadit, antea Celaenas appellatam*: In Caria unum memorat conventum Alabandenſem: in Lydia Sardianum: in Jonia duos fuiſſe conventus ſcribit, Smyrnaeum & Epheſium: in Aeolide Adramytenus conventus a Plinio memoratur: poſtremo in Aſia proprie dicta Pergamenus. Populi qui ad eas civitates conveniebant, *vadere*, *convenire*, *diſceptare in eo foro*, & *deportare negotia ſua*, dicuntur ibidem a Plinio. Sed difficultas eſt in Dionis verbis κατ' ἔτος· Interpres, παρ' ἔτος, legendum putavit; cui ſuffragari videtur Caſaubonus. Emendationis cauſam praebet Dio, qui paulo poſt hos juridicos conventus maxime fieri ab omnibus dicit, & civitates eam praerogativam mirum in modum ambire: tum deinde addit: μέτεσι δὲ αὐτοῦ ταῖς πρώταις πόλεσιν ἐν μέρει παρ' ἔτος. id eſt, *participes autem ſunt hujus praerogativae, alternis annis nobiliſſimae quaeque civitates, & fama eſt plurium annorum intervallo deinceps id factum iri: provinciales enim ferre non poſſe, ut tam variis diſcurſibus huc illucque rapiantur.* Sed quomodo alternis annis hi conventus agi potuerint, equidem non video. Hoc quidem fortaſſe fieri potuiſſet, ſi duae duntaxat jurisdictiones in una fuiſſent provincia: ſed in Aſia, ut vidimus, longe plures fuerunt. Adde quod omnes conventus quotannis obire conſueverant Proconſules & Praeſides, ut docet (*b*) Plinius in Epiſt. ad Trajanum de Dione: alioqui ſi conventum alternis duntaxat annis in aliqua civitate egiſſent, juſtitium in eo conventu fuiſſet per annum integrum. Itaque malim in Dione legere κατ' ἔτος utrobique. Saepenumero autem eveniebat, ut Praeſides, cum in una civitate poſtulationum libellos a partibus accepiſſent, in alia civitate cognituros ſe pro tribunali & ſententiam laturos praedicerent, ut apparet ex Epiſt. Plinii ad Trajanum de Dione: quod quidem moleſtiſſimum erat litigantibus, cum & itinerum difficultatibus, & ſumtibus conflictarentur. Hoc eſt quod dicit Dio, συνεχῶς ἐλαυνομένους πανταχοῦ. Itaque plures optabant, non ut quotannis in omnibus civitatibus conventus haberetur: ſed ut per plurium annorum vices id fieret, utque hoc quidem anno in hac civitate, ſequenti in illa, & ſic deinceps forum haberetur.

C A-

(*a*) Neſcio quem ex Verrinis locum deſignet Valeſius. in IV. Verrin. Cap. 13. & ſeqq. Cicero meminit Cybiratarum fratrum, Tlepolemi, & Hieronis, quos, cum Cybirae in ſuſpicionem ſuis civibus veniſſent fanum expilaſſe Apollinis, veritos pœnam judicii ac legis domo exules profugiſſe dicit, quae tamen ad ea, de quibus hic agitur, referri non poſſunt. Sed fori Cybiratici, quod Laodiceae agere inſtituerat, meminit Cicero Lib. V. ad Attic Epiſt. 21. loco adpoſito: *Idibus Februariis, quo die has literas dedi, forum inſtitueram agere Laodiceae Cybiraticum, & Apamenſe. Idib. Martiis ibidem Synnadenſe, Pamphylium, Iſauricum* &c. ubi ſimiliter Apamenſem & Synnadenſem conventum commemorat, ut Plinius in loco hic a Valeſio producto, ubi de foro Cybiratico dicit Plinius, ad id convenire ſolitas XXV. civitates, in fine Capitis 28 ſi ſequimur vulgatas editiones, quae verba ejus loci divellunt capitum ſectione, cum conjunctim legenda ſint hoc modo; *Sed prius mediterraneas juriſdictiones indicaſſe conveniat. Una appellatur Cybiratica: ipſum oppidum Phrygiae eſt: conveniunt eo XX civitates, celeberrima urbe Laodicea, Impoſita eſt Lyco flumini* &c. ut monuit Salmaſius ad Solinum Tom. II. pag 828 Quin & Cybiram legum bonitate, ac numero pagorum creviſſe, & accedentibus tribus finitimis urbibus, quae ſingulae unum habebant ſuffragium, conventui huic nomen Tetrapolis eſſe factum, ſed Cybiram habuiſſe duo ſuffragia, tradit Strabo Lib. XIII. Geograph in fine.

(*b*) Lib X. Epiſt 85.

CAPUT XV.

Dio correctus.

IN eadem Oratione quaedam ſunt valde obſcura, quae cum Caſauboni aciem fugerint, nos pro virili parte illuſtrare conabimur. Poſtquam igitur de Corinthiis abunde locutus eſt Dio, oſtenditque id facinus, de quo in ſuperiore capite diximus, omnino turpe eſſe & indignum veteri aequitate & gloria Corinthiorum; poſtea de ſeipſo, ac de ſtatua ſibi poſita diſſerit: *Sciebam*, inquit, pag. 465. *hanc eſſe mortalem*: tum de ſtatuis omnibus in univerſum pronunciat, rem caducam & fragilem: *quis enim vidit ſtatuam Midae, quis Hippaemonis, quarum inſcriptiones adhuc in hominum ore verſantur, licet ſtatuae ipſae dudum ſubverſae ſint. Contrarium quibusdam ſtatuis evenit, ut ipſae quidem adhuc ſtent, & cognoſcantur ii, quibus erectae ſunt, inſcriptiones autem ad alios tranſlatae ſint, & Antiſpaſto Melicorum ſimillima res eſt: Statua quidem Graeca eſt, inſcriptio vero Romana. Et hae tamquam aemuli poëtea edunt, hinc quidem habitum Graecorum, illinc fortunam Romanorum. Vidi ego alicubi in Graecia Alcibiadem illum Cliniae, qui inſcriptionem haberet Domitii Aenobarbi* &c quam haec clara ſint & aperta nemo non videt. Sed Graeca non perinde plana ſunt, niſi emendatione noſtra adjuventur. Scribe igitur, τὴν δὲ ἐπιγραφὴν ἔχουσιν ἕτεροι, quamquam ἑτέρων quoque ferri poteſt. modo ita intelligatur, ut dixi; mox ſupplendus eſt locus hoc modo, μὲν ἐπίγραμμα ῥωμαΐζει, ὁ δὲ ἀνδριὰς ἑλληνίζει. poſtremo ſcribo, ἀντιδιδάσκουσιν, ὥσπερ οἱ ποιηταί. Paulo poſt locus eſt, quem pro deplorato habuit Caſaubonus, qui tamen meo quidem judicio ſanus eſt, ac ſolo interpunctionis vitio laborat: τὸν Ἰσθμίων τὸν ἀγωνοθέτην τὸν ὑμέτερον, Μόμμιος ἐκ βάθρων ἀνασπάσας, ἀνέθηκε τῷ Διΐ· φεῦ τῆς ἀμαθίας· τὸν ἀδελφὸν, ὡς ἀνάθημα· Mirum eſt non animadvertiſſe Caſaubonum locum hunc uno ductu legi debere: verte igitur, *agonothetam Iſthmiorum, qui olim erat in hac urbe, a fundamentis revulſum; Mummius Romae Jovi Capitolino, tamquam donarium conſecravit, fratris ſuâ inſcripto nomine, ô Vecordiam!*

CAPUT XVI.

Dio emendatus. Elegans Graecorum locutio de viris fortibus notata.

INter alia argumenta, quibus ſe conſolatur Dio, & injuriam ſibi illatam parvi faciendam eſſe perſuadet, hoc argumento utitur pag. 467. *Anaxarchus*, inquit, *corpus ſuum tundendum praebuit, non ſecus ac veſtimentum. Ego ſtatuam diſcerpendam, etiamſi ſenſu praedita eſſet, non traderem.* Scribe ergo, οὐ παρέχοιμι τὸν αἰσθάνοντα χορδεύειν &c. nam χορδεῖν, quod vulgo legitur, ferri non poteſt. Sequitur in

Dione;

Dione; *atqui noſtra*, inquit, *haec ſtatua ſenſu ſuperior eſt. Ego vero, ut ait Laodamia apud Euripidem, ne exanimem quidem amicum proderem: proinde illam, ac ſi ſenſu praedita eſſet, nunc conſolari volo.* Deinde ſtatuam ſuam alloquitur his verbis ex aliquo, ut videtur, poeta deſumtis: *ô imago muta ſermonum meorum, jam non amplius appares!* &c. Quae quidem admirabilem habent elegantiam ac leporem: quis eſt enim, qui non afficiatur haec legens atque intelligens? Nam prout in vulgatis exemplaribus leguntur, profecto intelligi non poſſunt. Quo majorem nobis gratiam ſtudioſi debituri ſunt, qui elegantiſſimum locum perpurgavimus: Scribe igitur meo periculo; ἐγὼ δὲ κατὰ τὴν Εὐριπίδου Λαοδαμίαν οὐκ ἂν προδοίην καί περ ἄψυχον φίλον. Paulo antea pag. 466. ſcribe, καί τοι καὶ τὸ σῶμα τῶν γυναικῶν, φασὶν ἀλλότριον εἶναι· Graeci Oratores, cum de fortiſſimis viris loquuntur, eleganter dicere ſolent, eos pericula, labores, mortemque adeo contemſiſſe, prorſus ac ſi in alienis corporibus periclitarentur: cujus dicti auctor eſt Iſocrates in Panegyrico pag. 113. ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίαις ψυχαῖς μέλλοντες κινδυνεύειν: & ante illum Thucydides in Libro I. pag. 46. Ubi de Athenienſibus id praedicant Corinthii; τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις ὑπὲρ τῆς πόλεως χρῶνται· Id ipſum de martyribus Chriſtianis merito dixit Gregorius Nazianzenus invectiva priore in Julianum pag. 76.

CAPUT XVII.

Dio correctus, & expoſitus. Nemeſes Deae a Smyrnaeis & Nicaeenſibus cultae.

ORatio XL. ad cives ſuos, aliquot locis partim obſcura, partim mendoſa eſt, quibus hic ſubvenire pro virili parte conabimur. Pag. 488. καὶ τελευταῖον εἰς τὰ ὄρη φθειρόμενος. Vertit interpres, *ut denique extra terminos turpiter ſim ejectus*: peſſime id quidem, cum potius vertendum eſſet: *denique ut ad montes ſumma cum difficultate & moleſtia ſaepius profectus ſim* &c. Commemorat enim Dio, quibus quantisque moleſtiis conflictatus ſit, cum curator operis a civibus ſuis eſſet conſtitutus, partim metiendo & remetiendo, partim ſupputando, tum denique ad montes proficiſcendo, ut materias fabricae neceſſarias eligeret: cum ipſe tamen nullam hujusmodi rerum peritiam haberet, ut praedicat Dio infra pag. 495. poſſet tamen legi, εἰς τὰ ὄρη φερόμενος. ſed nihil neceſſe eſt. Veniamus nunc ad alterum locum, qui eſt pag. 490. ubi Dio perſtringit obtrectatores ſuos, qui de legatione, quam obierat, & de beneficiis, quae patriae ſuae impetraverat, detrahebant: οἱ δὲ ἐλογοποίουν, ὅτι τοῖς Σμυρναίοις παμπόλλας δωρεὰς δοίη, καὶ χρήματα ἀμύθητα πέμψειε μετὰ τῶν νεμέσεων. Interpres ſic vertit; *alii autem ſermonibus ſpargebant quod Imperator Smyrnaeis quam plurima beneficia dediſſet, pecuniaſque innumerabiles miſiſſet una cum fœdere.* Caſaubonus νεμήσεων legendum putavit, & νεμέσεις nullum hic locum habere cenſuit.

fuit. Sed utrumque fugit hic ratio: quippe Nemeſes a Smyrnaeis praecipue colebantur, earumque aedes & ſimulacra erant in ea civitate, ut docet (*a*) Pauſanias in Achaicis & Boeoticis circa finem. Erant & certamina his Diabus dicata, ut docet vetus inſcriptio Smyrnaea, quae refertur inter marmora Arundeliana pag. 36. Βάσσος ἀγωνοθέτης Νεμέσεων· Quare in Dione ſcribendum puto, χρήματα ἀμυθέντα πέμψειν εἰς τὰ τῶν Νεμέσεων. id eſt, *ad certamina Nemeſium*: erat enim agon ille χρηματίτης, ut videtur. Poſſit etiam vulgata lectio tolerari, ſi intelligamus ſimulacra Nemeſium, quae fortaſſis Nero Romam tranſtulerat, Smyrnaeis reddita eſſe a Trajano. Nemeſis porro etiam a Nicaeenſibus eximie colebatur, ut dixit Dio in Orat. XXXIX. ad Nicaeenſes de concordia. Favebat autem Smyrnaeis praecipue Trajanus, eo quod oraculum de futuro ipſius imperio ibi primum ab Apolline redditum fuerat, teſte Dione in Orat. XLV. pag. 514.

CAPUT XVIII.

Dio emendatus & explicatus. Apamea Phrygiae diverſa ab Apamea Bithyniae, quae colonia erat Romanorum.

ORatio Dionis Chryſoſtomi XLI. quae eſt ad Apamenſes de concordia, difficultate non caret: primum enim obſcurum ſibi eſſe fatetur Caſaubonus, quaenam ſit haec Apamea, utrum Phrygiae urbs, an Bithyniae: deinde quinam ſint ii, a quibus originem traxiſſe Apamenos ait Dio. Quod ad primum attinet, equidem non dubito, quin de Apamea Bithyniae loquatur Dio. Haec enim erat vicina Pruſae ad Olympum, & maritima, quippe non procul a Daſcylio navali, ut teſtis eſt Ptolemaeus. Certe Dio in Orat. XL. Apameam hanc maritimam fuiſſe aſſerit; & Pruſenſes, ſi quando navigare vellent, Apamenorum portu uſos fuiſſe. Apamea autem Phrygiae non erat maritima, & ejus incolae Celaenenſes vocantur a Dione in Oratione, quam ad illos habuit. Quod ad ſecundam difficultatem attinet, urbem illam, a quo Apamenos ortos eſſe ſcribit Dio, non Antiochiam, ut Caſaubono viſum eſt, ſed Romam exiſtimo. Cui enim alteri convenire poſſunt Dionis verba (pag. 450.) τῆς μακαρίας πόλεως, ὑφ' ἧς δεῦρο ἐπέμφθητε φίλοι δὴ παρὰ φίλους, δεῦρο οἰκήσαντες: ἡ τοσοῦτον εὐτυχίᾳ διαφέρουσα τῶν ἄλλων ἀνθρώπων καὶ δυνάμει, πλέον

(*a*) De Nemeſium templo apud Smyrnaeos in Cap. 5. Achaicorum agit Pauſanias, qui etiam Lib. I. Cap. 33. Smyrnaeos maxima cum religione Nemeſin colere eamque alatam fingere tradit, de quo vid. Lindenbrog. & Vales. ad Ammian. Marcel. Lib. XIV. Cap. 11. & ſic Deae Nemeſes dormienti Alexandro adſtantes conſpiciuntur in nummo Smyrnaeorum apud Beger. in Theſaur. Brandenb. Tom. I. p. 671. quem etiam vide pag. 700. ita Νεμέσεως ἱερὸν memorat Strabo Lib. IX. p. 399. qui etiam Lib. XIII. pag. 588. tradit Adraſtum Regem primum Nemeſi templum poſuiſſe. Inſcriptio autem illa Smyrnaea, in qua Βάσσος Νεμέσεων ἀγωνοθέτης occurrit, habetur in Marmoribus Oxonienſib. pag. 94. Aliae inſcriptiones Nemeſi Deae poſitae leguntur apud Gruter. pag. xxxx.

διενήνοχεν ἐπιεικείᾳ καὶ φιλανθρωπίᾳ, τοῦτο μὲν ἀφθόνως μεταδιδοῦσα καὶ πολιτείας, καὶ νόμων καὶ ἀρχῶν, οὐδὲν ἀλλότριον ἡγουμένη τῶν ἀξίων; τοῦτο δὲ ὁμοίως ἅπασι φυλάττουσα τὸ δίκαιον. Id eſt, *beatae civitatis, a qua huc miſſi eſtis, amici ad amicos, ut hanc regionem incoleretis: quae quidem civitas, cum omnes felicitate ac potentia ſuperet, multo magis moderatione & humanitate antecellit: utque enim ſolum civitatem & leges ac Magiſtratus liberalitate impertit, neminem extraneum exiſtimans, qui ejusmodi honoribus dignus ſit: Verum etiam aequo jure quodammodo agit cum omnibus, & aequitatis obſervantiſſima eſt.* In Graeco pro, οὐδὲν ἀλλότριον, emendavi οὐδένα. His igitur verbis ajo Romam deſignari, quae erat quaſi Metropolis Apameae: nam (*a*) Apamea Bythyniae colonia erat civium Romanorum, teſte Strabone in Libro XII. Plinio in Libro V. ſub finem, & Ulpiano in Lege prima Digeſt. de Cenſibus. Itaque in principio Orationis, ubi ait Dio οὐ γὰρ μόνον αἱ λοιπαὶ πόλεις, ἀλλὰ καὶ τῶν ἰσοτίμων ὑμῖν αἱ πλεῖσαι; colonias intelligit, quae pari jure & loco erant cum Apamea: & ipſemet Dio hanc explicationem noſtram manifeſte confirmat: nam paulo poſt in eadem pag. 501. de Apamea loquens ita ſcribit: καὶ τοίνυν πλείους τῶν ἐκεῖθεν καὶ πολίτας πεποιήκατε καὶ βουλῆς μετεδώκατε, καὶ ἄρχοντας οὐκ ἀπηξιώσατε γενέσθαι παρ' ὑμῖν, καὶ τῶν σεμνῶν τούτων, ἃ τῆς Ῥωμαίων ἐστὶ πόλεως, ἐκοινωνήσατε. Id eſt, *certe multos iſtinc* (id eſt, ex Pruſa) *& civitatis veſtrae*

(*a*) *Apamea colonia erat civium Romanorum*] Ea de re, prolatis iisdem Auctorum locis, agit Octav. Falconer. Diſſert. de nummo Apamenſi pag. 33. & Celeb. Weſſeling. ad Hieroclis Synecdem. p. 692 qui Apameam coloniam Romanorum fuiſſe ex iisdem his Dionis locis & Plinio probavit. Huc refer nummum, quem ex collectione Pyrrhi Ligorii profert Holſten. ad Stephan. Byzant. pag. 29. in quo legitur ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΒΙΘΥΝ. hanc autem Apameam Bithyniae olim Myrleam dictam, & ab Apame, Nicomedis matre, Pruſiae regis Bithyniae uxore denominatam voluit. vid Strabon Lib. XII. p. 563 Ed. Caſaub. & Catanei notam ad locum Plinii Lib X. Ep. 56. quem in fine hujus capitis profert Valeſius. Apameam autem Syriae, a Seleuco Nicatore conditam, male ab Apame Seleuci matre nomen traxiſſe ſcribit Stephanus, cujus error notatus eſt a Noriſio de Annis & Epoch. Syro Maced. pag. 79. ubi pag. 81. profert egregium nummum, in quo Apamea haec ἹΕΡΑ ΚΑΙ ἌΣΥΛΟΣ vocatur, quomodo etiam occurrit in nummis apud Beger. in Theſaur. Brandenb. Tom. I. pag. 68. & Spanhem. de Uſu & Praeſt. Numiſm. Diſſ. IX. pag. 778. ille autem Stephani error ſimilis eſt illi, quem admiſit Livius, qui eam ab Apame Seleuci ſorore dictam tradit, cum eam Seleuci uxorem fuiſſe conſtet: nam ἁμάρτημα μνημονικὸν illic commiſiſſe Livium, adſerit contra Salmaſium audacter ſine MSS *uxore* pro *ſorore* legentem Falconerius pag 26. Sed haec ad Apameam Syriae pertinent, cum Romanorum colonia Apamea fuerit Bithyniae, ſita ad oſtia fluminis Rhyndaci, quae *Colonia Julia* dicta eſt, cum Apameni pro Julio Caeſare contra Pompejum ſtetiſſent, & ob id coloni ab eo facti ſunt. vid. Vaillant. Numiſm. Imper. Tom. II. pag. 24. Fuerunt autem multae hujus nominis urbes Apameae, & quidem numero quatuor: prima Apamea Syriae, de qua modo vidimus: altera Apamea Phrygiae, Cibotus dicta, ad confluentes fluviorum Marſyae & Maeandri, ad quam referri debet nummus Tiberii, quem ex Theſauro Reginae Chriſtinae profert Spanhem. de Praeſt. & Uſ. Numiſm. pag 888 in quo ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΠΡΟΣ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ legitur. tum alter Apamenſium nummus ab eodem p. 890. productus, cum inſcriptione ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΡΣΥΑΣ ΚΙΒΩΤΟΣ. Reliquae autem in Bithynia & Media memorantur a veteribus; vide Falconer. pag. 17. Eas omnes ita dictas fuiſſe, quia fluminibus & aquis circumcingebantur, putat Salmas. ad Solin. Tom. I. pag. 698 Ed. Par. eumque hac in re ſecutus Bochartus in Phaleg. Lib I Cap. XI. in fine. Verum in Apamearum etymo Salmaſium erraſſe & nova potius quam probabilia dixiſſe, urbesque Apameas quatuor ab Apame Seleuci uxore, & quintam ab uxore Pruſiae itidem Apame dicta nominatas, neque omnes Apameas inter amnes ſitas fuiſſe, prolixe oſtendit Falconerius in eleganti, quam modo adduximus, Diſſertatione de Nummo Apamenſi pag 24. & ſeqq. ubi plura de his egregie & erudite obſervat.

Digitized by Google

veſtrae honore donaſtis & curiae participes feciſtis, & Magiſtratum apud vos gerere non indignum cenſuiſtis; & ornamenta illa, quae urbis Romae propria ſunt, impertiviſtis. Qui locus ſatis indicat & Apameam coloniam fuiſſe civium Rom. & in ſuperiori loco, quem prius adduxi, urbem Romam intelligi.

Denique idem Dio in Orat. XL. ad Pruſenſes de concordia cum Apamenis pag. 492. urbem Apamenorum ſic depingit: *Sic igitur*, inquit, *adſirmo numquam conducere odia atque inimicitias, ne maximae quidem civitati adverſus viliſſimum vicum:* ὅταν ᾗ δὴ πρὸς ἀνθρώπους πόλιν οἰκοῦντας οὐ σμικρὰν καὶ πολιτείαν ἐξαίρετον ἔχοντας &c. Sic enim legendum eſt, ut & Caſaubonus obſervavit: id eſt, *adverſus homines autem, qui & urbem incolunt non exiguam, & Remp. habent praecipuam ac ſingularem* &c. Annon his verbis aperte deſignat jus coloniae, quo prae caeteris urbibus fulgebat in Bithynia urbs Apamenorum? Sed & multis privilegiis munita erat colonia Apamenorum, interque illud erat, ne a Magiſtratibus Rom. rationes & reditus & impendia inſpicerentur, utque arbitrio ſuo Rempublicam ſuam ipſi adminiſtrarent: teſte Plinio in Lib. X. Epiſtolarum ad Trajanum Ep. 56. in qua diſerte Apameam coloniam nominat.

CAPUT XIX.

Dio expoſitus. Jure Romano nemo duarum civitatum poterat eſſe civis, niſi ex reſcripto Principis.

IN eadem Oratione pag. 500. locus eſt qui prima quidem fronte planus & apertus videtur, mihi tamen plurimum negotii faceſſit. Cum enim Apamenos adloqueretur Dio, ac, ſe non ſolum dono, verum etiam natura civem ipſorum eſſe vellet probare, his utitur verbis, ὁ μὲν γὰρ πάππος ὁ ἐμὸς μετὰ τῆς μητρὸς τῆς ἐμῆς παρὰ τοῦ τότε αὐτοκράτορος φίλου ὄντος, ἅμα τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, καὶ τῆς ὑμετέρας ἔτυχεν, ὁ δὲ πατὴρ παρ᾽ ὑμῶν. Id eſt, *avus enim meus cum matre mea, ab Imperatore illo, cujus erat amicus, ſimul Rom. civitatem & veſtram adeptus eſt: pater autem a vobis.* De avo materno Dionem hic loqui cenſeo, quod declarant Dionis verba, quae de matre ſua ſubjungit. Sed quid illud eſt, quod ait avum ſuum matremque ab imperatore Rom. ſimul civitatem Rom. & Apamenam impetraſſe? Jure civili populi Rom. nemo duarum civitatum civis ſimul eſſe poterat, ſed qui in aliam civitatem ſe dicaviſſet, civitatem Rom. amittebat, nec eam niſi poſtliminio recuperare poterat, ut docet Cicero (*a*) pro Balbo. Proinde reſcripto Principis opus fuit,

(*a*) Cap. 11. & 12. ubi tres modos recuperandae civitatis, exilio nempe, poſtliminio, & rejectione civitatis obſervavit Abramius, ac de Jure poſtliminii contra Manutium quaedam notavit Graevius. Ut autem apud Romanos non licebat in alias civitates recipi, id quod tamen ſub Caeſaribus poſtea receptum fuit, ita contra Graecorum fuit inſtitutum, apud quos variae urbes jus illud civitatis habebant commune

fuit, ut quis ſimul civitatem Rom. & Apamenam retineret; eodem fere modo Plinius Harpocrae Jatraliptae ſuo, impetravit a Trajano Romanam civitatem & Alexandrinam. Sed & pater Dionis Paſicrates, quem Dio ab Apamenis civitate donatum eſſe dicit, hujuſmodi reſcripto opus habuit, utpote civis Romanus. Ipſe etiam Dio, qui in principio hujus Orationis a multis urbibus ſe civitate donatum, & in ſenatum allectum eſſe teſtatur, pari reſcripto uti debuit, niſi dicamus eum honore ſolo plebiſciti, quo civitate donabatur, contentum fuiſſe, nec ſe civitatibus illis dicaviſſe, id eſt, nec tribum in eis habuiſſe, nec honores geſſiſſe. Sane Dio in Orat. XLIV. pag. 510. teſtatur, licet a multis civitatibus invitatus eſſet, ſummique Magiſtratus ſibi eſſent delati, numqnam ſe tamen munus oblatum accepiſſe, neque in alia civitate domum aut fundum umquam comparaſſe. Caeterum etiam illud notandum eſt, lege Pompeïa permiſſum fuiſſe Bithynicis civitatibus adſcribere ſibi, quos vellent cives, modo ejuſdem Metropolis eſſent, ut tradit Plinius in Libro. X. Epiſt. ad Trajanum: plures enim erant Metropoles in Bithynia; Nicomedia ſcilicet, Nicaea, Chalcedon, Pruſa ad Hyppium.

CAPUT XX.

Dio correctus, & explicatus. Διοίκησις & διοικητὴς *quid?*

IN Orat. XLV. quam ad cives ſuos habuit Dio, nonnulla ſunt valde obſcura, quibus lucem foenerari conabimur: cujuſmodi illud eſt pag. 514. οὐ λέγω τοιοῦτον οὐδὲν, ὅτι ὑμεῖς μάλιστα τοῦτο ἐπιθυμεῖτε, καὶ χρόνος ἦν πολὺς ὃν ἠλπίζετε· Primum ſcribendum eſt, ὅτε ὑμεῖς μάλιστα τότε ἐπεθυμεῖτε &c. & poſt vocem, ἠλπίζετε, punctum notandum eſt: ac mox lege meo periculo; ἐξηπάτησθε τοῖς ὑποσχεμένοις μόνον τῶν ἡγεμόνων. οὐ γὰρ δὴ τῶν ἰδιωτῶν οὐδεὶς οὔτε προσεδόκησε πώποτε &c. id eſt, *non dico quicquam ejuſmodi, quod vos tunc maxime cupiebatis, & jamdudum ſperatis. Decepti eſtis pollicitationibus Proconſulum duntaxat: nam privatorum nemo neque id ſperavit umquam, neque vobis pollicitus eſt.* Sed quid illud eſt, quod Pruſenſes tantopere cupiebant, & cujus gratia Proconſulibus, qui eos vana ſpe deluſerant, maximos honores habebant, eiſque procul ab urbe effuſi ſimul omnes occurrebant, quod venuſte hic irridet Dio: ἐλευθερία ſcilicet, quam Graecae civitates votis omnibus expetere ſolebant, ut liberae eſſent & ſui juris. Hoc erat, quod praecipue in votis habebant Pruſenſes, ut docet Dio in Orat. XLIV. pag. 509. & 512.

Pag.

ne, id quod pluribus oſtendit Illuſtr. Spanhem. in Orbe Rom. Cap. IV: ubi loca Dionis nonnulla hanc in rem profert, & Cap. XIII. pag. 79. Plinii Epiſtolam, quae eſt Lib. X. Ep. 6. & 22. de civitate Alexandrina & Romana Harpocrae Plinii Jatraliptae a Trajano conceſſa, illuſtrat. Veteri autem jure Romano aliam civitatem quis impetrare non poterat, niſi Romanam dimitteret. vid. Salmas. ad Jus Attic. & Rom. pag. 588. ubi iiſdem Ciceronis & Plinii locis id probat: tum Cel. Heineccius in Adpend. ad Antiq. Rom. Lib. I. Cap. I. §. 72.

Pag. 516. ait Dio, ὡς τοίνυν διοικήσεως νῦν πρώτον ἀχθείσης. Interpres vertit: *proinde adminiſtratione nunc primum habita.* Quid eſſet, διοίκησις, non videtur intellexiſſe Nageorgus; quae vox occurrit ſupra pag. 514. & rurſus infra in Orat. XLVIII. pag. 534. ſignificat autem *diſpenſationem publicae pecuniae.* Unde & διοικητὴς Alexandriae dicebatur *diſpenſator pecuniae regiae*, ut notavi ad Excerpta Polybii pag. 23. Sic Dio Caſſius in Lib. XLII. Pothinum διοικητὴν vocat, qui *procurator regni* dicitur a Caeſare: & Strabo in Libro ultimo circa finem, διοικητὰς appellat (a) *procuratores Caeſaris.* Διοίκησις autem ἄγεσθαι dicitur, cum Proconſul publicos reditus & impendia & debitores Reipublicae cognoſcebat: hoc etiam ad officium Praeſidis aut Proconſulis pertinebat, ut rationes rerum publicarum excuteret, ut nec privati publicas pecunias ſine cauſa detinerent, neve publici reditus minime legitimis ſumptibus erogarentur; ut docet Plinius in Epiſt. ad Trajanum de adventu ſuo in Bithyniam (Lib. X. Ep. 27.). Itaque Calendaria civitatis ad ſe adferri jubebat Proconſul; ut idem teſtatur Plinius, (Ibid. Epiſt. 56.) ad Trajanum ſcribens de privilegio Apamenorum. Ἄγεσθαι διοίκησιν, eodem modo dicitur, quo δίαιτας ἄγεσθαι & τὰ πράγματα ἄγεσθαι apud Dionem noſtrum in calce Orationis XLIV. & ἀγορὰν ἄγειν apud Philoſtratum in Lib. I. de vita Apollonii.

CAPUT XXI.

βουλευτικὰ *quid ſint apud Dionem.*

IN Orat. XLVIII. ad cives ſuos, dubitari poteſt, quid ſint τὰ βουλευτικὰ, quorum meminit Dio pag. 534. cum ait; χρημάτων τινὰ ἀφορμὴν παρέσχον, ὥσπερ ἀπὸ τῶν βουλευτικῶν. Impetraverat patriae ſuae Dio, ut centum Senatores ſupra legiti-

K

(a) *Διοικητὰς appellat procuratores Caeſaris*] Illorum enim praecipuum munus erat, ut in provinciis reditus ac tributa colligerent, & res fiſci agerent. De his procuratoribus multa Lipſius in Excurſ. B. ad Tacit. Lib. XII. Annal. cap. 60. & poſt eum nuper Cortius ad Plin. Lib. X. Epiſt. 18. διοίκησιν autem egregie Valeſius hic illuſtrat, & interpretatur *pecuniae publicae diſpenſationem* contra Interpretem Dionis Nageorgum, vocem hanc male per *adminiſtrationem* reddentem: quem ob id etiam videtur notaſſe Auctor Emendation. in Dionem a Cel. Wolfio editus pag. 274. ubi animadvertit διοίκησιν hoc in loco non ἁπλῶς pro qualibet adminiſtratione eſſe ſumendum. Ita Heſychius: Διοίκησις, ἡ ἀνάλωσις τῶν χρημάτων. ubi Sopingius adfert inſcriptionem ex marmore antiquo apud Smetium, in quo διοικητὴς ſimiliter occurrunt. Sic in Labbaei Gloſſis Verborum Juris: Διοικητής ἐστιν, ὁ ἐγχειρισθεὶς διοικεῖν τὰ τοῦ λόγου πράγματα, καὶ ἐνάγων καὶ ἐναγόμενος ὑπὲρ τῶν τοῦ λόγου πεπραγμένων ἐν τῇ διοικήσει ποιεῖται. Cicero pro Rabir. Poſt. Cap. 10. *haec una ratio a rege propoſita Poſtumo eſt ſervandae pecuniae, ſi curationem & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepiſſet: id autem facere non poterat, niſi dioecetes.* hos διοικητὰς Latini *diſpenſatores* vulgo vocant, quales erant in provinciis & principum miniſteriis. ita Plinius Lib. VII. cap. 39. *diſpenſatorem Armeniaci belli* memorat, & Lib. XXXIII. cap. 11. Claudii Servum Druſillanum *diſpenſatorem Hiſpaniae citerioris.* de his vide Gevart. ad Stat. Lib. III. Sylv. 3. pag. 185. Similiter etiam privati ſuos habuerunt *diſpenſatores* ſervos, qui dominorum rationes curabant. Gloſſarium Philoxeni ex editione Labbaei pag. 58. *Diſpenſator*, οἰκονόμος, ἐπιδιανεμητής· *Diſpenſatores*, οἰκονόμοι. vide Feſtum. Ita *diſpenſatores & amanuenſes* junguntur apud Sueton. in Ner. Cap. 44. vide de iis Torrent. ad Aug. cap. LXVII. & Wouwer. ad Petron. cap. XXX.

timum numerum adjicerentur, ut ipſe dicit in Orat. XLIV. Ii Senatores ſeu Buleutae alii ſingula millia denariorum, alii bina in aerarium civitatis intulerant, ex quo civitatis reditus valde amplificati fuerant. Sed & caeteri Senatores, qui non principali indulgentia adſcripti, ſed a Cenſoribus lecti erant, certam pecuniam pro introitu inferre ſolebant in Bithynia, ut ſcribit Plinius ad Trajanum (Lib. X. Epiſt. 113.) Trajanus in reſcripto (a) *honorarium Decurionatus* id vocat, Dio noſter τὰ ϐυλευτικά. De eodem more loquitur Plinius in Epiſt. ad Trajanum (Lib. X. Ep. 48.) de theatris Nicaeenſium: *Claudiopolitani*, inquit, *in depreſſo loco, ingens Balineum defodiunt magis quam aedificant: & quidem ex ea pecunia, quam Buleutae additi benificio tuo aut jam obtulerunt ob introitum, aut nobis exigentibus conferunt.*

CAPUT XXII.

Dio correctus. Iſmenias tibicen.

QUod Iſmenias dicere ſolebat, celebris ille tibicen, aegre ſe ferre quod Siticines, qui in funeribus tibia canere ſoliti erant, auloedi dicerentur; idem de ſimulatis Philoſophis queri ſolebat Philoſophus quidam, paulo ante Dionis tempora: Is enim indignabatur, quod homines nequiſſimi Philoſophi appellarentur. Refert id dictum Dio in Orat. XLIX. pag. 539. ſed corrupte legitur in vulgatis exemplaribus, ὁ Ἰσμηνός, cum ſcribendum ſit Ἰσμηνίας. Fuit enim Iſmenias, ut dixi, nobiliſſimus Graeciae tibicen, cujus mentio fit paſſim in Veterum libris. Quamquam Apulejus in Floridorum (b) Libro I. non Iſmeniae, ſed Antigenidae, hanc querelam fuiſſe dicit. *Tibicen*, inquit, *fuit quidam Antigenidas: is igitur, cum eſſet in tibicinio adprime nobilis, nihil aeque ſe laborare & animo angi & mente dicebat: quam quod monumentarii ceraulae tibicines dicerentur.*

CAPUT XXIII.

Dio correctus. Ἀπροϐύλευτον. Θεοφόρητος, *divino numine agitatus.*

IN Oratione LVI. probare vult Dio Regiam poteſtatem non eſſe liberam ac ſolutam legibus, quod Graeci dicunt ἀνυπεύθυνον ἀρχήν. quod quidem demonſtrare

(a) Ea de re vide plura apud Budaeum in Adnotation. ad Pandect. pag 309.

(b) Pag. 342. Edit. Elmenhorſtii, qui in notis ad illum locum etiam Dionis verba protulit, ſed ex corrupta ejus ſcriptura *Iſmene* tribuiſſe Dionem hoc dictum perperam notat, & mirum eſt Caſaubonum quoque in Diatriba ſua pag. 86. non vidiſſe *Iſmeniae* nomen pro *Iſmeno*, ut male bis vocat, ſubſtituendum eſſe. Quae autem hic Valeſius de Iſmeniae dicto, Antigenidi ab Apulejo adſcripto, obſervat, jam notaverat ad Ammian. Marcellin. Lib. XIV. pag. 37. Neſcio an de eo capiendum ſit Varronis Fragmentum apud Nonium in voce *ſcaturex* p. 172. *Iſmenias hic Thebogenes fluit ſcaturex* Refert de eo Plutarch. in Demetrio pag. m. 889. Thebanum hunc tibicinem Iſmeniam diſcipulis ſuis oſtendentem eos qui bene vel male tibiis canerent, ſolitum fuiſſe dicere, ita canendum, vel non canendum eſt. de quo vid. Victor. Lib. XX Var. cap. XI. plura autem de Iſmenia hoc, Antigenidis diſcipulo vide apud Crinit. Lib. XII. de Honeſt. Diſciplin. cap. 12. ubi inter alia notat dictum illud *ſibi & muſis canere* referri a nonnullis ad hunc Iſmeniam, quod tamen alii, ſimiliter ut illud de quo hic Valeſius, Magiſtro ejus Antigenidi adſcribunt. Vide Eraſm. Adag. pag 603.

re conatur exemplo Regum Spartanorum, qui Ephoris parebant, & exemplo Agamemnonis, qui Neſtoris conſilio obtemperabat, nec ad populum verba faciebat, quin prius cum conſilio collocutus eſſet. At plerique oratorum, qui in Rep. verſarentur, decreta ferunt ad populum, quae cum Senatu prius communicata non fuerunt: (pag. 567.) οἱ δὲ πολλοὶ τῶν δημαγωγῶν, ἀπροβούλως τὰ ψηφίσματα οὐκ ὀκνοῦσιν εἰς τὸν δῆμον εἰσφέρειν Scribe meo periculo, (a) ἀπροβούλευτα ψηφ. Vocabulum hoc eſt juris Attici, ut patet ex Demoſthene in Oratione contra Androtionem: Vide Harpocrationis Lexicum in voce Ἀπροβούλευτον Idem Juris erat apud Romanos, ut antequam lex ad populum ferretur, Patres auctores fierent, quod Senatusconſultum Dionyſius Halicarn. προβούλευμα paſſim vocare ſolet, perinde ut Athenienſes vocabant.

In Oratione LXI. pag. 586. de Caſſandra virgine haec habet Dio, ἱερασθῆναι τὴν Κασσάνδραν θεοφρονήτου, καὶ ἱερᾶς κόρης. legendum puto, θεοφορήτου, ut loquitur Dionyſ. Halicarn. in Lib. I. Antiquitatum Romanarum pag. 24. & Strabo in Lib. XII. (b) ubi de Comanis & templo Bellonae, πλεῖστον μέντοι τῶν θεοφορήτων πλῆθος. quamquam Manuſcripti Strabonis Codices habent, θεοφρονήτων eodem errore. Hinc θεοφορήσεις & κορυβαντιασμοὶ conjunctim ponuntur ab eodem Dionyſio in Lib. II. (pag. 91. Ed. Sylburg.)

CAPUT XXIV.

Dio correctus. Fortunae effigies. Verſus veteris Poetae apud Dionem. Romae Virtus ac Felicitas. Romani ab Athenienſibus orti.

IN Oratione II. de Fortuna pag. 595. obſcurum eſt, quosnam hic alloquatur Dio, cum ait Majores eorum primum Athenis profectos in Euboeam veniſſe, ac poſtmodum, ſpreto inſulari domicilio, in agrum uberrimum profectos, urbem condidiſſe: Scribe interim, τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἐκ τῶν Ἀθηνῶν, εἰς τὴν Εὔβοιαν ἐξήγαγεν. & paulo poſt, ubi ſcribitur, ἐνθάδε ἵδρυσε, τεταμένων τῶν χειρῶν μηχανωμένη τε καὶ τὸν πλοῦν καὶ κατιθύνουσα. τῇ δὲ τοὺς καρποὺς ἀφθόνως διδοῦσα &c. noli dubitare, quin Dio ſcripſerit, ἵδρυσε, τῇ μὲν τεταμένων τῶν χειρῶν μηχ. &c. τῇ δὲ τοὺς καρ. id eſt, *hic vos collocavit, altera quidem manu navigationem commonſtrans vobis ac dirigens: altera vero fructuum copiam donans.* Alludit enim Dio ad effigiem (b) Fortunae, quae dextra gu-

(a) Ita emendandum in hoc Dionis loco jam monuit in notis ad Harpocration pag. m. 10. in fine: Προβουλεύματα autem pro curiae decretis, quae ad populum deferebantur, ut ab eo confirmarentur, paſſim apud Graecos, ut Senatusconſulta apud Latinos, quomodo in Gloſſis Labbaei & Vulcanii, *προβούλευμα, conſultum.* Vid. Budaei Comment. Ling. Gr. pag. m. 113.

(b) Pag. 535. Ed. Caſaub. cujus loci lectionem confirmat, quod in Gloſſis Labbaei pag. 19. *οἱ θεοφορούμενοι, Bellonarii* reddantur.

(c) *Effigiem Fortunae*] Talis conſpicitur Fortuna ſtolata, dextra temonem ſeu gubernaculum, laeva cor-

gubernaculum, ſiniſtra cornu copiam gerebat. Quod ergo ſequitur, τὴν μὲν ἐν τῷ λοιπῶν γνώμην, εἰκάσαι χαλεπόν ἐστι, planum eſt, ſi particulam negativam addideris hoc modo, εἰκάσαι οὐ χαλεπόν ἐστι. Id eſt, *reliqua vero quid ſibi velint*, *non difficile eſt conjectura adſequi.* Rotam intelligit, & calvitiem & caetera hujusmodi, quae in Fortunae imaginibus videbantur: niſi forte verba ſint Grammatici, qui ad hunc locum notabat, difficile eſſe ſenſum eorum, quae ſequuntur, conjicere.

Sequente pag. locus eſt, meo quidem judicio elegantiſſimus ac venuſtiſſimus: Cum enim docere vellet Dio nullam eſſe regionem, quam patriae ſuae praeferre vellet, adfert laudes & encomia multarum regionum & urbium ex diverſis poetis undecunque collecta: tum deinde ea refutat. Lege igitur, δυστυχία ποιμένων in nominativo: eſt enim reſponſio Dionis ad illum verſum, qui praeceſſit. Paulo poſt ſcribe a capite,

Ὡς καὶ καλόν σοι φαίνεται τὸ νεώριον.

Eſt enim (*a*) verſus Poëtae cujusdam Comici ſeu Tragici, qui Athenas laudaverat his verſibus, quos refert hic Dio:

Δέσποινα δ' ἁπασῶν πότνια Ἀθηναίων πόλι
Ὡς καὶ καλόν σοι φαίνεται τὸ νεώριον.
Ἄλση δὲ τίς που τοσαῦθ' ἔχ' ἄλλη γῆ.

Sic enim legendum eſt, non γυνή. Quam venuſte autem huic ultimo verſui reſpondet Dio: *habuit quidem olim*, inquit, lucos ſcilicet; *ſed poſtea ſervata eos tanquam in luctu detotondit.* Sequitur deinde quartus ejusdem poëtae verſus in laudem Athenarum

Καὶ τοὐμπορεῖ πῶς, φασὶν, ἐστιν ἐν καλῷ.

Cui ſic reſpondet Dio, καὶ πῶς; οἵγε λιμένιοι &c. ita enim ſcribendum puto: id eſt,

cornucopiam tenens in Agrippinae nummo apud Vaillant. in Numismat. Imperator. Tom. I. pag. 141. Quod autem in Dionis loco altera manu navigationem monſtrare, altera fructuum copiam donare dicatur, id egregie inluſtrat Horat. Lib. I. Od. XXXV. 5. ad Fortunam:

Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam aequoris
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.

Ubi quae de *ruris colono* dicit, reſpiciunt ejus cornucopiam, & quod *dominam aequoris* vocat, ad ejus gubernaculum referendum eſt, ſive quod navigationi ac mercaturae praefecta eſſet. Vid. Heins. Introd. ad Heſiod. Cap. XI. p. 223. Lactantius Lib. III. cap. 29. *Fortunam putant eſſe, quae hominibus tribuat bona & mala: nam ſimulacrum ejus cum copia & gubernaculo fingunt, tamquam haec & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* ubi vid. Betulejum. Ita apud Gruterum pag. LXXV. exhibetur ara, in cujus uno latere Fortuna ſtat dextra gubernaculum ſupra orbem, ſiniſtra cornucopiam tenens: quomodo & conſpicitur in Gorlaei Dactyl Gemma XXXII. & in nummo Temnitium ac Hyrcanorum apud Sponium in Itinerar. Tom. I. pag. 446.

(*a*) Idem etiam obſervavit Auctor Emend. in Dionem pag. 282. & verba haec ut ſenarium, ex dramatico quodam poeta deſumtum, conſtituenda eſſe monuit, quod facile adparet ex nexu verborum apud Dionem, qui ad ſingulos verſus reſpondet, ad hunc autem Ὡς καὶ καλόν σοι. *Quam pulchrum tuum adeptum navale*, regerit Dio. poſt Helleſpontum & Lyſandrum turpe eſſe, quae optime cohaerent.

eſt, *& quomodo? ſiquidem illic homines fame morbisque conflictantur.* Caeterum quisquis hunc locum accurate perpenderit, non dubitabit, quin Dio cives ſuos hic alloquatur: id enim patet, tum ex apoſtrophe illa ad Fortunam, tum ex verbis, quae leguntur in hac pagina: τῶν μὲν γὰρ πρωτείων οὐκ ἄλλως τύχοιμεν &c. Vides verbum τύχοιμεν in perſona prima poſitum, ut neceſſe ſit Dionem de civibus ſuis hic loqui, non quidem de Pruſenſibus: neque enim de Pruſenſibus hoc dici poteſt, eos principatum tenuiſſe, & Athenienſes, ipſorum conditores, ab iis eſſe ſuperatos. Supereſt ergo ut Romam hic intelligi dicamus, quae Dionis erat patria; eum enim civem Romanum fuiſſe in ipſius vita docuimus: certe τῶν πρωτείων τυχεῖν cui alteri convenit, quam urbi Romae? Virtus quoque & Felicitas, quam praedicat Dio, propria videtur eſſe urbis Romae, & quaſi praecipuo titulo ad eam pertinere, ut teſtatur Dio in Rhodiaca pag. 331. & in Orat. XLI. pag. 501. Notiſſimum eſt de urbe Roma Veterum dictum, ad eam ſcilicet augendam, atque in tantum culmen provehendam Virtutem ac Fortunam inter ſe conſenſiſſe, de quo plura notavi ad (a) Ammianum Marcellinum. Cum igitur haec Dionis Oratio ſit de Fortuna, quod celebrius exemplum adferre potuit, quam urbem Romam? Unica ſuper eſt difficultas, quomodo Romani dici poſſint ab Athenienſibus profecti? ſed reſponderi facile poteſt à quibusdam antiquis ſcriptoribus ita proditum fuiſſe: Certe Hiſtoriae Cumanae ſcriptor id diſerte ſcribit, ut refert Feſtus Pompejus in voce Roma.

CAPUT XXV.

Dio correctus. Porus Rex Indiae tonſor fuerat. Gyges paſtor.

IN eadem Orat. pag. 597. locus eſt, quem nec Interpres, nec Caſaubonus intellexit: ac dubitare merito poſſis, uter illorum infelicior fuerit. Inter miracula Fortunae haec recenſet Dio. Τίς ἂν ποτε ἤλπισεν Ἰνδῶν ἄρξειν Ὀρέα, Λυδῶν βασιλεύσειν ποιμένα &c. Interpres vertit, *quis unquam ſperaſſet Indis imperaturum Orea.* At Caſaubonus, cum hanc interpretationem ferre non poſſet, vertendum cenſuit *Mulum*, & Cyrum intelligi cenſuit, qui tamen numquam Indis imperavit. Rejectis igitur hujusmodi ſomniis, adfirmamus nos a Dione ſcriptum fuiſſe. Ἰνδῶν ἄρξειν κυρέα, & Porum intelligi Regem Indorum, qui prius tonſor fuerat. Docet id Libanius in Oratione ad Curiales contra Severum pag. 632. ἀλλὰ Πῶρος οὐκ ὢν κυρίως μὲν ἦν Ἰνδοῖς δ' ἐπέταξεν· Sic enim legendum eſſe hunc Libanii locum jam pridem

K 3 (a) mo-

(a) Lib. XIV Cap. 6. cujus verba valde ſunt notabilia: *Tempore quo primis auſpiciis in mundanum fulgorem ſurgeret victura, dum erunt homines, Roma, ut augeretur ſublimibus incrementis, foedere pacis aeternae VIRTUS convenit atque FORTUNA.* quae ex Floro mutuatum eſſe Ammianum notarunt viri docti; ille enim de pop. Rom. in procemio Lib. I. teſtatur, *illum tot laboribus periculisque jactatum eſſe, ut ad conſtituendum ejus imperium contendiſſe VIRTUS et FORTUNA viderentur*, Eadem notavit Sitzmannus ad Rutil. Lib. I. Itiner. v. 62.

(*a*) monuimus. Helladius Beſantinous, cujus excerpta referuntur in Bibliotheca Photii, Porum tonſoris filium fuiſſe dicit, ex illo, ut opinor, Libanii loco male intellecto. Lydorum autem Regem Gygem intelligit Dio, qui ex paſtore regnum Lydiae eſt adeptus, ut docet Plato in Lib. 2. de Rep. & Cicero alicubi, & Tzetzes in Hiſtoria tertia. Pag. ſequente hiſtoriam de Myle, quam ſibi ignotam fuiſſe Caſaubonus teſtatur, Herodotus refert in Lib. I. (cap. 84.) ex quo ſcribe in Dione Μάρδος, non autem Μαρδώνιος. Corruptum quoque eſt nomen proprium pag. 599. Πτερέλα enim ſcribendum eſt ex Apollodoro in Bibliotheca (Lib. II. Cap. IV. §. 5.) Poſtremo ſcribendum puto (pag. 598. in init.) ὁ γέροντα Παρμενίωνα.

CAPUT XXVI.

Dio correctus bis terve.

IN Oratione LXXIV. pag. 643. leve mendum eſt, quod Interpretes non animadverterunt. καί τοι λιμένας μὲν ὅρους τις ἂν αἰκλύσως. ſcribe ἀκλείσως. id eſt, *quamquam portus invenire quis poſſit apertos.* Portuum duo ſunt genera; quidam κλειστοί, qui ſcilicet catena ferrea claudi poſſunt; cujusmodi plures a Strabone memorantur: Alii ἄκλειστοι, id eſt aperti. In Orat. LXXVIII. pag. 658. ϐαναύσους τινὰς καὶ οἰκοιότριϐας, ſcribe οἰκότριϐας. Id eſt, *vernas.* In Orat. LXXVI. de Conſuetudine: conſuetudinem ſic definivit, δίκαιον ἢ ἑκούσιον, καὶ ταῦτα πᾶσιν ἀρέσκον. malim legere, καὶ ταυτὸ πᾶσιν ἀρέσκον.

Addam hic quod pene effugerat in Orat. ſcilicet XLI. pag. 507. ubi de Socrate loquitur Dio, qui non modo juvenes ad virtutem incitabat, ſed etiam ſenes objurgabat, ſi quem forte intemperantem viderat, aut pecuniam publicam male conſumentem, aut nummarium Judicem &c. corrupte ſcribi τὸν μὲν ἀπολλύων ἐν ἀργυρείῳ, cum ſcribendum ſit, ἐπ' ἀργυρείῳ. Sic enim loquuntur Graeci.

CAPUT XXVII.

In Dionis Rhodiaca Philoſophum quemdam memoratum fuiſſe Apollonium Tyaneum.

REdeamus ad Rhodiacam, in qua neſcio quo caſu praetermiſimus, quod operae pretium fuerit. In illa igitur Oratione pag. 347. cum dehortari vellet Rhodios Dio,

(*a*) In notis nempe ad Excerpta Peireſciana pag 121. ubi hunc Libanii locum ex codice Auguſtano, ita ut hic corrigit, emendat. Helladii locus eſt in Chreſtomath. pag. 5. Edit. Meurs. ubi dicit: Πῶρον τὸν βασιλέως Ἰνδῶν, κουρέως υἱὸν εἶναι.

Dio, ne mores Athenienſium ſui temporis imitari vellent, quippe qui prorſus degeneraſſent a Majoribus ſuis, ait nihil omnino fieri ab illis quod non ſit erubeſcendum. Cujusmodi ſunt ſpectacula gladiatorum, in quibus Corinthiorum inſaniam longo intervallo ſuperarunt. Nam cum Corinthii extra urbem gladiatores ſpectent in valle feculenta ac ſordida, Athenienſes ſpectant in theatro ſub ipſam arcem, eo in loco, ubi ſimulacrum Bacchi collocant in Orcheſtra: adeo ut miſeri homines ſaepe trucidentur in iis ſedibus, in quibus Hierophantam & caeteros ſacerdotes ſedere jus fasque eſt. Et cum Philoſophus quidam de hac re apud illos verba feciſſet, eosque admonuiſſet, non modo ei non auſcultarunt, ſed tantopere indignati ſunt, ut vir ille genere quidem Romanorum nulli ſecundus, nominis autem celebritate tanta, quanta ex ſuperiori memoria pauci admodum fuerunt, & quem unum fatebantur omnes, poſt priſcos illos ſapientes, vitam ducere a ſermonibus ſuis haudquaquam diſſentientem: Vir, inquam, ille e civitate diſceſſerit, malueritque ubivis alibi, quam Athenis vivere. Haec quidem ſunt Dionis verba, in quibus primum quaeri poteſt, quisnam ſit ille talis tantusqe Philoſophus. Ego Apollonium Tyaneum intelligi adfirmo, de quo id ipſum narrat Philoſtratus in Lib. IV. Cap. 22. his verbis, διωρθοῦτο δὲ κἀκεῖνο Ἀθήνησιν. οἱ Ἀθηναῖοι, ξυνιόντες ἐς τὸ θέατρον τὸ ἐπὶ τῇ ἀκροπόλει, προσεῖχον σφαγαῖς ἀνθρώπων, καὶ ἐσπουδάζετο ταῦτα ἐκεῖ μᾶλλον, ἢ ἐν Κορίνθῳ νῦν. Subjicit ibidem Philoſtratus ipſa Apollonii verba, quibus Athenienſes objurgavit: inter caetera, σὺ δὲ, Διόνυσε, μετὰ τοιοῦτον αἷμα, ἐς τὸ θέατρον φοιτᾷς; quae lucem adferunt Dionis noſtri verbis, οὗ τὸν Διόνυσον ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν διατιθέασιν. id eſt, ut interpretatus ſum, *eo in loco, in quo Bacchi ſimulacrum collocant in Orcheſtra.* Quod quidem fiebat in feſto Bacchanaliorum, quo tempore Tragoediae & Comoediae agebantur in theatro, ut notum eſt.

HENRICI VALESII EMENDATIONUM

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Philoſtratus de vitis Sophiſtarum emendatus, & verſio ejus correcta.

PHiloſtrati Lemnii extant Libri duo de vitis Sophiſtarum valde elegantes & omnis generis doctrina referti. Sed dolendum eſt, idem illis contigiſſe, quod pleriſque veteris Graeciae monimentis, ut in peſſimos interpretes inciderint, nec doctiores nacti ſint (*a*) antiquarios. Proinde hoc in Libro operam dabimus, ut germana ſcriptura auctori ſuo reſtituatur, & interpretis errores aliquot emendentur. Nam ſi omnes perſanare vellemus, nova potius interpretatione opus eſſet. In epiſtola ad Antonium Conſulem leguntur haec verba, τοὺς ἐν δόξῃ τοῦ φιλοσοφῆσαι σοφιστεύσαντας, καὶ τοὺς οὕτω κυρίως προσρηθέντας σοφιστὰς &c. quae quidem interpretes non intellexerunt. Conſilium operis ſui Philoſtratus hic declarat, ac locuturum ſe pollicetur, tum de iis, qui ſub Philoſophiae nomine Sophiſticam exercuerunt, tum de iis, qui proprie Sophiſtae vocati ſunt. Quamquam non incommode legi poteſt, τοὺς ἐν δόξῃ ȣ (*b*) σοφιστεύσαντας φιλοσοφήσαντας, quam lectionem Philoſtratus ipſe confirmat in vita Favorini ſub finem.

Pag. 482. καὶ τὸ ἐπὶ πᾶσι, verte *in ſumma*, vel, *denique*. pag. 484. locus eſt corruptus, ni fallor; quid enim ſibi volunt haec verba. Αἰσχίνης δὲ οὐκ ἄν μοι δοκεῖ πρεσβεῦσαι παρὰ Ῥοδίοις, ἃ μήπω ἐγίγνωσκεν εἰ μὴ καὶ Ἀθήνησιν αὐτὰ ἐσπουδάκει. neque enim Aeſchines umquam legatione functus eſt apud Rhodios, ſed exul in eam Inſulam migravit. Ac fortaſſe ἐπαίδευσε ſcribendum eſt, & ἐγίγνωσκεν. Docuit enim Rhethoricam Aeſchines apud Rhodios, & Rhodiacae ſcholae primus auctor fuit, ut refert Plutarchus in ejus vita.

In

(*a*) Sic habebat exemplar Valeſianum, ſed puto *Commentarios* vel ſimile quid ſubſtituendum eſſe.
(*b*) Ita & poſt Morellum reſtituit in noviſſima Editione Olearius, ad cujus paginas accommodavi citationes locorum a Valeſio hic emendatorum, cum ille ea protulerat ex Morelliana.

In Dionis Chryſoſtomi vita (p. 487.) obſcura ſunt haec verba, nec ab interpretibus intellecta, καθάπερ αἱ μαγάδες τοῖς ὀργάνοις συνηχεῖ &c. quid ſint μαγάδες, optime explicat Heſychius; tabulae ſcilicet quadratae, quibus ſupertenſi ſunt nervi cithararum. Proinde pulſis citharae nervis, tabulam quoque reſonare neceſſe eſt. Ibidem (pag. ſeq.) miror Euphratem (a) Philoſophum Tyrium dici, cum Stephanus Byzantius oriundum fuiſſe dicat Epiphania Syriae.

In vita Favorini locum integrum adſcribam, prout verti debuerat, pag. 489. *Cum ſacerdos domi renunciatus fuiſſet ad obeunda patria ſacra, provocavit ad Principem, quemadmodum legibus permiſſum eſt, immunem ſe publicis functionibus eſſe contendens, utpote Philoſophum. Sed cum animadverteret Imperatorem paratum eſſe ad ferendam adverſus ſe ſententiam, tamquam ſi Philoſophus non eſſet, ſic eum praeveniens interrupit* &c.

CAPUT II.

Philoſtratus correctus. Προσβολαὶ *quaenam?*

IN vita Gorgiae (pag. 492.) ſupplenda videntur eſſe aliquot verba, hoc modo: εἰ γὰρ τὸν Αἰσχύλον ἐνθυμηθείημεν τῆς τραγῳδίας πατέρα &c. Sic enim argumentatur Philoſtratus, *ſi Aeſchylum Tragœdiae patrem eſſe cenſemus, eo quod paltam primus invenerit, & pulpitum & perſonam & nuntios & nuntiorum nuntios*, (ſic enim interpretor vocem ἐξαγγέλλους) *cur non etiam Gorgiam Sophiſticae patrem vocabimus, qui tot ac tanta ei contulerit?* Vide Philoſtratum Lib. VI. Cap. 6. de vita Apollonii. Paulo poſt mendoſa ſunt haec verba ἀποστάσεών τε καὶ προβόλων, nec facile eſt veram ſcripturam adſequi ſine auxilio Codicum Scriptorum. In editione Veneta προβόλων legitur, ego (b) προσβολῶν malim. Artis Sophiſticae verbum eſt προσβαλεῖν, ut videre eſt in vita Critiae, id eſt aggredi locum quemdam, cui contrarium eſt, ἀφίστασθαι, cum relinquitur locus, ut ad alium tranſeamus. Quam emendationem animadverti poſtea confirmari a Philoſtrato Lemnio in epiſtol. XIII. ad Juliam Aug. de Gorgia, ubi ait hujusmodi ἀποστάσεις & προσβολὰς Gorgiae occurrere frequentes in Epico Cyclo.

Pag. 493. de Oratione funebri, quam Gorgias Athenis habuit, ſic ait: καὶ τὸν αὐτῶ νῦν τῷ Ὀλυμπικῷ ἀγωνιζόμενον. Ego ſcribendum puto, καὶ ἐς τὸν αὐτὸν νῦν. Id

L

eſt,

(a) Hunc Philoſtrati locum, praeter ea quae & in Libris de vita Apollonii Tyanei de hoc Euphrate maximo illius adverſario ſcribit, ſi in promtu habuiſſet Thomas de Pinedo, non obſervaſſet, ut puto, in notis ad Stephani locum, pag. 267 hujus Philoſophi memoriam tantum extare apud Xiphilinum in Dionis Epitome, cujus lectionem tamen recte contra Leunclavium adſerit Sed & praeter hos ejus meminit Eunapius in vitis Philoſoph. pag 6. Ed. Junii, qui Aegyptium fuiſſe refert. Quin & hunc in Syria docentem audiviſſe, ac familiaritatis uſu noviſſe ſe ſcribit Plinius Lib. I. Epiſt. 10. ubi multis laudibus illum effert Vide & quae de eo habet Olearius ad Lib. I. de vita Apollon. Cap. XIII. num. 17.

(b) Idem etiam obſervavit Olearius.

eſt, *& cum in eandem ſententiam diſſereret, qua diſſeruerat in Oratione Olympica.*

In vita Hippiae (p. 495.) ubi de dialogo ejus loquitur, cui titulus erat Troicus, ſcribendum eſt, ὁ Νέστωρ ἐν Τροίᾳ ἁλούσῃ ὑποτίθεται Νεοπτολέμῳ τῷ Ἀχιλλέως ἃ χρὴ ἐπιτηδεύοντα &c. quemadmodum legiſſe videtur interpres. In Prodico (pag. ſeq.) fœde lapſus eſt interpres, cum haec verteret, ἀνιχνεύει δὲ οὗτος τοὺς εὐπατρίδας τῶν νέων, καὶ τοὺς ἐκ τῶν βαθέων, ὡς καὶ προξένους κεκτῆσθαι ταύτης τῆς θήρας. id eſt, *adoleſcentes nobiles aut opulentis prognatos patribus veſtigabat, adeo ut miniſtros ejus venationis multos aleret.* βαθέας dixiſſe videtur Philoſtratus, quos alii βαθυπλούτους dixere. Notae ſunt Sophiſtarum artes, qui juvenes nobiles alliciebant, ut ex iis majorem quaeſtum facerent, quam ob cauſam deridentur ab Iſocrate in Panathenaïco.

In Antiphonte (pag. 499.) verſus quidam jambici leguntur, qui a verbis Philoſtrati diſtinguendi ſunt hoc modo.

Ὡς οὐδὲν οὕτω δεινὸν ἐρώντων ἄχος
Ὃ μὴ ἐξέλοι τῆς γνώμης. —— ——

In vita Critiae ſub finem ſcribendum videtur δεινῶς καθαπτόμενον ἐν ἀπολογίας εἴδει, vel ἤθει, parum enim intereſt. In Iſocrate (p. 505.) malim ſcribere τοὺς κακῶς ἐπ' αὐτῇ κινοῦντας, quam ut vulgo legitur ἐν αὐτῇ. paulo poſt ſcribendum omnino eſt, (a) παυσαμένης τῶν οἴκοι ἐγκλημάτων. refertur enim ad τὴν Ἑλλάδα, quae idem valet ac τοὺς Ἕλληνας. Mox corrupta ſunt haec verba, τὸ μὲν γὰρ διήκει φρόνημα. fortaſſe ſcripſerat Philoſtratus, τῷ μὲν γὰρ τήγει φρόνημα &c.

CAPUT III.

Sophiſtae a Philoſtrato omiſſi. Idem plus ſemel correctus & expoſitus.

INgenti ſaltu ab Aeſchine Athenienſi tranſit Philoſtratus ad Nicetem, qui Veſpaſiani temporibus floruit, omiſſis quam plurimis, qui non minus celebres ſua aetate Sophiſtae fuerunt, quam multi eorum, quos Philoſtratus deinde commemorat. Ex quo apparet, Philoſtratum veteris hiſtoriae non admodum ſtudioſum, nec peritum fuiſſe. Cur enim Rhodiacos Sophiſtas praetermiſit? Artamenem, Ariſtoclem, Philagrum & Molonem, de quibus Dionyſius Halicar. in Libro de Vehementia in dicendo; quorum Molo Ciceronis magiſter fuit, ut ipſe in Oratore memorat. Cur praetermiſit Oratores Aſiaticos, quorum princeps fuit Hegeſias, oriundus Magneſia, auctor Aſiatici ſtili, teſte Strabone, quem quidem Dionyſius Halicar. acriter reprehendit. Fuit etiam Dionyſius Magus, Menippus Stratonicenſis, & Aeſchines

(a) Sic etiam MSStis fidejuſſoribus jam reſtituit Olearius.

nes Gnidius, omnes a Cicerone auditi cum eſſet in Aſia. Hybraeus quoque & alii plures in Caria fuerunt Sophiſtae nobiles a Strabone memorati. Quin etiam Antipater, & Theodorus, & Plution & Conon, haud quaquam ſpernendi Oratores fuerunt, quos paulo ante ſuam aetatem vixiſſe teſtatur Dio Chryſoſtomus in Orat. XVIII. quorum etiam meminit Hieronymus in Chronico.

Veniamus ad Nicetam. Non intellexit interpres quid ſibi vellent haec verba, (p. 511.) ἀντεξάγεις λόγοις ἔργα. id eſt, *ſermonum gloriae, operum ſeu aedificiorum magnitudinem opponens.* Sic ἔργα ſumuntur apud Dionem Chryſoſtomum non ſemel. Paulo poſt ait Philoſtratus, (pag. 512.) ἀνὴρ ὕπατος ᾧ ὄνομα Ῥοῦφος τοὺς Σμυρναίους ἐλογίστευε πικρῶς &c. quid eſſet λογιστεύειν, docui dudum in notis ad Lib. XIV. (*a*) Ammiani Marcellini, ubi de Curatoribus civitatum affatim dixi. Igitur exiſtimo hunc Rufum Curatorem fuiſſe Reip. Smyrnaeorum, & rationes publicas inſpexiſſe. Id enim ex Philoſtrati verbis colligitur, quae paulo poſt ſequuntur, ὁ μὲν δὴ χρόνον, ὃν μιᾶς πόλεως ἦρξεν. ex quibus apparet Curatorem civitatis Magiſtratum fuiſſe & jurisdictionem habuiſſe; id quod etiam colligitur ex actis purgationis Ceciliani, & ex Lege I. Cod. de modo mulctandi. In Iſaeo (pag. ſeq.) (*b*) τὰ λήδια, ſcribendum eſſe videtur, non λύδια, quamquam Heſychius vulgatam ſcripturam tueri videtur. Deinde lege, (p. 514.) τοὺς μὲν γὰρ Λακεδαιμονίους ἀγωνιζόμενος τοὺς βουλευομένους περὶ τοῦ τείχους, ut legitur in editione Veneta. id eſt, *cum declamaret ſumſiſſetque argumentum declamationis Lacedaemonios conſultantes, an muro cingerent civitatem.*

CAPUT IV.

Philoſtratus expoſitus & emendatus. οἶκος *&* οἰκία *differunt.*

IN vita Scopeliani Sophiſtae (pag. 515.) non intellexit interpres haec verba, ὁ δὲ στέφανος οὗτος πολύς, καὶ ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων. Vertit enim hoc modo, *& corona haec non mediocris, multis opibus praepollens.* cum vertendum potius fuiſſet, *& pro maximis ſumtibus quaſi mercedis loco datur.* Nemo enim ad ſacerdotium & hujusmodi honores Municipales promovebatur, niſi qui omnibus antea muneribus defun-

(*a*) Pag. 36. ubi docuit Curatores hos civitatium Graecis λογιστὰς dictos, & officium eorum λογιστείαν adpellari. Gloſſarium Philoxeni pag. 117. Ed. Labbaei: Λογιστεία, *Curas.* Λογιστὴς, *Curator* vide etiam Valeſium noſtrum ad Euſeb. Lib. IX. Hiſt. Eccles. cap. 2. in fine, & ad Philoſtorg. Lib. III. pag. 502. tum Kuhnium ad Polluc Lib. VIII. cap 9. Segm. 99. Ita apud Athenienſes magiſtratus erant, qui λογισταὶ vocabantur, & rationum magiſtri erant. Vide Harpocrationis Lexicon. Heſychius: Λογιστὰς, κριτὰς, δικαστὰς, ἐξεταστάς. De illis agit Petitus in Commentar. ad Leg. Attic. pag. 224. Ceterum Curatores Urbium, Civitatum, Reipublicae, ſaepiſſime in vetuſtis occurrunt Inſcriptionibus apud Gruterum, alioſque, tum in multis Digeſtorum legibus. vid. Briſſonii Lexicon pag. 198. ſed praecipue Reineſium ad Inſcript. Antiq. Claſſ. I. pag. 235.

(*b*) Sic etiam reſtituit Olearius, & in ſequente loco ex MSS. & Edd. antiquis veram revocavit lectionem.

ctus eſſet, & plurimos ſumtus in iis obeundis feciſſet, ut patet ex Codice Theodoſii, titulo de Curionibus. πολὺς a Philoſtrato ponitur pro μέγας. Erant autem ſacerdotes gentium coronati, unde & στεφανηφόροι dicuntur.

Non multo poſt (p. 516.) locus eſt qui me non mediocriter exercuit. Ait enim Philoſtratus, matre Scopeliani mortua, patrem ipſius admodum ſenem ſuperduxiſſe aliam uxorem, γυναῖκα ὁ πρεσβύτης ἠγάγετο, ἡμιγαμόντε καὶ οὐ κατὰ νόμους. Interpres cum hanc vocem ἡμίγαμον non intelligeret, praetermiſit magno utique ſententiae damno. Ego pellicem ſignificare puto. Eſt enim pellex propemodum juſta uxor. Objurgabat igitur patrem Scopelianus, quod pellicem ſibi adjungens, nuptiale convivium, & reliqua ſolemnia legitimis matrimoniis adhiberi ſolita, celebraret. Pag. 517. in fine, ubi legitur, ἀμνησικακήσαντι αὐτῷ παρεῖναι, καὶ ὀργήν. legendum puto, καὶ ὀργὴν ἀφεῖναι. Mox nota mihi diſtinctionem inter οἶκον & οἰκίαν, a paucis admodum interpretibus animadverſam. Οἶκος enim haereditatem ſeu familiam, & univerſitatem bonorum plerumque ſignificat, ut apud Atticos Oratores ſingulis fere paginis occurrit. Οἰκία vero eſt domicilium: haec aperte diſtinguit Philoſtratus hoc in loco, ἀπολαβεῖν τε τὸν τοῦ πατρὸς οἶκον, ἀνέντα μὲν αὐτῷ μέρος τῆς οἰκίας. Statim lege καιρίας ἔχουσα, ex editione Veneta. pag. 520. neſcio an omnes intelligant reſponſum illud Scopeliani, quod refertur a Philoſtrato, qui auditori cuidam Polemonis Sophiſtae, ipſum ſuggillanti quaſi tympanum quatere videretur, reſpondit, *tympaniſo equidem*, *ſed Ajacis ſcuto*. Sciendum eſt veterum tympana ex pellibus fuiſſe, ut docet Phaedrus (*a*) de Gallis matris Idaeae. Scutum autem Ajacis erat ex pelle bovis teſte Homero. Sub finem (pag. 521.) καὶ τὸν πατέρα τῆς φρενὸς διαπνηθείς. fortaſſis διαλλάξας, ſcribendum eſt. Sed & locus prava interpunctione confuſus eſt. ſcribe itaque, καὶ ἡτοιμάσθη καὶ τὸν πατέρα διαλλάξας &c.

CAPUT V.

Philoſtratus correctus: Celer, Hadriano ab epiſtolis. Dorion Criticus. Pythia minora a Megarenſibus celebrata.

IN vita Dyoniſii (pag. 523.) ſcribe οἱ μὴ μνήμῃ συνεπολεμοῦντο. Alioqui ſenſus minime conſtat. Mox quod ait Philoſtratus (*b*) de Memoria, utrum mater an filia vocanda ſit, ſe cum poëtis nolle contendere, alludit ad poëticam fabulam, qua Mu-

(*a*) Lib. III. Fab. 20. v. 7. *Detracta pelle, ſibi fecerunt tympana.* Vide quae habet Voſſius ad Catullum pag. 161. & 162. de Ajacis ſcuto pellibus obducto Homerus Iliad. H. v. 222. ubi ἑπταβόειον vocat. Vide Graevium in Lection. Heſiod. cap. 19. pag. 95.

(*b*) Notabilis eſt locus hic Philoſtrati ubi de Memoria agit, & tradit de Dionyſio Sophiſta, rumorem fuiſſe ſparſum, quaſi ille diſcipulos ſuos memoriae facultatem edoceret, quod fieri poſſe negat, & memoriae artem nullo modo doceri aut comparari poſſe adſerit. Philoſtratum tamen hac in re refellit Voſſius de Natur. Rhetoric. cap. 10. & rationes ejus plane ficulneas eſſe dicit, multaque de iis, qui excel-
lent

Muſae Mnemoſynes filiae dicuntur. Paulo poſt ſcribe, μνήμῃ συνειληφότες. Celeris, qui ab Epiſtolis fuit Divi Hadriani, meminit etiam Ariſtides in Oratione IV. earum quae ſacrae dicuntur: & Priſcianus Vellei Celeris epiſtolam citat ad Hadrianum. Paulo poſt (pag. 525.) ſcribe Φαβωρῖνα (a) τ. κελτικὸν, non ut vulgo legitur, κλητικὸν. ſane in editione Veneta ſcribitur κεντικὸν, quod proxime ad veram ſcripturam accedit; emendationem porro noſtram ſequentia Philoſtrati verba confirmant. In vita Marci Sophiſtae, (pag. 528.) ſcribe, ὑπεκόσμησεν αὐτό. in fine, ὥσπερ ἄρτι τ̃ πινακίς, tabulam intelligit, qua proſcripti erant ab Athenienſibus Megarenſes circa Periclis tempora, ob quod decretum ſemper poſthac infenſi Athenienſibus fuere. Notabis interim minora Pythia a Megarenſibus actitata: neque enim Delphis ſolum celebrabantur, ſed & in aliis civitatibus, perinde ut Actia.

CAPUT VI.

Philoſtratus correctus. Lites domeſticae non ad peregrinos Judices deferendae. Hadriani liberalitas erga Smyrnaeos. Boſporani Reges.

IN vita Polemonis (pag. 530.) corruptum eſt gentis vocabulum, ex qua oriundus fuit Polemon. Scribe Λαοδίκεια ἡ ἐν (b) Καρίᾳ. Mox ſcribendum eſt, πολλοὶ μὲν

lenti memoria valuerunt, adnotat. Plinius autem Lib. VII. cap. 24. ubi de quorumdam admirabili memoria agit, adjicit; *Ars poſtremo ejus rei facta, & inventa eſt a Simonide Melico, conſummata Metrodoro Sceptio, ut nihil non iiſdem verbis redderetur auditum.* Quod Simonidem artis ejus inventorem tradat Plinius, confirmatur ex Marmore Oxonienſi, in quo Epochae Graecorum nobiliores habentur, Ep. 55. pag. 160. Ἀφ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους ὁ Κεῖος, ὁ τ̃ μνημονικὸν εὑρὼν, ἐδίδαξεν Ἀθήνησι διδάσκων, *a quo Simonides, Leoprepis filius, Ceius, qui memoriae artem invenit, eam docens Athenis vicit.* Sic a veteribus traditur Hippias Eleus artem quamdam memoriae excogitaſſe, de quo Valeſius ad Ammian. Marcellin. Lib. XVI. pag. 105. ubi & nonnulla de egregia Simonidis memoria adnotat, & marmoris illius antiqui locum etiam profert. Quin & fuerunt poſterioribus temporibus multi, qui artem quamdam memoriae jactaverunt, qua alios hoc naturae dono deſtitutos breviſſimo tempore reddebant promtos ad tenenda ea, ad quae antea fuerant infirmiores, eoſque memoria adeo capaci inſtruebant, ut illius auxilio multa incredibilia & ſtupenda efficerent. Inluſtre hujus artis exemplum eſt in juvene quodam Corſico, de quo refert Muretus Lib. III. Variar. Lect. cap. I. eum triginta ſex millia nominum, Latina, Graeca, barbara, ſignificantia, & nihil ſignificantia eodem ordine, quo dictata erant, & inverſo, aut quo quisque volebat modo recitare potuiſſe, eumdemque artem illam intra breve temporis ſpatium docuiſſe Franciſcum Molinum, patricium Venetum, adoleſcentem in Mureti contubernio agentem; quod omnem ſuperare videretur fidem, niſi oculatus teſtis ipſe adfuiſſet Muretus, tum quae de Molino addit, confirmarentur a P. Manutio Lib. III. Epiſt. 13. unde fides huic hiſtoriae conſtat. Vide & Abramium ad Cicer. Orat pro Dejotar. cap 15. pag. 303. & Borremanſium in Variis Lection. cap. 3. Ita & de hac arte Libros II. ſcripſiſſe Lamb. Thom. Schenckelium Silvaducenſem, eamque annos amplius quadraginta in Belgio, Germania, Bohemia, Gallia, & alibi locorum docuiſſe tradit Valer. Andreas in Biblioth. Belg. pag. 616.

(a) Sic etiam ex MSS. & Edd. antiquis correxit Olearius. & ita mox in cap. VIII. in vita Polemonis Μυιάτου τ̃ Κελτικοῦ, ubi ſimili errore in vulgatis peccabatur, emendat Valeſius, quem etiam vide Lib. I. de Art. Critic. cap 2.

(b) Sic quoque poſt Holſtenium alioſque reſtituit recte Olearius, cum antea in editis eſſet Καρίας.

μὴ πόλεως. pag. 532. non intellexit interpres quid ſibi vellent haec verba, τὰς δίκας, τὰς πρὸς ἀλλήλους οὐκ ἄλλοσε πῇ ἐκφοιτᾷν. id eſt, *perſuaſit Smyrnaeis Polemon, ut lites, quas inter ſe habebant, non ad peregrinos Judices deferrent, ſed domi eas dijudicarent.* Graviter ferebant ſapientiſſimi quique Graecorum, quod Graeci non contenti judicio ſuorum civium, ad peregrinos Judices confugerent. Idque exprobrat Dio Chryſoſt. in Orat. XLVIII. pag. 534. ubi eos qui id facerent, eleganter comparat iis, qui in deſperatis morbis extraneos Medicos accerſunt. Contra eumdem hunc morem invehitur Plutarchus in Libro περὶ φιλοσοφίας, initio, ubi ξενικὰ δικαστήρια haec appellat, perinde ut Pauſanias in Achaïcis. Et hoc quidem in pecuniariis cauſis a Graecis fieri nolebat Polemo: Criminales autem cauſas extra patriam deportari, tantum aberat, ut moleſte ferret, quin potius ultro id exoptandum eſſe ajebat: quippe quae armatum gladio Judicem requirant. Romani enim cognitionem cauſarum criminalium ſibi integram reſervabant: Civiles autem cauſas peregrinis Judicibus, id eſt Graecis, permittebant interdum. Sic Cicero, cum eſſet Proconſul in Cilicia, & longe ante illum Q. Mucius Scaevola, cum eſſet Proconſul in Aſia, propoſito publice edicto, permiſit ut Graeci inter ſe diſceptarent ſuis legibus, ut ſcribit Cicero in Lib. VI. Ep. 1. ad Atticum. Ubi etiam addit vehementer exultaſſe Graecos, quod peregrinis Judicibus uterentur, id eſt Graecis. Nam peregrini opponuntur civibus Romanis. Alio ſenſu peregrinos Judices poſui in principio hujus capitis, pro extraneis ſcilicet.

Veniamus nunc ad Cap. III. (pag. 533.) in qua primum emendo ὅτι προςτατεύων εἰς δίκας. Paulo poſt lacuna, quae in editione Veneta occurrit, commode ſuppleri poteſt, ſi e ſuperiore linea duo vocabula detraxeris, ut hic ſuo loco reponantur. Scribe igitur. αἰτιωμένης δ' αὐτὸν τῆς Σμύρνης, πάντα χρήματα ἐς τὸ αὐτῷ ἡδὺ καταθέμενον. id eſt, *cum accuſarent illum Smyrnaei, quod publicam pecuniam pro libidine atque arbitratu ſuo impendiſſet.* Poſſet etiam legi, ἐς τὸ αὐτοῦ ἴδιον. id eſt, *in privatos uſus convertiſſet.*

In epiſtola Imperatoris Hadriani ad Smyrnaeos in gratiam Polemonis, locus eſt valde corruptus. Scribendum eſt, Ἀντώνιος Πολέμων τῶν ἐπιδοθέντων ὑμῖν ὑπ' ἐμοῦ χρημάτων &c. ſic enim fere habet editio Veneta, niſi quod (*a*) Ἀντώνιος emendavi ex vetuſta inſcriptione, quae edita eſt a Seldeno inter marmora Arundeliana pag. 87. Summam autem pecuniae, quam Hadrianus Smyrnaeis donaverat, Philoſtratus quidem χιλίας μυριάδας fuiſſe dicit: Vetus autem inſcriptio, quam modo citavi, centum quinquaginta duntaxat μυριάδας ponit, quod verius puto. Quae proxime ſequuntur, ταῦτα δὲ εἰ καὶ &c. ſic vertenda ſunt: *quod ſi quis id veniam eſſe dixerit & indulgentiam, fatemur id quidem. Sed hujuſmodi veniam in pecuniariis cauſis nemo unquam obtinuerit, niſi in caeteris excellenti virtute praeditus ſit.*

Cap. IV. obſcurum eſt, quem intelligat Philoſtratus, cum ait, ἠνάγκασε τὸν βασιλέα. Non enim Imperatorem Romanum intelligit, ſed Regem Boſpori, qui luſtrandae Aſiae cauſa, Smyrnam venerat. Erant tunc temporis Reges Boſpori ſocii at-

(*a*) Sic etiam praeeunte Rubenio correxit Olearius, emendationemque veriſſimam eadem Inſcriptione vetuſta confirmavit.

atque amici populi Rom. ut docet Plinius in Lib. X. (Epiſt 13. & 15.) Mox lege ἐπάγοντα μισθῷ &c.

CAPUT VII.

Philoſtratus emendatus.

SUpra dixerat Philoſtratus Polemonem ſolitum eſſe, tamquam ex ſuperiore loco populum & δυνατὰς compellare, Deos vero tamquam ex aequo alloqui. Nunc exemplum affert, qualiter Deos allocutus ſit Polemon. Qui cum Pergamum veniſſet, ſomniumque captaſſet in templo Aeſculapii (arthritide autem laborabat) reſponſum accepit, ut frigida abſtineret. Cui ſtatim reſpondit, optime id quidem, Aeſculapi, ſi vaccam curares. Buculis enim calida dari ſolet in potum cum furfure, ut lac concilietur. lege itaque, (pag. 535.) βέλτιστα εἶπεν, ἄγε βοῦν ἰθεραπεύεις·

Cap. VI. (pag. 536.) mendum eſt in his verbis, ἐς τὴν ἐξουσίαν τ̃ ἀνδρός. lege ξυνουσίαν. paulo poſt Cap. VII. (pag. 537.) legitur, τ̃ πρὸς τὸν Βάρβαρον ἐπιστολῶν. fortaſſe ſcribendum eſt, πρὸς τὸν Βᾶρον: infra tamen Barbarus etiam dicitur Conſul. Sequenti pagina ſcribe Μινάτιον τὸν χεστικὸν, quod confirmatur infra vita Herodis: Eumdem errorem jam ſupra notavimus. Gravius mendum eſt mox. (pag. 539.) cum in Olympia Herodi univerſa Graecia acclamaſſet: *alter eſt Demoſthenes*: *Vellem*, inquit, *alter eſſe Phryx.* Sic enim Polemonem appellabat. Scribe igitur, ἤδη γὰρ (ἔφη) ὡς ὁ φρύξ. vel potius εἴθε γοῦν. Quod ſi quis vulgatam lectionem tueri velit, non valde repugnabo. Cap. IV. (pag. 540.) ſcribe, ἀκροάσεως προσίγεσθαι in futuro, quod mirum eſt interpretem non vidiſſe.

Eodem capite non intellexit interpres quid eſſet ἐκμανθάνειν. Quod eſt idem ac memoriter dicere. Solebant autem qui eloquentiae operam navabant, locos laudabiles veterum Scriptorum memoriae mandare, eoſque ſubinde recitare, ut docet Dio in Orat. XVIII. quod moleſtiſſimum eſſe aſſentior equidem Polemoni.

CAPUT VIII.

Philoſtratus emendatus, & verſio ejus correcta. Ἀντιλογισμοὶ quid? Gloſſae emendatae. Braduas conſul. Baſſaeus Rufus. Praefecti adſidebant Principibus cauſſas judicantibus.

LIbro ſecundo in vita Herodis cap. I. (pag. 547.) ubi legitur, τὸν μὲν ἀσύμβολον πλοῦτον, ſcribendum eſt, ἀσύμβολον. id eſt, *a commercio remotum.* Cap. IV. (pag. 549.) ſcribe τῶν κέντρον ἠρεμῶν. Quae ſequuntur de Athenienſibus, quibus Atticus centum drachmas viritim legaverat, interpres minime intellexit. Sic igitur

tur vertendus erat integer locus. *Cum lectae eſſent*, inquit, *teſtamenti tabulae, inter Athenienſes & Herodem convenit, ut quinque minas ſingulis Athenienſibus praeſenti pecunia numeraret Herodes, eaque ratione liberaretur perpetuâ in annos ſingulos praeſtatione. Sed cum ad menſas argentariorum veniſſent Athenienſes, pecuniam, prout conventum fuerat, accepturi, atque ibi contractus ipſis legerentur patrum atque avorum, qui Herodis parentibus pecunias debebant; cum legatum debitis compenſare cogerentur, aliique modicam pecuniam, alii nihil prorſus acciperent, alii retinerentur in foro, donec debitum exſolviſſent, graviter haec tulerunt Athenienſes, quaſi legato fraudarentur. Haec cauſa fuit Athenienſium odii in Herodem, quod quidem nullis poſthac beneficiis penſare potuit.* Ἀντιλογισμοὶ ſunt compenſationes, quemadmodum interpretatus ſum. ſic in veteribus Gloſſis exponitur, *Compenſatio*, ἀνθυπολογισμὸς, ἀντιλογισμός. ſic enim legendum eſt. Capite V. ſcribe meo periculo, καὶ ἐλειτούργησεν Ἀθηναίοις, τήν τε ἐπώνυμον. Fuit ergo Athenis Archon Herodes; niſi forte τὴν ἐπώνυμον, feſtum intelligas Panathenaeorum. Eodem capite, ubi deſcribit pompam Panathenaeorum, quae ab Herode celebrata ſunt, mendum eſt in his verbis, ἡδίω γραφῆς σὺν οὐρίῳ τῷ κόλπῳ. Quod ſanare difficile eſt abſque libris. Paulo poſt lege, ἀποσπῶντα cum interprete.

Eodem capite de operibus, quae Corinthi aedificavit Herodes, ait Philoſtratus, καὶ τὰ τῶν ἄλλων τὸ ἱερὸν ἐνέπλησεν. Scribe τῶν ἄλλων, ὧν τὸ ἱερὸν ἐνέπλησεν. Mox ſcribendum puto, περὶ μηλιέα κόλπον Cap. VII. ſcribe, οἶμαι καὶ Ἀγαθίωνα ἐπονομάζουσι. Cap. VIII. ſcribe Βράδυας, quod etiam notatum memini a Salmaſio ad (*a*) inſcriptionem Herodis & Regillae. paulo poſt lego, ὅτ' ἂν δεύτερον πλήρωσιν τῆς ὑπάτου ἀρχῆς ἐπ' αὐτῇ ἀναβάλλεσθαι, μὴ καθαρῶς ἔχοντα τῆς αἰτίας. id eſt, *nec ſecundum conſulatum diſtuliſſet illius cauſa.* Cap. XI. cauſam odii & ſimultatum inter Herodem ac Quinctilios fratres refert Philoſtratus: ὡς δὲ ἔνιοι τὰ πταισθέντα περὶ αὐτῶν Ἡρώδῃ, περὶ Μάρκον· Scribe meo periculo, τὰ παισθέντα. id eſt, *alii cauſam odii fuiſſe dicunt, jocum, quo in eos jocatus fuerat Herodes, apud Divum Marcum.* Paulo poſt obſcurum eſt quid ſibi voluerit Philoſtratus his verbis, ἦγεν ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν. Ego a Philoſtrato dictum puto, πρὸς τὸν ἡγεμόνα, ac proconſulare tribunal intelligi. Nam Graeci fere ἡγεμόνας vocabant Magiſtratus Romanos, ut ad (*b*) Dionem Chryſoſtomum notavi.

Paulo poſt ſequitur, ὃν γὰρ ὑπώπτευσε Λύκιον κοινὸν αὐτῷ τῆς ἀρχῆς γενόμενον. Scribe κοινωνόν. Fortaſſe etiam legendum eſt, καὶ γὰρ ὑπώπτευσε, niſi ſubaudire malis, καιρὸν, hoc modo, ὃν γὰρ καιρὸν ὑπωπτ. &c. quod tamen mihi durius videtur. Poſſit etiam legi, ὧν γὰρ ὑπώπτευσε. Simultates inter Verum & Marcum ſaltem rumore tenus fuiſſe ſcribit Capitolinus in Vero. Totum autem hunc locum ita verto: *Nam quo tempore ſuſpectum habebat Marcus Lucium Verum conſortem imperii, objiciebat etiam Herodi, quod illi faveret.* Mox Βασσαίῳ δὲ τῷ περιεζωσμένῳ τὸ ξίφος. Baſſaeum intelligit Praefectum praetorio. Nam inſigne praefecturae praetorii erat pugio, ut teſtatur Aure-

(*a*) Apud Crenium in Muſeo Philolog. & Hiſtoric. Tom. II. pag. 20. & ſic quoque emendaſſe Meurſium in Lectionibus Atticis notavit Olearius, qui de Bradua hoc agit, oſtenditque duos ejus nominis fuiſſe conſules qui in monumentis antiquis ſaepe memorantur, ut patet ex Inſcriptionibus illis, quas protulit Meurſius. Vide & Almeloovenii Faſtos Conſulares pag. 44.

(*b*) Vide Lib. II. cap. 13.

relius Victor in Trajano. Hunc *Rufum Baſſaeum* vocat Dio in Lib. LXXI. ubi multa de illo commemorat. In veteri inſcriptione apud Gruterum, *Baſſaeus Ruffus* vocatur, ejusque in praefectura collega Macrinus Vindex. Huic Romae poſita eſt ſtatua cum hac inſcriptione, BASSAEO. M. F. STEL. RVFO. PR. PR. &c. apud Gruterum (*a*) pag. 375. ins. 1. Porro Praefecti praetorio ſolebant aſſidere Principibus, cum cauſas in conſiſtorio judicabant, ut notavi ad Ammianum Marcellinum, quod etiam confirmat hic Philoſtrati locus. Paulo ante verba haec Herodis ad Marcum refert Philoſtratus, ταῦτά μοι ἡ Λουκίου ξενία. *haec mihi attulit hoſpitium Lucii.* Lucius Verus cum ad Parthicum bellum proficiſceretur, Athenas luſtraverat, teſte Capitolino. Ibi tunc illum apud Herodem divertiſſe credibile eſt. Cap. XII. corrigendus eſt error Typographi hoc modo, τὸν πρὸ τοῦ χρόνου θαμὰ οὕτω γράφων, ut legitur in editione Veneta.

CAPUT IX.

Philoſtratus correctus & expoſitus. Salarium Rhetorum & Philoſophorum. Artemidori aetas. Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον *proverbium in malam partem.*

IN vita Theodoti ait Philoſtratus, hunc primum fuiſſe Athenis Magiſtrum Rhetoricae, qui decem millia drachmarum e fiſco acceperit pro ſalario. Sic enim interpretanda ſunt haec Philoſtrati verba, προέστη δὲ καὶ τῆς Ἀθηναίων νεότητος πρῶτος, ἐπὶ ταῖς ἐκ βασιλέως μυρίαις. Antea ſiquidem erant Athenis Magiſtri Rhetorices publice conſtituti, jam inde a Lolliano, ut Philoſtratus prodidit in Lib. I. ſed non tantum accipiebant ſalarium. Primus autem Divus Marcus hoc (*b*) ſalarium conſtituit Profeſſoribus Eloquentiae: nec minus conſtituiſſe videtur Magiſtris Philoſophiae, Platonicis ſcilicet, Peripateticis, Stoicis & Epicureis, quorum omnium Judicem eſſe voluit Herodem. De Ariſtocle ſcribit Phrynichus Arabs in Lib. IV. eum in Senatorium ordinem allectum eſſe a Divo Marco, ut refert Photius in Bibliotheca Cap. 158. citatur crebro ab Euſebio in Libris de Praeparatione. Caeterum in Philoſtrato ſcribe, ἐπιλαμβάνων ὁ Ἡρώδης &c.

In Alexandro Sophiſta Cap. I. longos eum digitos habuiſſe dicit, καὶ τῇ τοῦ λόγου ἠθίᾳ ἐπιτρέποντες. Scribendum puto, ἐπιπρέποντες. Cap. III. lege ἐπικόπτων αὐτὸν ὁ Ἡρώδης. id eſt, *interrumpens.* uſus eſt hoc verbo Philoſtratus ſupra, ut memini. Sequenti pagina refert Philoſtratus argumentum declamationis Herodis, ſed corrup-

(*a*) Vide Guther. de Offic. Dom. Aug. Lib. II. pag. 342. Hic Baſſaeus Rufus cum Collega Macrino Vindice occurrit in Inſcriptione antiqua apud eumdem Gruter. pag. DXIII. ins. 1. ſed qui eam inemendatam & ſexdecim quidem lineis mutilam dedit. Integra autem habetur apud Donium in Inſcript. Antiq. Claſſ. II. Inſcr. 65.

(*b*) Plura egregia & erudita de Grammaticorum, Rhetorum, ac Philoſophorum ſalariis, & D. Pii conſtitutione notavit Sam. Petitus Lib. IV. Miſcellaneor. cap. 5. & Caſaub. ad Sueton. Veſpaſian. cap. 17. in fine.

ta ſunt verba, & meliorum codicum opem deſiderant. In vita Philagri Cap. I. καθάπερ τοῦτο ἀφιγμένος. ſupple ἕνεκα. Paulo ante corrupta ſunt haec verba, εἰ τὴν ἑαυτοῦ χολήν. Forte ſcribendum eſt δόξαν. Paulo poſt locus eſt corruptiſſimus, ἐκ φίλων τῆς αὐτὸς ῥήματος. Scribe omnino, ἐκφύλου. id eſt, *cum autem peregrinum & Barbarum vocabulum ei utpote irato excidiſſet, avide illud arripiens Amphicles, qui inter auditores Herodis primas tenebat: apud quem, inquit, Oratorem hoc verbum dicitur? apud Philagrum reſpondit ille. Idque poſtea in proverbium tranſiit.*

Cap. II. ἐσβέσθη τὸ φθέγμα. Neſcio an ad hunc caſum alludat Artemidorus in Lib. IV. cap. 2. cum ait, Φυλάγριος ὁ ῥήτωρ ὄναρ τὸν ῥήτορα νοσοῦντα ἐθεάσατο, καὶ ἐπὶ πολὺ περὶ προαιρέσεως τὴν αὐτοῦ ἐσίγησεν. Ex quibus patet Artemidorum circa haec tempora, id eſt principatu Divi Marci vixiſſe. In Ariſtidis vita Cap. II. ſcribe, καὶ οὐ φημὶ ταῦτα. Ex mox (pag. 583.) lege ex editione Veneta, ἀνοικήσαντος ἂν ἀπολωλυῖαν πόλιν. Cap. III. inter ea, quae in Ariſtide, ait Philoſtratus, fuiſſe proverbium quoddam vile & abjectum, quo uſus eſt parum opportune: cum enim vellet dicere Alexandrum Magnum paternam indolem & induſtriam aemulatum fuiſſe, τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον dixit. Plebejum (*a*) proverbium eſt apud Graecos, quod fere in malam partem ſumi ſolet. Utitur Strabo in Lib. X. de Sabaſio loquens, καὶ ὁ Σαβάζιος τῆς τῶν Φρυγιακῶν ἐστὶ καὶ τρόπον τινὰ τῆς μητρὸς τὸ παιδίον. Sic apud Ariſtophanem in Avibus, πέρδιξ φυέσθω τοῦ πατρὸς νεόττιον. Utitur etiam Tertullianus in Lib. II. ad Nationes cap. 13. & Baſilius in Epiſt. 146. ad Libanium. Varro quoque hoc titulo Satyram ſcripſerat. Sequenti pagina ſcribe, εἴπου καὶ παρέπταισεν. id eſt, *ſicubi lapſus eſt.*

CAPUT X.

Philoſtrati verſio correcta. Idem plus ſemel emendatus. Σπουδαὶ. Ἀγῶνες *Sophiſtarum. Magiſtratus* ἐπὶ τῶν ὅπλων. *Scenici artifices.*

IN vita Adriani Sophiſtae narrat Philoſtratus, cujuſmodi fuerit Herodis Attici clepſydrium. Sed interpres ſenſum minime eſt aſſecutus. Sic igitur vertendus eſt locus. *Decem ex Herodis auditoribus, qui virtute & ſcientia caeteris praeſtabant, poſt publicam lectionem, quae omnibus in commune auditoribus praebebatur, admittebantur ad clepſydram. Ea certum aquae modum fundebat ad centum verſus, quos Herodes continue pronunciabat.* Paulo poſt ſcribe, καὶ ἱεὶς τῇ γλώττῃ· Mox lege, διέχεον αὐτόν. id eſt, *eum ingenti laetitia perfuderunt.* Cap. II. ſcribe καθιὼν τῆς ἐπὶ τὰς σπουδάς: non, ut editum eſt, σπονδάς: quae emendatio confirmatur ſequentibus Philoſtrati verbis. Σπουδὰς vocat munus ſeu officium docendi. Eodem ſenſu ſumitur infra in Damiano. Cap. IV. de Marco loquens qui Athenas venit, ut myſteria acciperet, ἐν μέρει

τῆς

(*a*) Vide Eraſm. Adag pag. 641. & Fungeri Proverb. Farrag pag 210.

ἦ ὁ Μάρκος: deeſt, ἐποθεῖτο. id eſt, *Marcus autem Imperator Athenas videre cupiebat, tum ob multa alia, tum inter caetera, ut Adriani ſapientiam cognoſceret.* Ex epiſtola Divi Marci ad Herodem, quam ſupra Philoſtratus retulit, diſcere poſſumus, quanto deſiderio flagaverit Marcus Athenas veniendi, ut myſteriis initiaretur. Paulo poſt (p. 588.) ait Severum conſularem virum obtrectaſſe ſubinde Adriani famae, eique objeciſſe, quod in Sophiſticis argumentis debaccharetur, eo quod non ſatis virium haberet ad judiciarii & deliberativi generis actiones: Lego igitur, διὰ τὸ μὴ ἐῤῥῶσθαι πρὸς τοὺς ἀγῶνας. Quid ſint (*a*) ἀγῶνες apud Sophiſtas, peculiari capite docui ad Orationem primam Juliani. Suetonius de claris Rhetoribus *controverſias proponere* dicit. Capite V. ſcribe ὁπότε ἂν σπουδάσειαν, in plurali: mox ſcribe, ἐνταφίῳ τῇ τιμῇ χρησάμενος. Intelligit codicillos, quibus Commodus Imperator Adrianum deſignaverat ab epiſtolis Graecis, excuſans, quod Servius hoc illi munus dediſſet. Ad hoc munus fere eligebantur Sophiſtae, ut ſupra docuit Philoſtratus in Alexandro.

In vita Chreſti ſcribendum puto, Ἀκύλας ἐκ τῆς ἑῴας Γαλατίας. Hujus Aquilae meminit Suidas, & Rhetores Graeci. Paulo poſt corrupta ſunt haec verba, καὶ ὁ ἐπὶ βωμῷ Σῶσπις: quae absque praeſidio ſcriptorum codicum emendare difficile eſt. Soſpes quidem nomen proprium eſt, ſed nomen urbis, ex qua oriundus fuit, obſcurum. Hujus Soſpitis meminit Plutarchus in Lib. VIII. Symp. Cap. 41. ubi eum bis praeſediſſe dicit Iſthmiis. Itaque aram Iſthmiorum hic intelligo, cui aſſidebat Soſpes agonotheta. Ejusdem meminit in Lib. IX. Cap. 5. Paulo poſt lego cum interprete, τὰς ξυμβολὰς τοῦ μισθοῦ. Quod ſequitur, ὁ μηδὲ τὰ ἑαυτοῦ * ...... recte aſteriſco ſignatur. Legendum puto γιγνώσκω ἔφη. id eſt, *qui ſcilicet ne ſuum quidem fatum novit.* Referuntur enim haec verba ad hariolum illum Aegyptium.

In Polluce Cap. II. ſcribe uno ductu, καὶ ἄριστα εἰρῆσθαι τήνδε ὑπόθεσιν. In Euodiano non intellexit interpres, στεφανουμένους τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων. Intelligit Philoſtratus Magiſtratum, qui dicebatur στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὅπλων. Erat hic Magiſtratus etiam Athenis, ut ſupra docuit Philoſtratus in Lolliano, & Pollux in Lib. VIII. & Athenaeus, aliique. Hujus Magiſtratus mentio fit in Inſcriptione quinta inter Marmora Arundelliana. Paulo poſt legendum puto καὶ χαλεποὶ ἀρχθῆναι. qui ſint οἱ περὶ Διόνυσον (*b*) τεχνῖται, docet Agellius in Lib. XX. (cap. 4.) Hos Latini *ſcenicos artifices*

(*a*) Erant haec exercitia, quibus Sophiſtae inter ſe honoris & aemulationis cauſſa certabant. Ita ſuperius Philoſtratus in cap 2. Theodotum ἀγωνιστὴν τῶν πολιτικῶν λόγων dictum refert, quomodo paſſim Sophiſtae dicuntur apud eum ἀγωνίζεσθαι. Vide iſtic Olearium. Saepe autem ἀγῶνες & ἀγωνίσματα occurrunt de certaminibus Sophiſtarum, Oratorum, Poetarum & ſimilium, quando inter ſe de palma contendebant, aut ſcripta eorum a Judicibus conferebantur. Vid. D. Heins. in Prolegomen. ad Ariſtarch. Sacr. pag. 643. & Caſaub.. ad Sueton. Calig. cap. 53. Graecorum autem ἀγῶνες vel ἀγωνίσματα Latini *commiſſiones* vocant. Vid. Salmas. ad Hiſt. Aug. pag. 160. Torrent. ad Sueton. Aug. cap. 82. & Buchner. ad Plin. Lib. VII. Epiſt. 24.

(*b*) De his plura Olearius ad Lib. V. de Vita Apoll. Tyan. cap. 7. num 20. & Ouzelius ad Gellii locum, ſed quem ſua Wouwerii Polymathiae ſublegiſſe notavit Gronovius. de Thymelicis Iſidorus Lib XVIII. Orig. cap. 47. *Thymelici erant muſici ſcenici, qui in organis & lyris & citharis praecinebant. Et Thymelici dicti, quod olim in orciſtra* (leg. *orcheſtra*) *ſtantes cantabant ſuper pulpitum, quod thymele vocabatur.* male apud eum *themelici* & *themele* vulgo ſcribitur. Sic in leg. 4. ff. de his qui notant. infam. *Thymelici & Xyſti-*

ſices vocabant, ut legitur in veteri Inſcriptione apud Gruterum pag. 331. Eorum corpus quoddam ſeu collegium videtur fuiſſe Romae, cui praepoſitus fuit Euodianus. In codice Theodoſiano *Thymelici* dicuntur, & praepoſiti Thymelae. τεχνῖται abſolute dicuntur in veteri Inſcriptione apud Gruterum pag. 330.

CAPUT XI.

Philoſtratus emendatus. Panionium feſtum apud Jonas.

IN vita Apollonii Athenienſis Sophiſtae, non aſſecutus eſt interpres ſenſum horum verborum, καὶ τὰς ἐξ ἀνακτόρων φωνάς. Intelligit autem Philoſtratus officium Hierophantae, qui myſtica quaedam verba pronunciabat, cum myſteria traderet. Porro in Hierophanta requiſitam eſſe μεγαλοφωνίαν docet hic Philoſtratus, non ſecus ac in praecone myſteriorum. De his praeconibus auctor noſter loquitur infra ad finem operis. Sequitur paulo poſt Cap. II. ἡνίκα Λεπτίνης ἦν αὐτοκράτωρ ἐκεῖ. expungenda vox eſt Λεπτίνης, quae ſenſum turbat, niſi mavis ita legere: βαδιζομένης Λιβύης ἐς Λέπτιν, ἡνίκα ἦν &c. Erat Severus Imperator oriundus Lepti, ut notum eſt. In vita Procli ſcribe, ἐκπεσεῖν ἢ αὐτίκα τῆς οἰκίας διακηρυττομένης ἐπ' ἀγορᾶς: id eſt, *ſed illico exturbandum eſſe domo ſua, quae tunc in foro publice per praeconem venundabatur.* Interpres haec ultima verba omiſit. In Hermocrate corrupta ſunt haec verba, καὶ ἔγνω, καὶ ἔταξεν. forte καὶ ἔτυξεν αὐτὰς &c. ſic enim continue ſcribendum eſt absque ulla diſtinctione. Cap. ult. inter Hermocratis Orationes, unam ait fuiſſe, quam habuit Phocaeae. καί τις λόγος ὁ μακρὸς, ὃν ἐν Φωκαίᾳ διῆλθε τῷ Πανίῳ κρατῆρι. ſcribe τῷ Πανιωνίῳ κρατῆρι. Feſtum fuit apud Jonas, ad quod omnes Jones conveniebant, cujus crebra mentio fit apud antiquos, Herodotum, Strabonem, Vitruvium & caeteros; Ubi cum publice ſacrificaſſent civitates Joniae, ex eodem poculo omnes libabant. Sic apud Hyperidem in Oratione Deliaca: καὶ τὸ κρατῆρα τὸ Πανιώνιον κοινῇ οἱ Ἕλληνες κιρνῶσιν: ut refert Athenaeus in Lib. X. Vide omnino Philoſtratum in vita Apollonii Lib. IV. Cap. 2. ubi de hoc feſto plura commemorat.

C A-

Xyſtici conjunguntur; quomodo apud Sueton. in Galb. cap. 15. *ſi quid ſcenici aut xyſtici donatum olim vendidiſſent.* Gloſſae veteres: Θυμελικὸς, *Scenicus*, *hiſtrio.* ita in Inſcriptione Gruteriana pag. cccxxxiii. inſ. 6. quam profert etiam Torrentius ad Sueton. Aug. cap. 45. APOLLODORVS XYSTICVS PARIDI THYMELICO BENEMERENTI FECIT. Vide plura de his apud Scip. Gentilem ad Apulei. Apolog. pag. 88. praeſertim vero Budaeum in Adnotat. ad Pandect. pag. 342. & ſeqq. ubi egregie & diligenter varia ac multiplicia Scenicorum genera recenſet.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Philoſtratus aliquoties emendatus.

IN Heraclide Lycio ſcribit Philoſtratus, ejus majores fuiſſe ſacerdotes Lyciae, ſeu Lyciarchas: τὴν δὲ ἀλειτουργησίαν οὖσαν οὐ μεγάλου ἔθνους, Ῥωμαῖοι μεγάλου ἀξιοῦσι. Sic omnino ſcribendus eſt hic locus. id eſt, *hanc autem immunitatem*, (Lyciarchiae ſcilicet) *tametſi gentis haud magnae, magno tamen Romani aeſtimant.* Cap. III. ſcribe, ἧττον δὲ εὐροήσει. id eſt, *minus prompte verba ei profluant.* Utitur hoc verbo Philoſtratus non ſemel.

In Hippodromo Sophiſta lege Cap. III. λόγου ἀκροάσεως, quemadmodum legit interpres. pag. 618. ſcribe, βελτίων δὲ κἀκεῖνα. In fine paginae, ἐπειδὴ αὐτοὶ γενώμεθα. verte, *cum ſoli erimus*: Quae ſequuntur (p. 619.) majorem habent difficultatem: διακωδωνίσας δὲ ὁ Μεγιστίας τὰ μειράκια. Quae ſic interpretari ſoleo: *tum Megiſtias, dimiſſis adoleſcentibus ſigno titinnabuli.* Mos fuiſſe videtur apud antiquos, ut ad ſignum titinnabuli ſcholaſticos vocarent ac dimitterent, ut hodie fit. In Quirino Nicomedienſi, non intellexit interpres quid ſibi vellent haec verba, (p. 621.) περὶ μὲν τὰ θετικὰ τῶν χωρίων. Intelligit autem Philoſtratus locos communes, qui ad theſin ſpectant.

CAPUT XIII.

Philoſtratus correctus. Heordaeorum privilegium. ἐφέσιμος δίκη *quae?* προεδρομή. Ἐστί τε καὶ εἴη, *formula adprecandi, ut Latinis,* Eſt tibi, ſitque. *Philoſtratus, ſcriptor de vitis Sophiſtarum, idem atque ille qui vitam Apollonii conſcripſit. Suidae & Eunapii in eo error.*

LOnge corruptiſſimus eſt locus in vita Philiſci Sophiſtae (pag. 622.) non procul ab initio. Qui cum Athenis eſſet Profeſſor Rhetoricae, & immunis a publicis functionibus foret ex legibus & conſtitutionibus Principum, tandem immunitatem amiſit hoc modo. Mater ipſius erat Heordaea, quae gens eſt Macedoniae. Caeterum Heordaei hoc privilegium habebant, ut omnes materno genere ex ipſis oriundi, obnoxii eſſent publicis functionibus. Magnum id privilegium erat Heordaeorum. Sic longe poſtea Julianus Imperator Antiochenſibus id conceſſit, ut quicumque materno genere Antiocheni eſſent, ad curiae munera vocarentur. Quod paucis admodum civitatibus conceſſum erat, ut tradit Zoſimus in Lib. III. Deeſt igitur in Philoſtrato verbum aliquod hoc modo: τὰς οἰκείας λειτουργίας αἰτήσων τὸ φιλίσκον, vel εἰσέπεμψεν. Paulo poſt punctum notandum eſt poſt vocem μητέρων. ſtatimque legendum, ἐφεσίμου τοίνυν τῆς δίκης γενομένης &c. qua quidem emendatione nihil certius. Ἐφέσιμος δίκη a Graecis dicitur cauſa, quae per appellationem defertur

ad alium judicem, teſte Polluce in Lib. VIII. Statim ſcribe, ὁ τοῦ φιλοσόφου παῖς Ἰουλίας. In eadem pagina circa medium, non intellexit interpres haec verba, ὡς περιδεδραμόντι. verte, *infenſus erat Philiſco, tamquam ab eo circumventus per ambitionem.* Id enim eſt περιδρομή, ut ad Ammianum notavi.

Ibidem paulo poſt ſcribendum puto, διεμῶν τοῦ ἐς αὐτὸν ὕδατος. id eſt, *effundens ex aqua, quae ipſi ad dicendum data erat.* Mox legere malim, ὑπήγαγεν αὐτὸν: id eſt, *adduxit.* Oblitus eram monere paullo ante, τὸν ἐπιτεταγμένον ταῖς δίκαις, eum eſſe, qui ab actis dicitur: id enim munus fuiſſe Hypomnematographi docet Lucianus, ut alibi notavi.

In Aeliano (pag. 625.) ſcribendum videtur, τὸν ἄρτι καθῃρημένον τύραννον: Helagabalum intelligit. In vita Heliodori Sophiſtae corrupta ſunt haec verba, καὶ τὸν ἐμαυτοῦ καιρὸν εὕρηκα, quae feliciter mihi videor reſtituiſſe hoc modo: καὶ τῶν ἐμαυτοῦ καιρῶν εὕρημα. Sane in editione Veneta legitur, εὕρημα; id eſt, *bis auditis Imperator ſurrexit e ſolio, & o Virum! cui adhuc ſimilem non vidi, decus & ornamentum meorum temporum! & bis ſimilia Heliodoro acclamare coepit, manu ſublata ſinum chlamydis movens.* Paulo poſt, προεστήσατο αὐτὸν τῆς μεγίστης τῆς κατὰ τὴν Ῥώμην συνηγορίας: id eſt, *advocatus fiſci conſtitutus eſt ab Imperatore.* Vide Philoſtratum ſupra in vita Quirini. Statim περιεστάχθη μέν τις αὐτῷ νῆσος. id eſt, *in inſulam deportatus eſt.*

In Aſpaſio ſub finem locus eſt aſteriſco notatus, καὶ περὶ Νικαγόρου τοῦ Ἀθηναίου, ὃς καὶ τοῦ Ἐλευσινίου ἱεροῦ κῆρυξ ἐστί τε καὶ εἰ. Scribe meo periculo, τοῦ Ἐλευσινίου ἱεροκῆρυξ ἐστί τε καὶ εἴη. id eſt, *qui Eleuſinii templi praeco nunc eſt, denique ut ſit precor.* Sic enim Graeci loqui ſolent eleganter, ut Eunapius in fine operis de vitis Sophiſtarum. Meliton apud Euſebium Lib. V. Hiſt. Eccl. pag. 109. & ita Ovidium quoque locutum eſſe, monuit me Claudius (*a*) Sarravius, Vir Clariſſimus & Doctiſſimus, cum ait (Lib. I. Triſt. El. 10. 1.)

Eſt mihi, ſitque precor, flavae tutela Minervae
Navis; & a picta caſſide nomen habet.

Et

(*a*) Vide Sarravii Epiſt. CXLVII. in fine. Locus autem Euſebii, quem hic adfert Valeſius, male in ſcripto exemplari notatus eſt Legitur enim in Lib. IV. cap. 26. pag. 190. Edit. Noviſſ. ubi ex Apologia Melitonis multa adfert Euſebius, ἔκτοτε γὰρ εἰς μέγα καὶ λαμπρὸν τὸ Ῥωμαίων ηὐξήθη κράτος. οὗ σὺ διάδοχος εὐκταῖος γεγονάς τε καὶ ἔσῃ μετὰ τοῦ παιδός. *Ex eo enim tempore maximis incrementis aucta eſt majeſtas imperii Romani, cujus tu exoptatus haeres factus es, & eris deinceps cum filio.* Ad Ovidii locum Ciofanus adpoſite protulit ſimillimum ex Martial. Lib. I. Epigr. 109.

Eſt tibi, ſitque precor, multos creſcatque per annos.

cui adde alium apud Eumdem Lib. IX. Epigr. 18.

Eſt mihi, ſitque precor longum te praeſide, Caeſar,
Rus minimum: parvi ſunt & in urbe Lares.

Ovidius VI. Faſt. 219.

Eſt mihi, ſitque precor noſtris diuturnior annis,
Filia, qua felix ſoſpite ſemper ero.

quomodo apud Eumdem Epiſt. I. Heroid. v. 111.

Eſt tibi, ſitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.

Ubi vide Venerandi Patrui mei notas. Simili locutione dixit Livius Lib. XXXIV. cap. 3. *procul abeſt, abſitque ſemper talis fortuna Reipublicae.*

Digitized by Google

Et apud T. Livium in Lib. XL. (cap. 11.) Perſeus in Oratione adverſus Demetrium fratrem: *unus ante me pater eſt, & ut diu ſit Deos rogo.* Pſellus in vita Conſtantini Ducae; θυγατέρα ἦ, ἡ τῆς ἀρετῆς ἐπώνυμος, μνηστεύεται θεῷ, καὶ νῦν ἐστι, καὶ ἔτι μέχρι πολλοῦ.

Et haec quidem ad libros Philoſtrati de vitis Sophiſtarum dicta ſufficiant: Caeterum, cum plures fuerunt Philoſtrati, cujusnam ſint hi duo libri, difficile eſt dicere. Eunapius quidem Philoſtrato Lemnio adſcribit, ſed refellitur ipſius Philoſtrati teſtimonio, qui in fine hujus operis diſerte teſtatur Philoſtratum (a) Lemnium amicum ſibi & familiarem fuiſſe. Suidas in eodem errore verſatur, atque Eunapius. Ego vero hunc Philoſtratum noſtrum, qui vitas Sophiſtarum conſcripſit, eumdem eſſe exiſtimo cum eo, qui vitam Apollonii Tyanei memoriae mandavit. Idque plane confirmare videtur locus, qui eſt in vita Alexandri Sophiſtae, ubi citantur libri de vita Apollonii Tyanei, ſuppreſſo auctoris nomine: qui ſi a Philoſtrato Lemnio ſcripti fuiſſent, nomen ejus ſine dubio addidiſſet. Hic porro quis & cujas fuerit, perinde obſcurum eſt. Euſebius quidem in Libro adverſus Hieroclem, Athenienſem illum facit. Photius autem in Bibliotheca, Tyrium cognominat: Suidas Lemnium. Ipſe certe in Cap. 3. Libri primi, ſe in comitatu Juliae Auguſtae (quae uxor fuit Severi) fuiſſe commemorat. Caeterum idem ſtilus in utroque opere, tam in vitis Sophiſtarum, quam in Apollonii vita, unum eumdemque auctorem utriusque ſatis declarat. Epiſtolae quidem, quae Philoſtrati nomine circumferuntur, Philoſtrati Lemnii haud dubie ſunt, ut teſtatur Philoſtratus in vitis Sophiſtarum ſub finem. Et prima omnium epiſtola, quae Aſpaſio inſcripta eſt, in qua de epiſtolari charactere agitur, Aſpaſium perſtringit Sophiſtam, qui cum ab epiſtolis eſſet Alexandri Severi, multa in eo genere peccabat, quemadmodum relatum eſt a Philoſtrato in Aſpaſii vita. Denique ipſemet in epiſtola ad Cleophontem & Gaium, Lemnium ſe eſſe profitetur. Heroica vero & Imagines ab uno eodemque Philoſtrato ſcriptae ſunt, ut docet Menander Rhetor in Cap. περὶ λαλιᾶς, ubi ejus ſtilum normam ait eſſe ſimplicis dictionis.

CAPUT XIV.

Dionyſius Halicarnaſſeus emendatus. Pſaon Plataeenſis.

Dionyſii Halicarnaſſei de arte dicendi libros aliquot habemus, perquam utiles ac neceſſarios, in quibus, meo quidem judicio, non minorem laudem eſt con-

(a) Adde etiam, quod in vita Aeliani Lib. II. de vit. Sophiſt. cap. 31. meminit Philoſtrati Lemnii, utpote a ſe diverſi, & contentionem ejus cum Aeliano Sophiſta refert. Sed pluribus hoc data opera in praefatione ſua adſeruit Olearius.

conſecutus, quam in hiſtoria rerum Romanarum. Ac maxime vellem, ut libri, quos ſcripſerat περὶ μιμήσεως, id eſt, *de imitatione*, ad nos integri perveniſſent. Itemque libri περὶ χαρακτήρων, quorum ſecundus laudatur a Scholiaſte Hermogenis pag. 412. ubi & fragmentum ex iis adſertur. Interim emendabimus locum quemdam corruptum in libro de collocatione verborum pag. 5. ubi nominans ſcriptores illos, qui ſine arte verba collocarent; Φύλαρχον λέγω, καὶ Δοῦριν, καὶ Πολύβιον, καὶ Σάωνα. Quis eſſet hic (*a*) Σάων, Sylburgius in indice merito dubitavit. Ego Ψάωνα ſcribendum eſſe ajo, ex Diodoro Siculo in Lib. XXI. Fuit autem Ψάων Plataeenſis, qui Dylli Athenienſis hiſtoriam continuavit Libris XXX. circa tempora Agathoclis, teſte Diodoro.

CAPUT XV.

Eunapius inluſtratus & emendatus. Hierophantas nomine adpellare non licebat. Sacra Mithriaca.

SEquentia capita hujus libri impendemus Eunapio Sardiano. Ejus enim liber ejusdem eſt argumenti cum libro Philoſtrati. In vita Maximi Philoſophi multa occurrunt, quae partim emendatione egent, partim uberiore explicatione. In primis illud, quod de Hierophanta Athenienſi dicit, nomen illius proferre nefas ſibi eſſe, propterea quod ſacris Eleuſiniis ab ipſo erat initiatus. De hoc more loquitur Lucianus in Lexiphane: ἐντυγχάνω δᾳδούχῳ τε καὶ ἱεροφάντῃ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀῤῥητοποιοῖς, Δεινίαν σύρουσιν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἔγκλημα ἐπάγοντας, ὅτι ὠνόμαζεν αὐτοὺς· καὶ ταῦτα εὖ εἰδὼς ὅτι ἐξ ὅπερ ὡσιώθησαν, ἀνώνυμοί τε εἰσὶ, καὶ οὐκέτι ὀνομαστοί. &c. ex quo loco effici videtur, non initiatis modo, ſed etiam prophanis quibusque Hierophantas & Daducos proprio nomine appellare minime licuiſſe. Hinc igitur eſt, quod Libanius in epiſtolis, quoties ad Hierophantam ſcribit, non alio eum appellat nomine, quam τῷ Ἱεροφάντῃ. Et Symmachus in Lib. V. Epiſt. 1. 2. & 3. Quod quidem honoris cauſa fiebat ab initiatis, perinde ut olim moris erat eos, qui in Magiſtratu eſſent, non alio quam Magiſtratus ſui nomine appellare, ac ſi qui proprio nomine appellaſſent, tamquam minuti Magiſtratus rei mulctabantur, ut docet Dionyſius Halicarnaſſeus Lib. X. pag. 644.

Pau-

(*a*) Similiter corrupta Dionyſii ſcriptura in errorem duxit maximum Virum G J. Voſſium, qui Lib. III. de Hiſt. Graec. pag 410. refert Saona hunc, Dionyſio memoratum, a Viris doctis exiſtimari eumdem, qui ab Athenaeo *Sarus* vocatur, quae ſuſpicio fuit Sylburgii in indice ad Dionyſium, ſed quam timide tamen proponit, dum ſcribit incertum id eſſe. Recte igitur Jonſius Lib. I. de Script. Hiſt. Philos. cap. 2. Voſſium cum honore verborum refellens, notavit *Saona* Dionyſio laudatum eſſe *Pſaona*, Hiſtoricum Plataeenſem, quomodo hic reſtituit Valeſius, tum pro truncato alterius Hiſtorici apud Athenaeum nomine ſcribendum eſſe *Perſaeum*, quod obſervavit etiam Caſaub. in ſuis Animadvers. ad Athen. Lib. IV. cap. 8.

Paulo poſt ſcribit Eunapius, Hierophantam illum palam praedixiſſe, poſt obitum ſuum Hierophantam futurum hominem, cui nefas eſſet in Hierophantae ſolio ſedere, utpote qui aliis Diis conſecratus eſſet, & juramentis arcanis obſtrictus, numquam ſe aliis ſacris praefuturum. Scribo itaque, (pag. 74. Ed. Commelin.) ᾧ μὴ θέμις ἱεροφαντικῶν ἅψασθαι θρόνων. Et mox, ἱερῶν μὴ προστήσεσθαι. Subdit Eunapius hunc hominem, qui Hierophantae, a quo ipſe erat initiatus, in ſacerdotio ſucceſſit, Theſpienſem fuiſſe, & Mithriacorum ſacrorum patrem. Sic enim legendum eſt, πατὴρ ὢν τῆς Μιθριακῆς τελετῆς. In ſacris Mithrae plurimi erant (a) gradus, quos initiati percurrere debebant. Eos omnes enumerat Hieronymus in Epiſtola ad Laetam, de inſtitutione filiae. Inter hos fuit *pater*, cujus etiam mentio fit in vetuſtis inſcriptionibus. Sacra quoque *patrica* vocabantur, quibus initiabatur pater, ut Coracica & Leontica, quibus Corax & Leo ſacrabantur.

CAPUT XVI.

Eunapius correctus. Artabri populi.

IN eadem vita Maximi Philoſophi, locus eſt inſigni mendo corruptus, qui ob eam cauſam a doctiſſimo Interpreie intelligi non potuit. Ubi enim Eunapius narrat quae & quanta mala paſſus ſit Maximus, Valentis Auguſti principatu, ſic ait (pag. 83.) μικρὰ γὰρ ἦν ἡ Περσῶν λεγομένη σκάφευσις: καὶ αἱ γυναικεῖαι τῶν Ἀρτάβρων ἀλισμοὶ πρὸς ἐπιφερομένας ὀδύνας τῷ σώματι. ſcribe meo periculo σκαλισμοί. id eſt, *nam ſcaphiſmus Perſarum, & muliebres Artabrorum ſarculationes, exiguum quid fuerunt, prae tormentis Maximo illatis.* Artabri populi fuerunt Luſitaniae, apud quos terram argento auroque mixtam eſſe ait Strabo in Libro III. delatam a fluviis, quam mulieres ſarculis effodiunt ac percolant. Eo alluſiſſe Eunapium pro certo habeo: porro ad Eunapii locum alludere videtur Tzetzes Chiliade X.

Εἶτ' ἂν ὑπέστη σκάφευσιν Περσῶν καὶ τῶν Ἀρτάβρων.

N CA-

(a) *In ſacris Mithrae plurimi erant gradus*] In his enim Dei Mithrae ſacris illi, qui ſe emancipare iis volebant, antequam initiarentur, varioa tormentorum & cruciatuum gradus ſubire debebant, ut ſe ſanctos & a perturbationibus inmunes probarent. De his gradibus docte agit Vir antiquitatis eruditae peritia inſignis, & Florentinae Academiae decus, Anton Franc Gorius in notis ad Donii Inſcript. Antiq. Claſſ. II. pag 66. nonnulla etiam huc facientia habet Salmaſius ad Hiſt. Aug. pag. 117. ubi multiplicia Mithriaca ſacra, ut Leontica, Coracica, & patrica recenſet, ac locum hunc Eunapii proferens refellit doctiſſimum ejus interpretem, Hadrianum nempe Junium, qui pag. 96. ſuae Editi perperam verterat, *parens & inſtitutor*, pro quo recte Salmaſius, *pater cum eſſet mithriacae religionis*, quomodo hic itidem Valeſius Ibidem etiam Salmaſius, promittens ſe totam Mithriacorum ſacrorum cerimoniam alibi latius multis nondnm obſervatis inluſtraturum, adfert Hieronymi locum ex Epiſtola ad Laetam, a Valeſio hic memoratum, eumque bene emendat; ſed & ab alia mendis illum liberat, & contra Eraſmum exponit Nicolaus Loenſis Lib. VII. Epiphyllid. cap. 4. Pluribus egregie haec Milhriaca ſacra inluſtrant Reineſius Epiſt. LXIX. ad Rupert. pag. 647. & ſeqq. Barthius ac Bernartius ad Statii Lib. I. Theb. v. ult. & erudite ex monumentis antiquis Celeberrimus Moutfaucon Tom. I. Diar. Italic. pag. 198. & ſeqq. tum peculiari de Mithra Diſſertatione Philippus a Turre, Vir doctiſſimus, Epiſcopus quondam Hadrienſis, ſed aliquot abhinc annis, ſcilicet an 1717. In urbe Rhodigina, quam vitae ſedem elegerat, fato nimis cito defunctus cum magno bonarum literarum detrimento, ut refert Johannes Oliva in eleganti Exercitat. in Marmor Iſiac. Romae effoſſ. pag 30 & Joh. Anton. Urſatus in Adnotation. Italic. ad Sertorii Urſati Marm. Erudit. pag. 165.

CAPUT XVII.

Eunapius explicatus. χρυσοῖς *de rebus pretioſis & egregiis. Zonaras correctus.*

ELegantiſſima locutio eſt in excerptis Eunapii, quam interpres Cantoclarus non intellexit. Loquens enim Eunapius de Gothorum excurſione in agrum Romanum, ſic ait: τοσαύτην δὲ οὖσαν αὐτὴν, ἡ τῶν Σκυθῶν ἐπανάστασις κατεστόρεσεν εἰς τοσόνδε καὶ καθημάξευσε ταῖς συμφοραῖς, ὥστε χρυσὸν ἀποδειχθῆναι, πρὸς τὰ Θρᾴκια πάθη, τὴν Μυσῶν παροιμιώδη λείαν. quae ſic vertenda erant: *adeo ut aurum videretur illa Myſorum praedatio, adagio celebrata prae hac Thraciae calamitate, & vaſtatione.* Eadem phraſi uſus erat Eunapius in rebus Carini Auguſti: Καρῖνος, inquit, ὁ βασιλεὺς γενόμενος ἐν ἐξουσίᾳ καὶ βελτίστοις κύκλος, ἀνέδραμε τηλικοῦτον κακὸν ἐς τυραννίδα, ὥστε ἀπέδειξε χρυσὸν τὴν τραγῳδουμένην τυραννίδα. Quem Eunapii locum citat Suidas in voce Μακρῷ, & in voce Καρῖνος. Eſt autem phraſis elegans & plane Attica, qua utitur etiam Plato in Epiſtola VII. ad Dionis propinquos: ubi loquens de XXX Tyrannis, qui Reipublicae conſtituendae cauſa ab Athenienſibus creati fuerant, ſic ait: ὁρῶν δήπου τοὺς ἄνδρας ἐν χρόνῳ ὀλίγῳ χρυσῆν ἀποδείξαντας τὴν ἔμπροσθεν πολιτείαν. Similiter Dio in Lib. XLVII. Hiſtoriae Rom. οὕτω τὰ πράγματα πρός τε τὸ βούλημα καὶ πρὸς τὸ ἐπιθύμημα τὸ ἑαυτῶν διῆγον, ὥστε χρυσὸν τὴν τοῦ Ἰουλίου Καίσαρος μοναρχίαν φανῆναι Male apud Johannem Zonaram in Tom. II. Annalium pag. 141. legitur, ὥστε χρηστὴν τὴν τοῦ ἀνῃρημένου Καίσαρος μοναρχίαν νομίζεσθαι. Scribendum enim eſt, χρυσῆν, ex Dione, quem Zonaras exſcripſit. Denique Conon vetus Scriptor in Narratione XIII. apud Photium, χρυσὸς ἂν αὐλαῖς δόξειε τὰ τῆς Τροίας κακά.

CAPUT XVIII.

Eunapius emendatus. Laeſpodias & Damaſias. Harpocrationis Lexicon caſtigatum.

LOcus eſt quidam apud Eunapium in vita Libanii corruptiſſimus. Ubi enim ait Sophiſtam illum affectatorem fuiſſe priſcorum verborum, & eruditionis gloriam ambiiſſe, ſic ait: τὰ γοῦν Εὐπόλιδος δένδρα Δεσποσίαν καὶ Δαμασίαν οὐκ ἂν παρῆκεν εἰ τὰ ὀνόματα ἔγνω τῶν δένδρων, οὓς νῦν αὐλὰ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι. Non dubito quin legendum ſit, Λαισποδίαν καὶ Δαμασίαν. Fuerunt hi duo olim apud Athenienſes notiſſimi; & ob proceritatem & imbecillitatem tibiarum a Comicis perſtricti. Itaque Eupolis

in

in Comoedia, cui titulus fuit Δῆμοι, eos arboribus comparavit his verſibus, quos refert Scholiaſtes Ariſtophanis in Avibus, (v. 1568.)

Ταδὶ δὲ τὰ δένδρα Λαισποδίας καὶ Δαμασίας
Αὐταῖσι ταῖς κνήμαισιν ἀκολυθοῦσί μοι.

Plura de hoc Laeſpodia ibidem commemorat doctus (a) Scholiaſtes, quem conſule: Is eſt, adverſus quem Orationem ſcripſerat Antipho, quae in Harpocrationis Lexico non ſemel laudatur: ut in voce Ἐπίσκοπος, & alibi. Sed ubique nomen depravatum invenies, & καλὰ Λαισπυδία ſcriptum, pro Λαισποδία.

CAPUT XIX.

Eunapius denuo emendatus ex MSo.

ALterum etiam locum ex Libanii vita ſanabimus, qui graviſſimo mendo laborat. Sic enim legitur vulgo: καὶ τοσοῦτος ἦν εἰς τὴν πλάσιν καὶ τὴν εἰς ἑκάτερον ἐξομοίωσιν, ὥστε ὁ μὲν λῆρος ἦν αὐτῷ, τῶν δὲ συνιόντων ἕκαστος ἄλλον ὁρᾷν ἑαυτὸν ὑπελάμβανεν. Quae ſic vertit Hadrianus Junius: *Egregius artifex in exprimenda atque ex vero effingenda morum ſimilitudine in utramque partem, ita ut factu facilius nihil illi fuerit; imo familiarium, qui cum eo converſabantur, quilibet exiſtimabat ſe alterum ipſum videre.* Ego in MS. Codice viri illuſtriſſimi Henrici Memmii, in quo vita Libanii Sophiſtae epiſtolis ipſius erat praefixa, ſine auctoris nomine, elegantem veramque hujus loci ſcripturam reperi hoc modo: τοσοῦτος ἦν ἐς τὴν πλάσιν καὶ τὴν πρὸς ἅπαντας ἐξομοίωσιν, ὥστε ὁ μὲν πολύπους λῆρος ἠλέγχετο: τῶν δὲ συγγενομένων ἕκαστος ἄλλον ἑαυτὸν ὁρᾷν ὑπελάμβανεν. id eſt, *adeo felix fuit in exprimendis atque effingendis omnium moribus, ut polypus prae illo nugae eſſe videretur*, &c. Paulo poſt, ubi judicium fert de ſcriptis Libanii, ait leporem quendam ac venuſtatem, quae SyroPhœnicibus omnibus familiaris eſt in congreſſibus, vel maxime ex operibus Libanii hauriri poſſe, quam dotem Attici naſum & urbanitatem appellant. οἱ μὲν οὖν Ἀττικοὶ μυκτῆρα καὶ ἀλισμὸν αὐτὸ καλοῦσιν. ſcribe ex eodem MS. Codice, καὶ ἀστεϊσμόν.

N 2 C A-

(a) Cujus locum integrum exhibet & emendat in notis ad Harpocration. p. m. 31. ubi plura de Laeſpodia habet, & locum hunc Eunapii, quem corrigendum illic monet, in Excerptis ſuis ſe notaſſe addit; quibus neſcio an has Emendationes ſuas ſignificet.

CAPUT XX.

De diverſis Philoſtratis.

EDita ſunt Pariſiis anno MDCLXXX. Philoſtrati opera, quaecumque ad nos pervenerunt, quaſi ab uno eodemque auctore ſcripta eſſent; cum tamen trium Philoſtratorum libri in ea editione contineantur: quod cum a Morello minime ſit animadverſum, hic evidentiſſimis argumentis probabimus.

Ac Philoſtratum quidem eum, qui vitas Sophiſtarum conſcripſit, diverſum eſſe a Philoſtrato Lemnio jam ſuperius demonſtratum eſt; ubi etiam illud oſtendimus, eundem, qui Sophiſtarum vitas condidit, auctorem etiam eſſe librorum de vita Apollonii Tyanenſis. Epiſtolarum vero Liber ſcriptus eſt a Philoſtrato Lemnio, ut paulo ante docuimus. Sed & Heroïca ob eodem Lemnio videntur eſſe conſcripta. Multa enim ibi de Lemno inſula dicuntur. Et in Neoptolemo haec habentur verba, τελετῆς τι ἐγκαταμιγνύντες τοῖς ἐναγίσμασιν, ὡς Λήμνιοί τε νομίζουσι &c. Et paulo poſt, quomodo Lemnus inſula quotannis luſtrari ſoleat, & facinus mulierum expiari, fuſe narrat Philoſtratus, quae non niſi a cive ejus inſulae cognoſci potuerunt. Certe haec toties affectata Lemniorum commemoratio ſatis indicat auctorem fuiſſe Lemnium. Sed & librum, qui Imagines inſcribitur, ab eodem Lemnio Philoſtrato ſcriptum eſſe cenſeo. Nam initio libri ait ſe declamaſſe coram adoleſcentibus, qui ipſum adibant Neapoli. Fuit autem Philoſtratus Lemnius in Declamationibus eximius, adeo ut etiam ex tempore declamaret, uti teſtatur Philoſtratus Athenienſis in vitis Sophiſtarum. Sane hi duo libri de Imaginibus nihil aliud ſunt, quam declamationes extemporales.

Praeter hos duos Philoſtratos, fuit etiam alius junior Philoſtratus, Philoſtrati Lemnii ex filia nepos. Hujus extat liber Imaginum, in cujus initio Philoſtratum, qui duos libros Imaginum edidit, avum maternum fuiſſe dicit.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI VALESII EMENDATIONUM

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

(a) Demoſthenis error de genere Alcibiadis expoſitus. Meurſius refutatus, & Platonis locus ab ejus emendatione vindicatus. Stemma Alcibiadis paternum ac maternum. Iſocrates correctus & Harpocration. Valerius Maximus notatus.

Quis credat Demoſthenem tanti nominis tantique judicii Oratorem, memoriae vitio lapſum fuiſſe, in re praeſertim, quae non procul aberat a memoria temporum ſuorum; in ſtirpe inquam Alcibiadis, illius celeberrimi Athenienſium ducis. Atqui certiſſimis rationibus vincam, lapſum illum fuiſſe non ſimplici errore. Neque vero id exprobrandi cauſa dico, ſed ut illuſtri exemplo demonſtrem, quam proclive ſit in rebus, quae ad antiquitatem pertinent, halucinari, quo magis nos excuſandi ſumus, ſicubi fortaſſe imprudentes offendimus. Scribit igitur Demoſthenes in Oratione contra Midiam pag. 405. Alcibiadem illum celeberrimum ſui temporis ducem, paterno quidem genere Alcmaeonidem fuiſſe, maternum autem genus ex Hipponici familiâ duxiſſe. ἐκεῖνος γὰρ λέγεται πρὸς πατρὸς μὲν Ἀλκμαιωνιδῶν εἶναι, πρὸς δὲ μητρὸς Ἱππονίκου. Idem quoque ſcribit Libanius in Declamatione IX. pag. 352. Sed utrumque falſum. eſt. Non enim paterna ſtirpe Alcmaeonides fuit, ſed materna, ut docet Iſocrates in Oratione de Bigis, & Plutarchus in Alcibiadis vita initio. Erat enim Dinomaches filius; Dinomache vero, Megaclis filia, ut praeter Plutarchum teſtatur Andocydes in Oratione contra Alcibiadem pag. 31. & Lyſias in Oratione contra Alcibiadem filium.

Iam Megacles Hippocratis filius fuit. Hippocrates autem patrem habuit Mega-

 clem

(a) Quae in hoc capite de Demoſthenis errore circa genus Alcibiadis erudite obſervavit Valeſius, jam dederat nobis, quamquam non ita prolixe, in Notatis ad Mauſſaci notas in Harpocrationem pag. 86. ubi ſtemma Alcibiadis itidem exhibet, & Meurſii errorem refellit. Nonnulla etiam de genere Alcibiadis habet Palmerius in Exercit. ad Script. Graec. pag. 192. qui de hoc Demosthenis errore videndus eſt pag. 632. & 633. ubi notat, cum oratoria aſtutia junioris Alcibiadis genus ad patrem tranſtuliſſe, & totum Alcibiadis ſtemma ex Herodoto, Lyſia, Platone, Plutarcho ac Pauſania deſcriptum exhibet.

clem ſeniorem, qui Alcmaeonis filius fuit. Ita Herodotus in Lib. VI. pag. 378. Iſocrates tamen in Oratione de Bigis, Megaclem juniorem Cliſthenis filium facere videtur. Ait enim, Cliſthenem illum, qui Remp. Athenienſium conſtituit, maternum Alcibiadis proavum fuiſſe, cui favere videtur vetus Scholiaſtes Pindari in Oden ſeptimam Pythionicarum, quae Megacli Athenienſi dicata eſt. Is enim Hippocratem cognatum duntaxat Megaclis fuiſſe ſcribit, non filium. Quidquid ſit, conſtat Demoſthenem falſum fuiſſe, cum Alcibiadem paternum genus ab Alcmaeone duxiſſe affirmavit; nec verius eſt quod ibidem adjunxit, maternum genus ab Hipponico tractum fuiſſe. Nullus enim Hipponicus in materna Alcibiadis ſtirpe reperitur. Fuit quippe Alcibiades Cliniae filius, Alcibiadis magni nepos, teſte Herodoto in Lib. VIII. Iſocrates quidem in Oratione de Bigis, Alcibiadem paterno genere nobiliſſimum ait fuiſſe, quod in Hipponicum non convenit, qui fuit vir novus, & ob divitias, non ex nobilitate generis, celeberrimus evaſit. Quid igitur fuiſſe cauſae dicemus, ut Demoſthenes in errorem induceretur? Equidem non aliam fuiſſe cauſam exiſtimo, niſi quod Alcibiadis filius ac nepos tum vivebant, cum Orationem illam habuit Demoſthenes. Hi materno genere ex Hipponici familia erant oriundi. Nam Alcibiades Cliniae filius Hippocratem Hipponici filiam in matrimonium duxit, ut teſtatur Andocydes in Oratione citata, & Cornelius Nepos & Plutarchus. Hinc Demoſthenes, ut mihi quidem videtur, errandi occaſionem nactus, Alcibiadem quoque illorum patrem ex Hipponici ſtirpe prognatum eſſe exiſtimavit.

Nec minor eſt Joannis Meurſii error, qui in Lib. VIII. Lectionum Atticarum Cap. 12. totam ſeriem paterni generis Alcibiadei miſcuit ac turbavit. Locus eſt Platonis in Euthydemo initio de Clinia. ἔστι δὲ οὗτος Ἀξιόχου μὲν υἱὸς τοῦ Ἀλκιβιάδου τοῦ παλαιοῦ αὐτανεψιὸς δὲ τοῦ νῦν ὄντος Ἀλκιβιάδου. Hunc locum mendoſum eſſe exiſtimat Meurſius, & corrigere aggreditur: ſed fruſtra eſt, cum locus ſit integer. Loquitur enim Plato de pulchro illo Clinia, fratre patrueli Alcibiadis, qui Clinias filius fuit Axiochi, ut praeter Platonem teſtatur Aeſchines in Axiocho. At Meurſius gravi errore hunc Cliniam, de quo loquitur Plato, Alcibiadis patrem eſſe putavit. Verum Clinias, Alcibiadis pater, in praelio ad Coronam diu ante occubuerat, teſte Platone in Alcibiade, & Iſocrate & Plutarcho, ac denique Sopatro in diviſione controverſiarum pag. 290. Clinias autem Axiochi filius, vixit poſt bellum Peloponneſiacum, ut patet ex illo Aeſchinis dialogo. Series igitur paterni generis Alcibiadei haec eſt:

Alcibiades Magnus ejus filii
Clinias & Axiochus
| |
Alcibiades & Clinias, de quo Plato in Protagora.

Quod ſpectat ad Alcibiadem majorem, Alcibiadis noſtri avum, ſententiam noſtram confirmat primum quidem Herodotus in Lib. VIII. ubi Cliniam Alcibiadis filium

filium in pugna ad Artemiſium fortiter egiſſe ſcribit. Fuit autem hic Clinias Alcibiadis noſtri pater, ex Plutarcho & Sopatro in locis citatis, quibus accedit Plato in Euthydemo loco citato. Deinde Andocydes in Oratione contra Alcibiadem, καὶ γὰρ ὁ τῆς μητρὸς πατὴρ Μεγακλῆς, καὶ ὁ πάππος Ἀλκιβιάδης ἐξωστρακίσθησαν ἀμφότεροι. Denique Lyſias in Oratione contra Alcibiadem, Alcibiadis noſtri filium, ſub finem. Ex quibus corrigendus eſt Iſocratis locus in Oratione de Bigis, ubi ait: Ἀλκιβιάδης καὶ Κλεισθένης ὁ μὲν πρὸς πατρὸς, ὁ δὲ πρὸς μητρὸς ὢν πρόπαππος τοῦ πατρὸς τοῦ μοῦ, ſcribe, ὁ μὲν πάππος πρὸς πατρὸς &c. Emendandus quoque eſt Harpocration in voce Ἀλκιβιάδης, legendumque, ἦν δὲ καὶ ἕτερος πάππος &c. Porro maternum genus Alcibiadis habes in hoc ſtemmate.

Alcmaeon Megaclis filius Olympionices.
|
Megacles major, qui Agariſtam duxit.
|
Cliſthenes & Hippocrates
|
Megacles——Agariſta
| |
Dinomache Pericles.
|
Alcibiades.

In hoc ſtemmate Herodotum ſecuti ſumus, qui Megaclem Hippocratis filium poſuit. Quod ſi Iſocratem audire malumus, tum Megacles patrem habebit Cliſthenem, in quam ſententiam, ut ingenue fatear, magis propendeo, quippe cum Iſocrates in eo loco de Alcibiadis majoribus agat ex profeſſo, nihilque vetet, quominus duo Megacles patrueles extiterint, alter Cliſthenis, alter Hippocratis filius.

Ex his illud etiam colligere eſt, falli Valerium Maximum in Lib. III. (cap. I. ex. 1.) cum Periclem Alcibiadis avunculum dixit; niſi forte avunculum καταχρηστικῶς intelligamus, qui ſuperiore gradu cognatus eſt, quem nos avunculum Britannico more vulgo appellamus. Cornelius Nepos, Alcibiadem Periclis privignum quibuſdam dici refert.

CAPUT II.

Demoſthenes emendatus. Ῥῶπος *de vilis pretii mercibus. Heſychius correctus.*

IN Oratione Demoſthenis pro Chryſippo adverſus Phormionem, locus eſt fœde corruptus, quem partim ex Auguſtano Codice, partim ex conjectura reſtituiſſe mihi vi-

videor. (pag. 941.) ὥστε δὲ τοῦ ναυκλήρου κελεύοντος αὐτὸν κατὰ τὴν συγγραφὴν ἐνθέσθαι τὰ ἀγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων. εἶπεν οὗτος ὁ νῦν φάσκων ἀποδεδωκέναι τὸ χρυσίον, ὅτι οὐκ ἂν δύναιτο ἐνθέσθαι εἰς τὴν ναῦν τὰ χρήματα ἄπρακτον γὰρ εἶναι τὸν ἄνθρωπον. quae verba ſic Wolfius vertit: *Adeo ut naviculario jubente emptas mea pecunia merces ex ſyngrapha imponere: is qui nunc ſe aurum reddidiſſe dicit, nummos conferre in navim poſſe negaret, conſilio ſuo fruſtratum, rebusque infectis.* Et hunc quidem qualemcumque ſenſum elicuit Wolfius ex corruptis Demoſthenis verbis; quae etiam aſteriſco ſignata ſunt. Sed in Auguſtano Codice longe optimo ultima verba ſic leguntur: ἄπρατον γὰρ εἶναι τὸν ὥρωπον. ex quibus facillimum erat veram ac ſinceram hujus loci ſcripturam deprehendere. Scripſerat enim Demoſthenes ἄπρατον γὰρ εἶναι τὸν ῥῶπον. Viles ac levis pretii merces Graeci ῥῶπον vocabant, & hujusmodi mercatores ῥωποπώλας, ut teſtatur Heſychius. Aelius Dionyſius apud Euſtathium in Ἰλιαδ. Ν. pag. 927. ῥῶπον interpretatur τὸν λεπτὸν καὶ εὐτελῆ φόρτον, καὶ ποικίλον. additque, quod ad noſtrum inſtitutum plurimum facit, ἡ δὲ λέξις τοῦ ῥῶπος παρά τε Δημοσθένει καὶ ἑτέροις. Neque enim alibi, quod ſciam, nomen hoc ῥῶπος occurrit in Orationibus Demoſthenis, praeterquam hoc in loco; ex quo apparet ita neceſſario emendandum fuiſſe. Porro quam facilis ac prona ſit depravatio harum vocum ῥῶπος & ὥρωπος, oſtendit Heſychii locus, in quo ſic legitur, Αἰγυπτία ἐμπωλὴ ὥρωπος: cum ſcribendum ſit, ὁ ῥῶπος. Et haec quidem quod ſpectat ad vocem ῥῶπος. Quod autem attinet ad vocem ἄπρατον, confirmat ipſe Demoſthenes in eadem Oratione paulo ſupra: διὰ τὸν συμβάντα πόλεμον καὶ τῶν φορτίων ὧν ἦγε πολλὴν ἀπρασίαν ἐν πάσῃ ἀπορίᾳ ἦν. & infra, ἐν Βοσπόρῳ δὲ ἀπρασίαν τῶν φορτίων κατέλαβε.

CAPUT III.

Demoſthenes explicatus. Ἐπὶ *nota pignoris.* ἐπιδανείζειν.

QUando in eadem Demoſthenis Oratione verſamur, quemdam ex ea locum, qui nobis obſcuriſſimus videtur, lectoribus proponemus. Quid enim ſibi vult, quod ait Demoſthenes non procul ab initio illius Orationis? ἐγὼ γὰρ ὦ ἄνδρες ἐδάνεισα Φορμίωνι τούτῳ εἴκοσι μνᾶς, ἀμφοτερόπλουν εἰς τὸν Πόντον ἐπὶ ἑτέρᾳ γε ὑποθήκῃ. quae Wolfius ſic vertit: *Ego Athenienſes Phormioni mutuas dedi minas viginti ultro citroque in Pontum, alio accepto pignore.* Difficultas eſt non in voce ἀμφοτερόπλουν, cujus ſignificatio notiſſima eſt: ſed in his verbis, ἐπὶ ἑτέρᾳ γε ὑποθήκῃ, ac praeſertim in voce ἑτέρᾳ. Crediderat Chryſippus Phormioni mercatori minas viginti ea conditione, ut Phormio merces quadraginta minarum pretii in navem imponeret, quae pignoris loco eſſent Chryſippo, ut docet Demoſthenes. Vides igitur dimidiam partem mercium pignori obligatam fuiſſe, pro altera dimidia parte. Proinde verba Demoſthenis ſic interpretari malim, *altero tanto oppignerato.* In tota igitur Oratione illa adverſus Phormionem, ubicumque ὑποθήκης nomen occurrit, occurrit autem ter & am-

Digitized by Google

amplius, merces ſunt intelligendae, quae creditoribus oppigneratae erant ex ſyngrapha. Quare debitor tenebatur aut merces pignori obligatas exhibere, aut argentum, quod mutuatus fuerat; alioqui adverſus eum, qui nec pecuniam creditoribus ſolveret, nec pignus exhiberet, gravis erat paena propoſita: adeo ut civem Athenienſem optimo loco natum ob eam culpam Athenienſes capite damnarint. Tantum illis curae fuit, ut in foro fides ſervaretur, quemadmodum refert Demoſthenes in fine hujuſce Orationis. Solebant autem mali debitores, qui pecunias mutuas ab aliquo acceperant commercandi cauſa, rurſus ab aliis mutuari, quod (*a*) ἐπιδανείζειν dicebant, qua voce frequenter utitur Demoſthenes in hac Oratione. Quod quidem clam & inſciis creditoribus factitabant, ne illi pignus ſuum ſibi vindicarent, aliisque rurſus oppignerari vetarent. Sic intelligendus eſt locus Demoſthenis circa medium. ὅθεν μὲν ἐξέπλει οὐκ ἐνθέμενος εἰς τὴν ναῦν τὰ χρήματα, καὶ ὑποθήκην οὐκ ἔχων, ἀλλὰ ἐπὶ τοῖς ἐμοῖς χρήμασιν ἐπιδανεισάμενος: quae Wolfius ſic vertit, *Cum enim hinc navigaret, nec pecuniam in navem impoſuerat, & pignus non habebat, ſed ad meam pecuniam plus erat mutuatus.* Quam interpretationem equidem probare non poſſum. Vox enim ἐπιδανεισάμενος id ſatis indicat. Sed alius eſt ſenſus horum verborum, ἐπὶ τοῖς ἐμοῖς χρήμασι: id eſt, *pecunia mea pignoris loco oppoſita, aliam ſupermutuatus.* Vox haec (*b*) ἐπὶ, pignus & hypothecam denotat, ut ſupra vidimus, ἐπὶ ἑτέρᾳ γε ὑποθήκῃ. Et in Oratione contra Dionyſodorum initio, ὥστε δανεισάμενος παρ᾽ ἡμῶν ἐπὶ τῇ νηὶ τρισχιλίας δραχμάς. Wolfius vertit *ad navem*, & iterum in eadem Oratione, ἔλεγον ὅτι βούλονται δανείσασθαι ἐπὶ τῇ νηί. id eſt, *oppignerata nave*, ut ipſe Demoſthenes confirmat. Neque aliter explicare ſoleo locum Iſocratis in Oratione Trapezitica: ὁλκάδα γὰρ ἐφ᾽ ᾗ πολλὰ χρήματα ἦν ἐγὼ δεδανεικὼς &c. id eſt, *navem onerariam, quae mihi oppignerata erat pro ingenti pecunia.* Familiare fuit & uſitatum apud Veteres navem creditoribus oppignerare, cujus rei exemplum eſt apud Artemidorum cap. 23. Libri II.

O C A-

(*a*) Vide Salmaſium de modo Uſurar pag 504. & 505. ubi aliquot Demoſthenis locis hanc vocem explicat & illuſtrat. Ut autem Graeci de malis debitoribus, qui, ut ſolvant pecunias mutuo acceptas, ab aliis rurſus mutuantur, ἐπιδανείζειν dicunt, ita Latini *verſura ſolvere* hoc vocant, cum aes alienum prius contractum, novo aere alieno ſolvitur, & ita verſura facta, ſeu aliis nummis foenori acceptis, vetus nomen expediunt debitores: de qua phraſi multa viris doctis obſervata. Vid. Salmas. ibid. pag. 299. & 300. & ad Tertull. de Pallio pag. 163 contra quem ingenti verborum contumelia invehitur Antonius ille Kerkoëtius, ſeu potius vero nomine Dion. Petavius, in Animadv. ad Salmaſii notas in Tertull. pag. 40. & in Elencho pag. 7 & ſeq. cujus contumeliis ſe oppoſuit ſub Franciſci Franci nomine Salmaſius in Confut. Anim. Cercoët. pag. 118 & ſeq. Utriusque argumenta excutit Joh. Fr. Gronovius immortali opere de Pecun. Vet. pag 535 546 & ſeqq ubi optime diſcrimen notavit inter *verſura ſolvere*, quod mutuo aliunde accepto debitum expungere, & *verſuram facere*, quod in genere pecuniam ſub uſuris mutuam ſumere ſignificat: quae ſaepe Viri etiam doctiſſimi non ſatis diſtinxerunt. Sed de his plura addere non eſt hujus loci. Adeat Lector de hac locutione Interpretes Corn. Nepot. in Attic. cap. 2. Graevium ad Cic. in Verrem Lib. II. cap. 76. & ad Orat. pro Fontej. cap. 1. tum nonnulla apud Sim. Boſium ad Lib. V ad Attic. Epiſt. 21. pag. m 70 & 71. ſed quem vehementer falli notavit ad eumdem locum Graevius pag. 556.

(*b*) Ita in multis aliis locutionibus hac in re propriis frequentiſſime hoc occurrit, ut ἐπὶ σώματι, ἐπὶ τῇ οἰκίᾳ, ἐπὶ τῇ νηὶ δανείζειν vel ὀφείλειν, & ſim. vide Salmaſ. ibid. de Mod. Uſur. pag. 754. ubi duo alia habet Demoſthenis loca ſimilia illis, quae hic adfert Valeſius.

CAPUT IV.

Demoſthenes cum Iſocratis loco collatus. De mercatoribus, qui fidem fallerent.

IN eadem Oratione adverſus Phormionem ait Demoſthenes, judices Athenienſium ſemper infenſos fuiſſe mercatoribus, qui fidem fallerent, nec creditoribus ſuis ſatisfacerent. Idem antea dixerat Iſocrates in Oratione Areopagitica, ubi id etiam addit, Judices magis infenſos fuiſſe fraudantibus, quam eos, quibus damnum erat illatum. Cur autem Judices ita affecti fuerint, diverſas uterque Orator rationes affert, quas hic afferre & inter ſe componere, non ingratum fore duxi. Ait igitur Iſocrates, Judices ita exiſtimaſſe eos, qui fidem violarent contractuum, longe plus pauperibus nocere, quam opulentis. Divites enim, ſi pecuniam ſuam domi retineant, nec clientes ſibi adſciſcant, privari duntaxat exiguis lucris; pauperes vero, ſi deſint qui pecunias ipſis ſuppeditent, ad extremam inopiam redigi. Demoſthenes vero cauſam hanc adfert, cur Judices adverſus fraudulentos debitores tantopere acerbi eſſent; quod ſcilicet putarent ab eo genere hominum non eos ſolum laedi, quibuscum contraxiſſent, ſed etiam mercatum ipſum injuria affici. Commercia enim mercatorum, non a mutuantibus ſed a foeneratoribus proficiſcuntur ac pendent, qui ſi defuerint, nec navis, nec navicularius, nec vector ex portu ſolvere unquam poſſint.

CAPUT V.

Demoſthenes emendatus. Οἶον *municipium in agro Attico. Diogenes Laërtius correctus.*

TUrpe mendum eſt in Oratione Demoſthenis adverſus Macartatum de Hagniae haereditate, cujus emendatio cum facilis & obvia ſit, miror tamen neque a Wolfio, neque ab alio quoquam adhuc animadverſam fuiſſe. Nam in ipſo Orationis initio ſic legitur: φύσει γὰρ ὄντα ἐγγυτάτω Ἁγνίᾳ τῷ Ἐξοίου ἐπεδικάσατο τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου. Ubi Wolfius τῷ Βουσέλου ſcribendum eſſe exiſtimavit. Hic enim Ἁγνίας erat Buſeli filius, & paulo poſt ubi legitur, Γλαῦκος τε ὁ Ἐξοίου, idem Wolfius vertit, *Glaucus Exoei filius.* Pari errore interpretatus eſt ſequentia Demoſthenis verba, Βούσελος γὰρ ἦν Ἐξοίου. Sola diſtinctione hi tres loci emendari poterant: Scribendum enim

enim eſt ubique, (a) ἐξ Οἴου, id eſt, ex Oeo municipio. Duo fuerunt municipia hujus nominis in agro Attico, quorum alterum Ceramicum, alterum Decelicum dicebatur. Utriusque cives ac Municipes dicebantur ἐξ Οἴου, ut docet Harpocration in voce Οἶον. Cui conſentit etiam Stephanus Byzantius in voce Ἀβρότονον. δύναται δὲ, inquit, καὶ ἐξ Ἀβροτόνου φάναι τὸ ἐθνικόν. πολλὰ γὰρ τοιαῦτα μάλιστα ἐν τοῖς δήμοις τῶν Ἀθηναίων, ὡς ἐξ Οἴου δημότης καὶ ἐκ κοιλῶν. Ex Oeo igitur municipio oriundus erat Buſelus; ac proinde Hagnias major ejus filius, & Hagnias minor ejusdem nepos, de cujus haereditate agitur in Oratione Demoſthenis, in eodem Municipio erant adſcripti. Idem error eſt in Lib. II. Diogenis Laërtii, ubi de Stilpone loquitur: καὶ Μύρμηκα τὸν Ἐξαινέτου. Scribendum enim eſt, (b) ἐξ Ἐνέτων, ut docet Stephanus Byzantius in voce Ἐνετοί: ut monnit me Aegidius Menagius, quem honoris & amicitiae cauſa libenter nomino.

CAPUT VI.

Demoſthenes corrigitur. Ὕης & Ἄλης, *Bacchi epitheta. Heſychius & Clemens Alexandrinus emendati.*

DEmoſthenes in Oratione illa celeberrima pro Cteſiphonte de corrona, Aeſchinem irridens, qui Tragoediarum actor olim fuerat, & qui in myſteriis & orgiis Bacchi Praeſul ac Praecentor fuerat, ait illum praecinere ſolitum, *Euoe Saboe*, & inter ſaltandum exclamare, *Hyes Attes.* Verba Demoſthenis hodie ſic leguntur (pag. 156.) καὶ βοῶν εὐοῖ σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος ὕης ἄττης, ἄττης ὕης. Quod ſpectat

(a) Veriſſimam hanc emendationem, notato itidem Wolfii errore, dederat jam Valeſius in notis ad Harpocration. pag. 56. & ſic in hoc Demoſthenis loco corrigendum monuit etiam Palmer. in Excercit. ad Script. Graec. pag. 641. de utroque municipio ita Suidas in Οἶον. Ἔστι δὲ ὁ μὲν κεραμεικὸς Οἶον τῆς Λεοντίδος φυλῆς, ὁ δὲ δεκελεικὸν Οἶον τῆς Ἱπποθοωντίδος. οἱ δὲ δημόται ἑκατέρωθεν ἐλέγοντο ἐξ Οἴου. quae totidem verbis apud Harpocrationem leguntur, & paria habet Stephanus in Οἶον. vide eumdem Palmer in Exercit. pag. 191. ſed plura apud Meurſium in Libro de Populis Atticae in voce Οἶον pag. 767. in Vol. IV. Theſaur. Antiquit. Graecar. ubi haec Demoſthenis loca eodem modo, quo hic Valeſius, emendat, & Jnterpretis eruditi errorem etiam obſervat.

(b) Ad hunc Diogenis Laertii locum videndae ſunt ipſius Menagii notae pag. 76. Ed. Londin. ex quo patet laudem hujus emendationis deberi Meurſio in notis ad Heſychium Mileſium pag 201. quem non praeteriit Stephani locus, quo ſolo nititur correctio in Diogene, quem Epitomator ille advocat Salmaſius autem ad Solin. Tom. II. pag. 888. verba Stephani exhibens addit, nullam Myrmecis hujus apud Diogenem fieri mentionem; quod quam vere notaverit, ex hoc ipſo Laertii loco patet. vide & Jonſium Lib. III. de Script. Hiſt. Philos. pag. 271. Sed omnes Stephani Commentatores, Caſaubonum ſecuti, cenſent eum vitioſo Laertii codice deceptum perperam urbem feciſſe ex nomine proprio Exaeneti, cujus filium fuiſſe Myrmecem putat Caſaubonus. Holſtenius etiam in Caſtigat. ad Stephan. pag. 114 Meurſium fruſtra ἐξ Ἐνέτων emendaſſe ſcribit, adfirmatque Ἔνετον urbem nusquam alibi inveniri memoratam. Sed illum refutant ſatis, quae notavit Menagius, quem recte Caſauboni opinionem rejeciſſe arbitror, praeſertim cum Valeſii noſtri auctoritas ei ſubſcribat.

ad vocabulum ὕης, id Bacchi eſſe epithetum docet Suidas & Auctor Etymologici, quibus conſentit Scholiaſtes Arati, & Euſtathius in Iliad. Σ. pag. 1155. denique Theon in Aratum, ex quibus corrigendus eſt Heſychius, apud quem legitur, υἱὸς σαβάζιος, cum legendum ſit, ὕης, ut Auctores, quos laudavi, teſtantur. Sed difficultas eſt quis ſit ἄττης. Harpocration quidem exiſtimavit Attin illum in Phrygia celeberrimum matis Idaeae miniſtrum a Demoſthene intelligi, quod mihi certe abſurdum videtur. Loquitur enim Demoſthenes de Orgiis Bacchi, ſeu Thiaſis, quos Aeſchines deducebat. Attidi vero nihil commune cum Baccho, cujus Attidis ne nomen quidem cognitum fuiſſe arbitror Athenienſibus, Demoſthenis aetate. Proinde non dubito, quin corrupti ſint Demoſthenis codices, & quin pro ἄττης, ſcribendum ſit (a) ἄτης, quod epithetum fuit Bacchi, ex eo quod a Titanibus diſcerptus fuiſſe dicitur: Docet id auctor Etymologici; Ἄτης ὁ Διόνυσος. ἐπιθετικῶς ἀπὸ τῆς γενομένης ἐκ τῶν Τιτάνων εἰς αὐτὸν ἄτης καὶ φθορᾶς. Idem quoque error eluendus eſt ex Clementis Protreptico pag. 6. δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἀπεικότως τὸν Διόνυσον τινὲς Ἄττιν προσαγορεύεσθαι θέλουσιν αἰδοίων ἐστερημένον. Lego Ἄτην.

CAPUT VII.

Demoſthenis lapſus memoriae notatus. Thucydides emendatus. Scellias Ariſtocratis pater. Platonis verſio correcta.

ALterum quoque errorem Demoſthenis hic notabimus, quo appareat maximos Oratores, dum aliud agunt, memoriae vitio ſaepius labi. Scribit enim Demoſthenes in fine Orationis contra Theocrinem, Ariſtocratem Scelliae filium optime meritum fuiſſe de Rep. Athenienſium, quippe qui Eetioniam, in quam Critias ac caeteri ejus ſocii Lacedaemonios hoſtes erant recepturi, everterit, populumque Athenienſem in patriam reduxerit. (pag. 859.) κατασκάψας τὴν Ἠετιώνειαν, εἰς ἣν τοὺς Λακεδαιμονίους ἤμελλον οἱ περὶ Κριτίαν ὑποδέχεσθαι, καθεῖλε μὲν τὸ ἐπιτείχισμα, κατήγαγε δὲ τὸν δῆμον &c. quomodo Ariſtocrates una cum Theramene aliiſque Eetioniam everterit, quam quadringenti, extincto Athenis populari ſtatu, ideo extruxerant, ut Lacedaemoniorum praeſidium, quoties libitum eſſet, in urbem admitterent, narrat fuſe Thucydides in Lib. VIII. At Demoſthenes id tunc factum exiſtimavit, cum XXX Tyranni Remp. Athen. occuparent. Ait enim, οἱ περὶ Κριτίαν, potius οἱ περὶ Φρύνιχον dicere debuiſſet. Nam Phrynichus celeberrimus fuit inter quadringentos, ut poſtea Critias inter triginta: & quod ſubjungit, τὸν δῆμον κατήγαγε, aperte convincit de XXX Tyrannis loqui Demoſthenem. Nam pulſis XXX Tyrannis, exules in urbem reducti ſunt a Thraſybulo: remotis autem quadrin-

(a) Vide Valeſium ad notas Mauſſaci in Harpocrationem pag. 101. ubi iiſdem productis locis ea, quae ad Demoſthenis locum de his Bacchi Epithetis hic adfert, notavit.

dringentis, cives in urbem eſſe reſtitutos, nec Thucydides nec alius ſcripſit, quippe cum quadringenti neminem Athenienſium exilio damnaſſent. Proinde Demoſthenes memoria lapſus videtur. Caeterum apud Thucydidem pater illius Ariſtocratis male nominatur *Sicelius*. Vulgo enim legitur, Ἀριστοκράτην τὸν Σικελίου, cum ſcribendum ſit (*a*) Σκελλίου, ex Demoſthenis loco proxime citato, & ex Platone in Gorgia, ubi Socrates ſic loquitur, καὶ Ἀριστοκράτης ὁ Σκελλίου οὗ αὖ ἐστιν ἐν Πυθίου τοῦτο τὸ καλὸν ἀνάθημα. id eſt, *& Ariſtocrates Scelliae filius, cujus extat pulchrum illud donarium in templo Apollinis Pythii, quod eſt Athenis.* male enim Interpres locum illum Platonis vertit. Caeterum Σκέλλιος an Σκελλίου, ſeu Σκελλίας dicendum ſit, dubitari poteſt. Ego *Scelliam* praetulerim.

CAPUT VIII.

Demoſthenes inluſtratus. De Ducum magnificis pollicitationibus.

IN prima Demoſthenis Philippica locus eſt, qui lectori negotium faceſſere merito poteſt, pag. 20. editionis Baſilienſis. ὅταν δ᾽ ἂν στρατηγὸν καὶ ψήφισμα κενὸν καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ βήματος ἐλπίδας ἐκπέμψητε, οὐδὲν ὑμῖν τῶν δεόντων γίγνεται. Quid enim ſibi volunt hae ſpes ἀπὸ τοῦ βήματος? Solebant tunc temporis Duces Athenienſium, ſimul atque populi ſuffragiis electi fuerant, conſcenſo ſuggeſtu magnifica quaedam populo polliceri, & victorias ac trophaea ſpondere. Docet id Demoſthenes in Oratione περὶ τῆς συντάξεως, ubi de Duce Athenienſium ſic ait: τὰς ἐλπίδας ὑμῖν ὑποτείνων ἄλλο δ᾽ οὐδέν. Hinc proverbium (*b*) αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις, *Charetis pollicitationes*: cujus meminerunt Graeci Paroemiographi.

CAPUT IX.

Decretum Byzantiorum apud Demoſthenem emendatum. Duo Deliorum decreta caſtigata & inluſtrata. Κλῆσις *&* ἔγκλησις. *Ammonius correctus.* Πρόσοδος, *pro adlocutione ad populum. Polybius emendatus. Caſaubonus notatus.*

IN Oratione Demoſthenis pro Corona refertur decretum Byzantiorum in honorem populi Athenienſis, ſed multis modis corruptum ac depravatum. Quod cum feliciter emendaverim, rem gratam ſtudioſis lectoribus facturum me exiſtimavi, ſi emendationem meam ipſis communicarem. Sic ergo legitur apud Demoſthenem in editione Baſilienſi pag. 325. Ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίαν πολιτείαν, κλᾶσιν γᾶς, καὶ οἰκιᾶν, προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι ποτὶ τὸ θόλον, ποτὶ τὰν βωλὰν, καὶ τὸν δᾶμον, πρώτοις τοῖς περὶ

(*a*) Ita etiam corrigi juſſit Palmer. Exercit. ad Auct. Graec. pag. 648.

(*b*) Vide Zenob. Cent. 11. Adag. 13. Apoſtolium Centur. XX. Prov. 59. alioſque.

τὰ ἱερά. Scribe meo periculo, ἔγκτασιν γᾶς, καὶ οἰκιᾶν. προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι. πόθοδον ποτὶ τὰν βωλὰν, καὶ τὸν δᾶμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά. id eſt, *Jus comparandi agros & domos in hac regione. Primas ſedes in certaminibus ſacris. Facultatem alloquendi ſenatum ac populum ante omnes alios peractis ſacrificiis.* Emendationem autem noſtram confirmant duo decreta Deliorum, quae referuntur in Marmoribus Arundellianis.

In priore quidem decreto leguntur haec verba, εἶναι δὲ αὐτοῖς ἐν Δήλῳ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά. In altero autem decreto in honorem Dicaei cujusdam, (ſic enim ſcribendum eſt) quod exſtat pag. 43. ita legitur. εἶναι δὲ αὐτῷ ἀτέλειαν ἐν Δήλῳ καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά. Non ovum ovo ſimilius eſt, quam hae duae Deliorum inſcriptiones ſimiles ſunt inſcriptioni Byzantiorum. Utrobique enim eadem habentur vocabula. Nam pro his verbis, quae leguntur in inſcriptionibus Deliorum, ἔγκτησιν γῆς καὶ οἰκίας; in Byzantiorum decreto legitur ἔγκτασιν γᾶς καὶ οἰκιᾶν. Et nos quidem ex conjectura emendavimus οἰκιᾶν, quod plane confirmant decreta illa Deliorum. ἔγκτασιν vero reſtituimus ex Manuſcripto codice Feliciano. Porro quod diſcrimen ſit inter (*a*) κτῆσιν & ἔγκτησιν, docet Ammonius Grammaticus in libro de Differentiis vocabulorum, ubi ait: Κτήματα καὶ ἐπικτήματα διαφέρει. Κτήματα μὲν γάρ ἐστι τὰ ἐν τῇ οἰκείᾳ. Ἐπικτήματα δὲ, τὰ ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ. Non dubito quin Ammonius ſcripſerit, κτήματα καὶ ἐγκτήματα. Sic enim Demoſthenes in Oratione de Haloneſo ſub finem, de Cardianis loquens; καὶ τὰ μὲν ἐγκτήματα εἶναι φασὶν ὡς ἐν ἀλλοτρίᾳ. τὰ δὲ αὐτῶν κτήματα ὡς ἐν οἰκείᾳ. Recte etiam in eodem Byzantiorum decreto emendavi, πόθοδον ποτὶ τὰν βωλὰν; cum antea legeretur, ποτὶ θάλον, abſque ullo ſenſu. Nos decretum Deliorum ſecuti reſcripſimus, πόθοδον, quod Dorica dialecto idem valet ac πρόσοδον. Eſt autem πρόσοδος πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, aditus ad ſenatum & ad concionem populi. Sic Iſocrates loquitur in principio Orationis Areopagiticae, πολλοὺς ὑμῶν οἶμαι θαυμάζειν ἥν τινά ποτε γνώμην ἔχων, περὶ σωτηρίας τὴν πρόσοδον ἐποιησάμην. & paulo poſt, καὶ τὴν ἐμὴν πρόσοδον καταφρονεῖτε. Et iterum, τὴν πρόσοδον ἀπεγραψάμην. Sic etiam Dio loquitur in Excerptis cap. 10. Pauſanias in Achaicis, οἱ δὲ σφισὶν ἀπεκρίναντο μηδὲ ἐκείνοις Ἀχαιοὺς ἐς σύλλογον μήτε ἄλλῳ συνάξειν, ὅστις μὴ ἐπὶ τῷ πράγματι ἐφ᾽ ὅτῳ ποιεῖται τὴν πρόσοδον, παρὰ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς ἔχει δόγμα. Quibus in locis πρόσοδος ſumitur pro allocutione. Polybius in Lib IV. pag. 332. ἔφοδον, dixit, οἰόμενοι δεῖν τῷ τε Μαχατᾷ δίδοσθαι τὴν ἔφοδον ἐπὶ τοὺς πολλοὺς &c. Paulo poſt idem Polybius, τὴν ἐκκλησίαν pro eodem dixit. Male igitur Caſaubonus illum Polybii locum ita vertit: *tum vero ille Ephoros ſtatim adire, petere ut Machatae poteſtas fiat populum pro concione appellandi.* Melius dixiſſet, compellandi, aut potius alloquendi. Pro verbo, οἰόμενοι, reſtituendum puto, οἰόμενος, quomodo legiſſe videtur Caſaubonus, ut ex interpretatione ejus apparet. Denique in decreto Byzantiorum emendavi, πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά, certiſſima conjectura, quam confirmant duo illa decreta Deliorum.

C A-

(*a*) Recte hanc diſtinctionem obſervavit Valeſius. Nam κτῆσις τῆς γῆς, aut ἐν γῇ, ſive ἔγγειον κτῆμα, quod idem eſt, poſſeſſionem in terra propria; ſeu res fundi ſignificat, qua de re egregie agit Salmas de modo Uſurar cap III pag 82 & ſeq ubi inter alia ex Demoſthene id etiam illuſtrat ἐγκτήσεις autem, ſeu ἐγκτήματα, poſſeſſiones in aliena terra vocari ex iis, quae Valeſius hic notat, patet.

CAPUT X.

De Hippodamo Mureti error a Victorio reprehenſus. Hippodamus Mileſius & Turius unus & idem. Heſychius emendatus. διελεῖν *dividere. Piraeeus ab Hippodamo in vicos diſtributus. Lambinus notatus.*

ANtonius Muretus vir doctiſſimus in Lib. I. Variarum Lectionum cap. 14. reprehendit Ariſtotelem, eumque mala fide uſum eſſe dicit, in referenda ſententia Hippodami Mileſii. Neque enim Hippodamum Mileſium ea dixiſſe contendit, quae refert Ariſtoteles in Lib. II. Politicorum (cap. 8.) ſed longe diverſa; idque probat adductis ipſius Hippodami verbis, quae leguntur apud Joannem Stobaeum in Cap. de Rep. (Serm. XLI.) Extitit poſtea Petrus (a) Victorius, & ipſe vir doctiſſimus, qui adverſus Muretum defenſionem Ariſtotelis ſuſcepit. Ait enim Hippodamum illum, qui ab Ariſtotele reprehenditur, diſtinguendum eſſe ab illo Hippodamo, cujus verba retulit Joannes Stobaeus. Prior enim ille Mileſius fuit, uti teſtatur Ariſtoteles; alter vero Turius, ut eſt apud Stobaeum. Proinde Muretum reprehendit Victorius, quod duos Hippodamos inter ſe confuderit, ut videre eſt in Lib. XXXVIII. Variarum Lectionum Cap. 2. Reſpondit deinde Petro Victorio Antonius Muretus, & argumenta a Victorio allata diſſolvere conatus eſt in Cap. 18. Lib. XV. Variarum Lectionum. Verum Mureti reſponſio non ſatis firma mihi videtur. Probandum enim illud erat Mureto, unum eumdemque fuiſſe Hippodamum, Mileſium & Turium. Quod cum ille non fecerit, manet invicta Petri Victorii argumentatio. Ego vero id quod a Mureto praeſtitum non eſt, veterum Scriptorum certis teſtimoniis oſtendam, unum eumdemque eſſe Hippodamum Mileſium ac Turium.

Primus eſt Scholiaſtes Ariſtophanis, qui ad hunc verſum in Equitibus (v. 327.) ὁ δ' Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος, haec adnotat; οὗτος ἐν Πειραιεῖ κατῴκει καὶ οἰκίαν εἶχεν ἥνπερ ἀνῆκε δημοσίαν εἶναι. καὶ πρῶτος αὐτὸς τὸν Πειραιᾶ κατὰ τὰ Μηδικὰ συνήγαγεν. ἦν δὲ Ἀθηναίοις τίμιος. καὶ οἱ μὲν αὐτὸν φασι Τήελον, οἱ δὲ Μιλήσιον. id eſt, *hic Hippodamus habitabat in Piraeeo, & domum quam illic habebat publicam eſſe permiſit. Hic etiam primus Piraeeum coadunavit belli Medici temporibus. Porro Athenienſes magnopere eum obſervarunt. Et alii quidem eum patria Turium, alii vero Mileſium faciunt.* Verum

(a) Victorio favet etiam Mich. Piccartus in Comment. ad Ariſtotel. Polit. pag. m. 241. & 242. ubi Muretum impudentius Ariſtotelem calumniatum fuiſſe dicit, ejusque ſententiam pluribus aliis argumentis ab Antonio Riccobono falſi convictam eſſe notat. de Hippodamo videſis Valeſium noſtrum ad Harpocration. pag. 40. ubi locum ex Scholiaſte Ariſtophanis etiam exhibet, & in Heſychio emendat εἰς Θοριακούς, quod licet idem ſit ac Θουρίους, ut paullo poſt hic ſcribendum monet, propius tamen inſiſtit veſtigiis vulgatae in Heſychio lectionis εἰς κατωρικούς; demta enim priore litera, ceterisque tranſpoſitis vera inde ultro elicitur ſcriptura.

rum Heſychius adhuc apertius eum Mileto Turios migraſſe ſcribit. Sic enim habet, Ἱπποδάμου νέμησις. τὸν Πειραιᾶ Ἱππόδαμος Εὐρυφῶντος παῖς ὁ καὶ μετεωρολόγος, διεῖλεν Ἀθηναίοις. οὗτος δ' ἐστὶν καὶ ὁ μετοικήσας εἰς σατυρικάς, Μιλήσιος ὤν. id eſt, *Hippodami diſtributio. Hippodamus Euryphontis filius, qui etiam Philoſophus fuit, Athenienſibus Piraeeum diviſit. Hic autem eſt, qui Thurios migravit, cum eſſet Mileſius.* Scribo igitur in Heſychio, εἰς Θουρίους μετοικήσας. Ab hoc Hippodamo forum in Piraeeo Hippodamiae nomen accepit. Ejus mentio fit apud Demoſthenem in Oratione adverſus Timotheum. Harpocration in Lexico, ἀγορὰν, inquit, φασὶν εἶναι ἐν Πειραιεῖ καλουμένην Ἱπποδάμειαν ἀπὸ Ἱπποδάμου Μιλησίου ἀρχιτέκτονος τοῦ οἰκοδομησαμένου τοῖς Ἀθηναίοις τὸν Πειραιᾶ. id eſt, *forum in Piraeeo ajunt eſſe Hippodamiam, ita dictam ab Hippodamo Mileſio architecto, qui Piraeeum Athenienſibus aedificavit.* ubi notabit ſtudioſus lector Scholiaſten quidem Ariſtophanis dicere, Piraeeum collectum & adunatum fuiſſe ab Hippodamo: Heſychius autem dicit Piraeeum ab eo diviſum fuiſſe ac diſtributum in vicos. Id enim ſignificat vox διελεῖν. Qua voce utitur Ariſtophanes in Avibus (v. 996.)

Γεωμετρῆσαι βούλομαι τὸν ἀέρα
Διελεῖν τε κατ' ἀγυιάς.

Ariſtoteles quoque in Lib. II Politicorum cap. 8. de noſtro Hippodamo loquens, ait Piraeeum ab eo diſſectum fuiſſe: ſic enim ait: Ἱππόδαμος δ' ὁ Εὐρυφῶντος Μιλήσιος ὃς καὶ τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν εὗρε, καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέτεμεν &c. quae verba Lambinus peſſime vertit hoc modo: *Hippodamus Euryphontis filius Mileſius qui & civitatum diviſionem reperit & Piraeeum muro ab urbe ſejunxit.* Atqui non id dicit Ariſtoteles, ſed tantum Piraeeum ab illo diſſectum fuiſſe, id eſt in varias regiones diſtributum, in porticus ſcilicet & fora, templa, vicos ac navalia, quod proprium eſt architecti.

CAPUT XI.

Heſychius correctus, rejecta Leopardi & Turnebi emendatione. Malaeotes Tyrrhenus. Pelaſgi. Erigonae tres.

QUam proclive ſit falli in emendandis veterum Scriptorum libris, illuſtri exemplo duorum doctiſſimorum hominum hic oſtendam. Hi ſunt Petrus Leopardus, & Adrianus Turnebus, Viri praeſtantiſſimi & de litteris optime meriti. Qui cum de oſcillis agerent, locum Heſychii adduxerunt, qui ſic habet: Αἰώρα· ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν οἱ μὲν ἐπὶ Τημαλέου τυράννου θύειν φασὶν, οἱ δὲ ἐπὶ Κλυταιμνήστρας καὶ Αἰγίσθου: οἱ δὲ ἐπὶ Ἠριγόνῃ Ἀλήτιδι τῇ Ἰκάρου. Paulus quidem Leopardus in Lib. VI. Emendationum Cap. 14. emendat, ἐπὶ τιμῇ Ἀλέου τυράννου: Turnebus vero in Lib XX. Adverſariorum Cap. 24. ἐπὶ τιμῇ Λέου. Sed pace doctiſſimorum hominum dictum ſit, uterque falſus eſt. Scribendum enim eſt in Heſychio, ἐπὶ τῷ Μαλέου Τυῤῥηνοῦ. Auctorem hu-

hujus emendationis habeo Scriptorem Magni Etymologici, qui in voce Ἀλῆτιν ſic habet: τινὲς τὴν Ἠριγόνην τὴν Ἰκαρίου θυγατέρα, ὅτι πανταχοῦ ζητοῦσα τὸν πατέρα ἠλᾶτο. οἱ δὲ Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας φασίν. οἱ δὲ τὴν Μαλεώτου τοῦ Τυῤῥηνοῦ θυγατέρα. Malaeotes Tyrrhenus ſeu Pelasgus regnavit olim in Italia, ejusque regia fuit in ora maritima, quae Regis villa dicebatur. Poſtea vero relicta Italia, una cum Pelasgis Athenas migravit, ut docet Strabo in Lib. V. (pag. 225. in fine) ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τόπος ἐστὶ καλούμενος Ῥηγισουΐλλα. ἱστορεῖται δὲ γενέσθαι τοῦτο βασίλειον Μαλεώτου Πελασγοῦ, ὅν φασι δυναστεύσαντα ἐν τοῖς τόποις μετὰ τῶν συνοίκων Πελασγῶν, ἀπελθεῖν ἐνθένδε εἰς Ἀθήνας. Sane Pelasgos olim in Atticam veniſſe, & ab Athenienſibus agrum Hymetticum colendum accepiſſe docet Herodotus in Lib. VI. (cap. 137.) eosdemque poſtea inde expulſos ab Athenienſibus, Lemnum commigraſſe. Sed difficultas eſt, idemne ſit Malaeotes Pelasgus cum Tyrrheno. Equidem non dubito quin idem ſit. Nam Pelasgi olim Tyrrheni dicti ſunt a multis, ut docet Dionyſius Halicarnaſſeus in Lib. I. (pag. 20. Ed. Sylburg.)

Altera difficultas eſt, quonam modo appellata fuerit haec Malaeotae filia. Ego Erigonam dictam fuiſſe ſuſpicor. Nam & illa Aegiſthi & Clytemneſtrae filia, quam Ἀλῆτιν vocatam eſſe dicebant, Erigona vocabatur, ut teſtatur Hyginus in libro de Fabulis Cap. CXXII. Tres igitur fuerunt Erigonae: Prima Icarii filia, ſecunda Aegiſthi, tertia Malaei ſeu Malaeotae.

CAPUT XII.

Characis fragmentum inluſtratum. Sileni & Marſyae ſtatuae in urbibus.

CHarax (*a*) Hiſtoricus fuit non contemnendus, cujus teſtimonio veteres Grammatici non raro utuntur. Ejus quemdam locum, qui ab Auctore Magni Etymologici adducitur, hic illuſtrare conabor. Sic igitur ille in voce Κολώνεια. φασὶ γὰρ τότε τὸν Διόνυσον τὸν ἐπὶ Τυῤῥηνοὺς ἀπιόντα πόλεμον, τοὺς γεγηρακότας τῶν Σειληνῶν μετὰ τῆς ἀχρήστου ἡλικίας ἐν Ἰταλίᾳ καταλιπεῖν. τοὺς δὲ τραπῆναι ἐπὶ ἀμπέλων ἐπιμέλειαν καὶ οἰνόφορον γενέσθαι τὴν Ἰταλίαν. τοὺς δὲ γεωργοὺς οἱ Ἰταλοὶ κολώνους ἐκάλουν. ὡς καὶ ἱδρύσασθαι τοιαῦτα ἀγάλματα οἰνοφοροῦντα ἐν ἀσκοῖς. ἐσπούδαζον δὲ καὶ ἃς ᾤκουν πόλεις οἱ Ἰταλοὶ, τιμὴν ταύταις παρέχειν, ἀνιστάντες δαίμονά τινα ὡς πρεσβύτην ὅμοιον Σειληνῷ, ἵνα καὶ τῇ κοινωνίᾳ τῶν ἱερῶν συγκραθῶσιν. αἱ δὲ πέδαι περιτιθέμεναι δηλοῦσι τὸ ὑπήκοον, τοῦ συνδεδέσθαι αὐτοῖς τὰς πόλεις τὰς ἐχούσας τὰ τοιαῦτα ἀγάλματα. *ajunt Bacchum cum proficiſceretur ad bellum contra Tyrrhenos, Silenos, qui ſenio confecti erant, cum reliqua inbelli aetate in Italia reliquiſſe: eos vero ad vitium culturam converſos effeciſſe, ut Italia vino abundaret. agricolas autem Itali colonos vocant. Ita-*

P

(*a*) De eo vide Voſſium Lib. III. de Hiſtoric. Graec. pag. 341. ubi nonnulla veterum Grammaticorum de hoc Charace teſtimonia, interque ea etiam Etymologici Magni locum profert.

Digitized by Google

Itaque Itali ſtatuas illorum ſimiles erexerunt, quae in utribus vinum portabant. Porro Itali urbibus, quas condebant, hunc honorem exhibere ſoliti erant, ut ſimulacrum Daemonis cujusdam, ſenis inſtar Sileni, publice erigerent; eo ſcilicet conſilio ut ſacrorum ſocietate ſe illis urbibus conjunctos eſſe oſtenderent. Compedes vero, quibus pedes circumligatos habent, obſequium atque obſervantiam ſignificant, & urbes quae hujusmodi ſtatuas habent, ipſis devinctas adſtrictasque eſſe.

Multa in hoc fragmento obſervanda ſunt. Primum ait Charax Bacchum auctorem coloniarum. Hunc enim primum Silenos ſuos, qui provecta erant aetate, in Italia collocaſſe, eosque eo quod vites coluiſſent, colonos eſſe dictos. Ait deinde Charax Italos, ut gratiam Silenis referrent, eorum ſtatuas vinum in utribus portantes erexiſſe. Addit denique Italos, id eſt, Romanos, quoties coloniam deducebant, ſtatuam Daemonis cujusdam veteli inſtar Sileni, in iis conſtituiſſe, idque magni honoris loco. Idem certe Servius ad Lib. IV. Aeneidos, (v. 58.) ad illa verba, *Patrique Lyaeo: Qui*, inquit, *ut ſupra diximus, apte urbibus libertatis eſt Deus. Unde etiam Marſyas miniſter ejus per civitates in foro poſitus, libertatis indicium eſt: qui erecta manu teſtatur nihil urbi deeſſe.* Marſyas enim Silenus fuit ex Bacchi comitibus. Sed inter Characem & Servium hoc diſcrimen eſt: Charax quidem Sileni ſtatuam indicium ait fuiſſe coloniae. Servius vero affirmat ſignum id fuiſſe urbis liberae ac ſui juris.

CAPUT XIII.

Plutarchus ex Cenſorino inluſtratus & emendatus. Magnus annus, ſive ſeculum. Senſus Eclogae quartae Virgilianae indicatus.

APud Plutarchum in vita L. Syllae (pag. 456. Ed. Francof.) locus eſt valde obſcurus, quem hic illuſtrare conabor in gratiam ſtudioſorum. Poſtquam enim multa retulit prodigia, quae paulo ante bellum civile Syllae ac Marii, contigerunt, haec addit: Τυῤῥηνῶν δὲ οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἑτέρου γένους ἀπεφαίνοντο καὶ μετακόσμησιν ἀποσημαίνειν τὸ τέρας· εἶναι μὲν γὰρ αὐτῶν ὀκτὼ τὰ σύμπαντα γένη διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι δι᾽ ἀλλήλων, ἑκάστῳ δὲ ἀφωρίσθαι χρόνων ἀριθμὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ συμπεραινόμενον ἐνιαυτοῦ μεγάλου περιόδῳ. καὶ ὅταν αὕτη σχῇ τέλος, ἑτέρας ἐνισταμένης κινεῖσθαί τι σημεῖον ἐκ γῆς ἢ οὐρανοῦ θαυμάσιον, ὡς δῆλον εἶναι τοῖς πεφροντικόσι τὰ τοιαῦτα καὶ μεμαθηκόσιν εὐθὺς, ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι καὶ θεοῖς ἧττον ἢ μᾶλλον τῶν προτέρων μέλοντες. Id eſt, *Etruſci autem Aruſpices reſponderunt alterius aetatis mutationem portendi, & renovationem hoc prodigio ſignificari. Eſſe enim ipſorum octo in univerſum ſecula, vita ac moribus inter ſe diſcrepantia. Unicuique autem ſeculo definitum eſſe a Deo certum annorum numerum, qui magni anni circuitu compleatur. Porro cum circuli finis acceſſerit & alterius initium adfuerit, ſigna quaedam admirabilia oriri ex terra aut è coelo, ita ut earum rerum periti ac ſtudioſi ſtatim agnoſcant homines natos eſſe, qui aliis moribus, alioque vivendi genere utantur, & qui plus vel minus, quam ſuperiores, Diis grati acceptique ſint futuri.*

Ex

Ex ritualibus Etruſcorum libris haec deprompta ſunt, ut docet Cenſorinus in Lib. de Die Natali Cap. 17. his verbis: *ſed licet veritas in obſcuro lateat, tamen in unaquaque civitate quae ſint naturalia ſecula, Rituales Etruſcorum libri videntur docere: in quibus ſcriptum eſſe fertur, initia ſic poni ſeculorum, quo die urbes atque civitates conſtituerentur, de his qui eo die nati eſſent, eum, qui diutiſſime vixiſſet, die mortis ſuae primi ſeculi modulum finire. Eoque die qui eſſent reliqui in civitate, de his rurſum ejus mortem qui longiſſimam aetatem egiſſet, finem eſſe ſeculi ſecundi, ſic deinceps tempus reliquorum terminari: ſed ea quod ignorarent homines, portenta mitti divinitus, quibus admonerentur unumquodque ſeculum eſſe finitum. Haec portenta Etruſci pro haruſpicii, diſciplinaeque ſuae peritia, diligenter obſervata in libros retulerunt. Quare in Thuſcis hiſtoriis, quae octavo eorum ſeculo ſcriptae ſunt, ut Varro teſtatur, & quot numero ſecula ei genti data ſint, & tranſactorum ſingula quanta fuerint, quibusque oſtentis eorum exitus deſignati ſint, continetur. Itaque ſcriptum eſt, quatuor prima ſecula, annorum fuiſſe centum & quinquo: quintum centum viginti trium: Sextum undeviginti & centum: ſeptimum totidem: octavum tum demum agi: nonum & decimum ſupereſſe. Quibus tranſactis finem fore nominis Etruſci.* Locum Cenſorini, licet prolixior ſit, integrum adſcripſi, eo quod maximam lucem afferat Plutarcho. Ambo enim de una eademque re loquuntur, ut patet tum ex Thuſcorum nomine, quo utuntur ambo Scriptores, tum ex prodigiis, quae fieri dicunt in mutatione ſeculi. Quod autem Plutarchus ait, unicuique aetati definitum eſſe a Deo numerum annorum, qui circuitu magni anni compleatur, idem prorſus dicit Cenſorinus, & inaequalia fuiſſe illa ſecula docet. Certe *annus magnus* apud Plutarchum nihil aliud eſt, quam ſeculum. Sic enim veteres vocabant, ut docet idem Cenſorinus in Cap. 16. *tempus autem, non diem tantummodo, vel menſem, vel annum vertentem appello, ſed & quod quidam luſtrum, aut annum magnum vocant, & quod ſeculum nominant.* Ceterum apud Plutarchum lego, εἶναι δὲ αὐτῶν ὀκτὼ τὰ σύμπαντα. id eſt, *Thuſcorum octo eſſe ſecula.* Cenſorinus quidem ex Varrone decem fuiſſe dicit. Sed quoniam rituales libri octavo Thuſcorum ſeculo conſcripti erant, ideo Plutarchus, aut is ex quo Plutarchus haec deſcripſit, octo tantum fuiſſe Thuſcorum ſecula exiſtimavit. Sibylla quoque decem ſecula hominibus aſſignat, quae per metalla dividit, & quis Deus per unumquodque ſeculum regnaturus ſit, monet; ut refert Servius ad Eclogam IV. Virgilii. Quare apud Plutarchum pro voce ὀκτὼ, libentius reſcripſerim δέκα. Porro ex his locis Plutarchi ac Cenſorini exponenda videtur quarta illa (a) Virgilii Eclo-

(a) De ſenſu hujus Eclogae quam multa ac diverſa viris doctis notata ſint, obſervare nihil adtinet. Recte Valeſius de renovatione ſeculorum & aetatis mutatione explicat. Nota enim ſunt, quae de converſionibus ſecularibus ac rerum inſtauratione Philoſophis veteribus, Stoicis praeſertim, tradita ſunt, de quibus multa erudita habet D. Heinſius in Introduct. in Heſiod. Oper. & Dies cap. 9. ubi totam hanc Maronis Eclogam circa illam periodorum revolutionem verſari monuit, & de diverſis ſeculorum commutationibus explicuit. Quae autem Conſtantinus, ſive potius ſub ejus nomine Euſebius, in Oratione ad Sanctor. Coetum cap. 19. & ſeqq. tradidit, tamquam Virgilius ex Sibyllinis carminibus ea de Chriſto vaticinatus eſſet, peculiari Oratione diſcuſſit ac refutavit Aug. Buchner. in Orationib. Academic. Vol. II. pag. 165. & ſeqq. licet huic opinioni etiam inter alios faveat Iſ. Voſſius de Sibyllin. Orac. cap. 5. Sed plures aliorum ſententias collegit ad initium illius Eclogae in notis ſuis Optimus ac Venerandus Patruus meus, cujus curae Virgilium egregiis ac diu deſideratis N. Heinſii aliorumque adnotationibus exornatum brevi debebunt Literati.

Digitized by Google

Ecloga. Ait enim naſcente Salonino Pollionis filio finiri ſeculum antecedens, & novum ſeculum inchoari.

> *Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,*
> *Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum*
> *Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo.* &c.

CAPUT XIV.

Fragmentum incerti Scriptoris emendatum. Callinus poëta pentametri inventor. Evenus, elegiographus. Mimnermus Colophonius. Ibycus poëta Lyricus. Euſebii Chronicon caſtigatum.

IN fragmento (*a*) incerti Scriptoris, quod Cenſorino adjungi ad calcem ſolet, locus eſt corruptiſſimus, quem mihi videor feliciter emendaſſe. Sic enim vulgo le-

(*a*) Fragmentum hoc incerti Grammatici, quod Cenſorino adſcribitur & vulgo adjicitur, ei abjudicatum eſt a Carrione, cum nihil ad Scriptoris illius de Die Natali librum pertineat, quem plerique ſecuti ſunt, quamquam in diverſa ab iis abeat Barthius, qui ſcriptum illud, licet ad Cenſorini opuſculum non faciat, ejusdem tamen auctoris eſſe oſtenſurum ſe aliquando promittit in notis ad Claudian. Mamertin. pag. 340. Quae in eo ex Cap. IX. hic feliciter emendata ſunt Valeſio, lubet nonnullis confirmare, & de Poetis illis veteribus, *Callino*, *Eveno*, & *Ibyco* quaedam notare, aliaque nonnulla ad locum hunc illuſtrandum addere, licet forte uberiora, quam notarum harum ratio patitur, bona cum Lectoris venia. Et quidem eadem in fragmento hoc emendatio venerat jam in mentem Jac. Nicol. Loënſi, viro eruditionis exquiſitae, Lib. X. Miſcellan. Cap. 1. ubi *Callini* & *Eveni* nomen huic loco reſtituit, quomodo & poſt eum corrigi juſſit Rich. Bentlejus ad Callimachi Fragmenta pag. 322. licet vulgata lectio defendi poſſet ex Iſacio Tzetze, qui in Prolegomenis Scholiorum ad Lycophronem ſimiliter ante Mimnermum recenſet Callimachum; ſed cum quo tamen ſaepe confuſus eſt Callinus, & unius Epigrammata alteri tributa ſunt: vid. Fabric. in Biblioth. Graec. Lib. III. cap. 19. pag. 484. ſed Loënſem ac Valeſium ſequamur praeſtat. Fuit autem Callinus ille elegiographus Poeta a veteribus paſſim memoratus, unde Καλλῖνος ὁ τῆς ἐλεγείας ποιητὴς Straboni vocatur Lib. XIII. pag. 614. & 627. hujus duo habentur Epigrammata Graeca in Antholog. Lib. I. pag. 25. & 40. Ed. Steph, ſed ubi ſcribitur Καλλῖνος. Apud Terentianum Maurum in Commeliniana Editione pag. 65. legitur *Callinoum*, quomodo etiam in Ed. Briſſaei, qui in notis pag. 81. b. alios *Callinorum* legere, ut hic Valeſius ſcripſit, notavit, addens ſibi de *Callineo* nuſquam alibi quidquam repertum eſſe, ſed de *Callino* aliquid e Strabone profert, quamvis ita, ut verum vidiſſe non videatur: nam metri neceſſitate *Callinoum* vocavit Terentianus, qui aliter *Callinus* erat dicendus. Vide Schottum ad Procli Chreſtomath. pag. 28. ubi plura de hoc *Callino* habet, & recte ejus nomen reſtituit Pauſaniae Lib. IX. cap. 9. pro quo vulgo illic Καλαῖνος ſcribitur, idque Sylburgio antea animadverſum recte probavit Kuhnius. Quaedam etiam de eo vid. apud Caſaub. ad Athen. Lib. XII. cap. 5. De *Mimnermo* agunt Paſſeratius & Broukhuſius ad Propert. Lib I. El. 9 11. *Eveni* autem poetae itidem elegiaci nomen pro vulgato *Euhemeri* (quod male in hoc loco agnoſcit Voſſius de Poet. Gr. pag. 59.) reponendum eſſe vidit etiam Nunneſius. Idem Loënſis eo, quem adduxi, loco errorem Gyraldi notat, qui ex corrupta hujus fragmenti ſcriptura deceptus duos fuiſſe *Euhemeros* perperam exiſtimabat, docetque e Suida duos fuiſſe poetas elegiographos *Evenos*, quod obſervavit etiam Rigaltius in notis ad Artemidor. pag. 6. Memoratur & Εὔηνος ἐλεγείας ποιητὴς apud Euſebium, cujus locum vide apud Valeſium noſtrum in notas Mauſſac. ad Harpocr. pag. 115. ubi & ex Arriano notavit Evenum laſcivi carminis poe-

tam:

Digitized by Google

legitur (in cap. 9.) *prior eſt muſica inventione metrica. Cum ſint enim antiquiſſimi Poëtarum Homerus, Heſiodus, Piſander, & hos ſecuti Elegiarii, Callimachus, Mimnermus, Eubemerus* &c. Vetus codex Ludovici Carrionis ſcriptum habet, *Gallinus Miner-*

tam fuiſſe. Superſunt quoque nonnulla ejus carmina apud Stobaeum, & in Anthologia Graeca: illud autem vulgatiſſimum Eveni epigramma, quod in fine capitis memorat Loënſis, legitur in Antholog. Lib. I. pag. 10.

> Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
> Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.

Ubi quod capro minatur vitis, poſtea faceta, ſed acerba, parodia in Domitianum tranſlatum eſt, poſtquam ille de vineis excidendis edictum propoſuerat, σοὶ τράγε mutato in Καίσαρι θυομένῳ, cui denunciat vitis, ſe, etiamſi ad radicem ab eo exciſa eſſet, tantum tamen vini producturam, quantum ei immolando ſufficeret, qui ſenſus eſt illorum verſuum apud Sueton. in Dom. cap. 14. ubi vide notas, & Miſcell. Obſerv. Vol. VI, Tom. II. pag. 382. & ex eo vertit Ovidius Lib. I. Faſt. v. 357. noto verſu, *Rode caper vitem* &c. ut poſt Politianum notavit etiam Schottus ad Proverb. Graec. pag. 369. In fragmento deinde optime a Valeſio noſtro, ejecto *Eupoli* Comico, reſtitutus eſt *Ibycus*, celebris ille, ſed calamitoſa morte infelix, inter veteres Lyricus poeta, de quo nonnulla vide apud Lindenbrog. ad Statium pag. 479. Locus ille ex Euſebii Chronico, in quo Ibyci nomen corruptum eſſe in fine hujus capitis monet Valeſius, habetur Num. MCCCCLXXVII. ubi memoratur *Hippicus carminum ſcriptor*, pro quo Scaliger in Notis pag. 95. teſtatur in Petaviano Codice legi *Bibicus*, & inde Arnaldum Pontacum Epiſcopum Vaſatenſem collegiſſe legendum *Ibycus*, & recte: quomodo etiam Salmaſius Scaligerum oblique traducens emendari juſſit ad Solin. Tom. I. pag. 52. Vid. Fabric. Biblioth. Graec. Lib. II. cap. 15. pag. 583. Sed & alia ſunt in eo Fragmenti loco, ad quae notari nonnulla merentur. Nam quod primis in verbis antiquiſſimi recenſeantur epici poëtae, *Homerus, Heſiodus, & Piſander*, pro ultimo *Terpander* reponendum cenſebat Cauchius, cujus emendationes in hoc fragmentum exhibentur in editione Schotti, qui addidit illud poſt Procli Chreſtomathiam, quae Obſervationibus ejus adnectitur. Ille autem, ut hoc in tranſcurſu addam, eſt Johannes Cauchius, vir eruditiſſimus, & non adeo conſulari dignitate, quam doctrinae elegantioris laude inter Trajectenſes quondam celebris, ut inter alia oſtendit Nepotis editio ab eo caſtigata, emendationes in Paulinum, quas ſubinde ad partes vocat in notis ſuis Fronto Ducaeus, & in Prudentium, quas in praefatione ſua praedicat valde N. Heinſius, tum hae ipſae in fragmentum hoc caſtigationes, aliaque, quae adjici poſſent iis, quae habent in Bibliotheca ſua Belgica Valerius Andreas, & Cel. Graevius poſt Orat. in Natal. Acad. Traj. pag. 397. qui ſcripta illius recenſent: Sed plura de eo brevi dabit in Trajecto ſuo Erudito propediem prodituro Ampliſſimus Patruelis meus, quem honoris & amicitiae ergo nomino, Caſparus Burmannus, apud Trajectinos Literarum noſtrarum inter paucos peritus fautor. Ceterum, ne devertar, vulgatam hujus loci lectionem non ſollicitandam, & fruſtra Cauchium pro *Piſandro* voluiſſe *Terpandrum*, evincit Tzetzes in Prolegomenis Schollorum ad Lycophronem: Γεγόνασι δὲ ὀνομαστοὶ ποιηταὶ πέντε, Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πανύασις, Ἀντίμαχος, καὶ Πείσανδρος, & Proclus in Chreſtomath. pag. 6. Ed. Schotti: Γεγόνασι δὲ τ᾽ ἔπους ποιηταὶ, κράτιστοι μὲν Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος &c. ubi vides antiquiſſimis poetis Homero & Heſiodo ſimiliter adjungi hunc Piſandrum, qui Rhodius fuit & Heracleam ſeu de rebus ab Hercule geſtis ſcripſit, licet nonnulli eum Heſiodo vetuſtiorem & Eumolpi aequalem ſtatuant. Vide de eo Munker. ad Hygin. pag. 309. & Voſſium de Poët. Graec. pag. 15. ubi etiam locum ex hoc Cenſoriniano fragmento citat. Verum idem pag. 75. recenſet alium juniorem Piſandrum ſub Alexandro Mammaeae filio, qui carmine ſcripſit ἡρωικῶν θεογαμιῶν, qua Jovis & Junonis nuptias celebraſſe dicit: ſed in eo fallitur Voſſius, cum carmen de Jovis & Junonis nuptiis ἱερὸς γάμος dictum fuerit, & ad antiquum hunc Piſandrum referendum ſit, ut patet ex Macrobio Lib. V. Saturn. cap. 2. qui tradit Homerum ex hoc Piſandri opere plurima ad verbum tranſcripſiſſe, unde & aetate Homerum ipſum anteceſſiſſe ſtatuendum eſſet: poema autem ἡρωικῶν θεογαμιῶν, quod memorat Suidas & Zoſimus Lib. V. cap. 19. Heroum ac Divarum nuptias deſcripſit, & juniorem Piſandrum Lycaonium habet auctorem. Vide Vales. ad Euagr. Lib. I. Hiſt. Eccles. cap. 20. & Thom. de Pinedo ad Stephan. Byzant. pag. 771. Terpander igitur inter Epicos illos poëtas referri nequit, cum ille Muſicis potius adnumerandus ſit, licet & carmina condiderit, quippe qui primus invenerit muſicos νόμους, & citharae ſeu lyrae modos conſtituerit, ac poëmatibus metra adjecerit. Ita in Chronico Epocharum

nervus Eurectus. Ego non dubito quin ſcribendum ſit, *Callinus.* Hic enim primus Pentametrum inveniſſe dicitur, ut tradit Terentianus Maurus in Lib. de metris.

Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor.
Quidam non dubitant dicere Callinorum.

Marius etiam Victorinus in Arte Grammatica Lib. III. (pag. 146. Ed. Commel.) idem ſcribit. Nam de Pentametro loquens ait: *quod inveniſſe fertur Callinous Epheſius. Alii vero Archilochum ejus auctorem tradiderunt, quidam Colophonium quemdam: ſuper quorum opinione apud Grammaticos magna diſſenſio eſt.* Colophonius ille, cujus nomen Victorinus reticuit, Mimnermus eſt, elegiarum Poeta celeberrimus, cujus meminit Strabo in Lib. XIV. (p. 643.) De Callino etiam Epheſio idem Strabo loquitur non ſemel. Supereſt igitur difficultas in *Eubemeri* nomine. Ego *Euenus* ſcribendum eſſe exiſtimo. Fuit enim Euenus Parius antiquiſſimus elegiarum Poëta, cujus etiam meminit Plato & Hyperides. Vide Harpocrationem in voce Εὔηνος. Porro quod ſcribit Marius Victorinus, Pentametri inventionem a nonnullis tribui Archilocho, idem quoque tradit Plutarchus in Libro de Muſica.

In eodem fragmento Scriptoris incerti ſequuntur haec verba: *mox Archilochus & Si-*

Graecarum in Marmorib. Oxoniens. pag. 166. Epoch. 35. Ἀφ' οὗ Τέρπανδρος ὁ Δερδένεος ὁ Λέσβιος τοὺς νόμους τοὺς λύρας καὶ αὐλῶν ἐδίδαξεν, ὃς καὶ αὐλῳδίας συνηύλησε. *A quo Terpander Derdenei filius Lesbius nomos Lyricos & auleticos docuit, quos cum tibicinibus ſimul tibiis cecinit.* ubi multa de νόμοις, qui muſicos modos notant, habet Seldenus pag. 170. & ſeqq. de qua voce vide & Doctorum notas ad Sueton. Ner. 20. ad quem locum nomi ſignificationem in muſica jam explicuit Dom. Calderinus in Face Critica Gruteri Tom. I. pag. 315. Clemens Alexandrin. Lib. I. Strom. pag. m. 133. Ed. Sylb. μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος. *Modos autem poëmatibus primus adjecit, & Lacedaemoniorum leges numeroſis verſibus ſcripſit Terpander Antiſſaeus.* ita haec vertit Gentianus Hervetus, cujus interpretationem recte quidem caſtigat Meibomius ad Ariſtoxeni Harmon. Elem. inter Muſicos Veter. pag. 76. vertens: *Lacedaemoniorum leges cantandas exhibuit.* ſed qui tamen ipſe verum non adſecutus eſt verborum ſenſum: per νόμους enim hic non indicari civiles leges, ſed cantilenas ſacras tunc Lacedaemone uſitatas, ac Terpandrum muſicae ſacrae in nomis illis adhibitae apud Lacedaemonios auctorem fuiſſe, intelligi in hoc Clementis loco optime oſtendit Lydiatus ad Marm. Oxon. pag. 190. Quin & citharae tres chordas quatuor prioribus adjecit Terpander, unde de eo refert Plinius Lib. VII. cap. 56. *citharam Amphion, vel ut alii Orpheus, invenit. Septem chordis tribus ad quatuor additis Terpander. octavam Simonides addidit, nonam Timotheus.* vid. & Plutarch. de Muſica pag. m. 1141. & hoc ipſe jactat in verſibus, qui leguntur in Euclidis Introd. Harmon. pag. 19.

Ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποστέρξαντες ἀοιδὴν,
Ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους.

De quorum interpretatione vide Meibom. in notis pag. 62. Plura egregia hac de re notavit nuper Erudi-
tiſſimus Auctor Criticae Vanni in Pavonem pag. 649-----655. Denique in fragmento prope finem Capitis
ad verba illa, *hos ſecuti muſici Timotheus, & Pondos & Hyperides & Follis,* merito notavit Carrio, vereri ſe,
ut nomina illa recte ſe habeant: pro *Pondos* Scaligerum *Polyidos*, & pro *Follis* emendare *Pollis*, exemplari
ſuo, quod in Leidenſi Bibliotheca ſervatur, adſcripſit Ger. Joh. Voſſius. Idem Cauchius legebat *Hippo-*
nax & Hyperides, & *Phyllis* pro *Follis* ex Plutarcho, teſte Nunneſio, qui *Hippoclides* conjiciebat. Seldenus
autem ad Marm. Oxon. pag. 216. nihil definiens in medio relinquit, an *Hyppodici* nomen in marmore,
aut *Hippici* in Euſebio, vel denique *Hippaſii* apud Martian. Capellam controverſum, huic loco medelam
ſubminiſtrent, an hinc accipiant. Sed quoniam haec alterius loci ſunt, & jam ſatis ſub manu excrevit
haec nota, pedem hic figo, ne plus juſto prolixior ſim.

Digitized by Google

Simonides trimetrum Jambicum, Chorium catalecticum, tetrametrum compoſuerunt. Archilochus etiam commata verſibus applicando variavit. Eupolis per plurimas ſpecies ſecuit; Alcman numeros etiam minuit in carmen. Eupolis Poëta Comicus nullum hic locum habere poteſt. In veteri codice Ludovici Carrionis ſcriptum eſt, *ea potius*. Ex cujus ſcripturae veſtigiis emendandum puto, *Ibycus*. Hic eſt inter Lyricos Poëtas nobilis, cujus etiam nomen corruptum eſt in Euſebii Chronico; illic enim vulgo ſcribitur *Hippicus*, pro *Ibyco*.

CAPUT XV.

Plutarchus aliquoties emendatus. Aphytis Thraciae urbs. Rhoſſus in Syria. Ipſus Phrygiae oppidum. ἐμβάδες *calciamentum tragicum. Plutarchi verſio caſtigata.*

Apud Plutarchum in vita Catonis Cenſorii (pag. 345.) leve mendum eſt, quod miror ab Interprete animadverſum non fuiſſe. Ubi enim de ejus Cenſura loquitur, ſic ait: προσέγραψε μὲν ἦν ὁ Κάτων τῇ συγκλήτῳ τὸν συνάρχοντα καὶ φίλον Λεύκιον Οὐαλλέριον Φλάκκον. Scribo προέγραψε, id eſt, *Principem Senatus legit Lucium Valerium Flaccum.* Male Interpres depravatam lectionem ſecutus interpretatur, *allegit in Senatum*, quaſi vero Valerius Flaccus, qui Cenſuram geſſerat, Senator nondum eſſet. Apud eundem Plutarchum in vita Lyſandri ſub finem, (pag. 444.) nomen urbis corruptum eſt. Sic enim vulgo legitur; πολιορκοῦντι τὴν τῶν Ἀφυγαίων πόλιν ἐν Θρᾴκῃ. & paulo poſt, ἐκέλευσε τοὺς Ἀφυγαίους Ἄμμωνι θύειν. Scribendum eſt procul dubio, Ἀφυταίων & Ἀφυταίους. quod jam alii obſervarunt. Eſt enim (*a*) Aphytis urbs Thraciae non obſcura, cujus meminit Thucydides & Heraclides in Libro de Rebus publicis. Stephanus ait in ea urbe fuiſſe oraculum Ammonis, quod oraculum poſt Lyſandri tempora inſtitutum fuit, ſi Plutarcho credimus.

In vita autem Demetrii (pag. 904.) corruptum eſt nomen urbis cujuſdam in Syria, ſic enim legitur: καὶ παρὼν ἤδη Φίλας τὴν γυναῖκα αὐτῷ περὶ Ὀροσσὸν ἀπήντησε Κίλιξ. Scribo, περὶ Ῥωσσόν. (*b*) Rhoſſus urbs eſt notiſſima ex Stephano, & Strabone.

(*a*) Ejus mentio eſt in Excerptis Lib. VII. Strabonis pag. 330. Ed. Caſaub. ubi in Iſthmo Potidaeam jacere dicens, addit paullo poſt: ἔχει δὲ πόλεις Ἄφυτιν, Μένδην, Σκιώνην &c. easdem etiam urbes cum Aphyti conjungit Herodotus Lib. VII. cap. 124. quae confirmant Salmaſii emendationem in Scylacis Periplo pag. 62. Καὶ πόλεις αἵδε ἐν τῇ Παλλήνῃ· Ἐμπίδες· Ποτίδαια ἐν τῷ μέσῳ τὸν Ἰσθμὸν ἀποτειχίζουσα, Μένδη, Ἄφυτις, Θραμβηΐς, Σκιώνη. male vulgo Μένδη, Ἄφυσις. & recte Salmaſii emendationem probavit Iſ. Voſſius. Ad Thucydidis locum, qui eſt Lib. I. cap. 64. etiam Eruditiſſ. Waſſe notavit Ἀφυταίους in Plutarchi verbis corrigendum eſſe. Ceterum ad oraculum Ammonis in Aphyti referendus Jamblichi locus de Myſter. Aegypt. Sect. III. cap. 3. ubi Galeus in notis pag. 219. obſervat nomen hujus urbis corruptum vulgo legi apud Plutarchum in Lyſandro, innuens hunc ipſum Plutarchi locum; quamquam id Xylander in Adnotationibus ſuis pag. m. 38. diu jam corrigendum monuerat, ubi & nonnulla alia de hac urbe obſervavit, cujus emendatio hic confirmatur a Valeſio. Vide ad Stephani locum Berkelii & Holſtenii notas.

(*b*) De ea vide Holſten. in notis ad Stephan. Byzantin. pag. 276.

ne. Ejusdem mentio ſit in tabula Peutingerorum. Sequitur paulo poſt, οὐ μὴν ὑπέπτηξε Δημήτριος, ἀλλὰ φήσας οὐδ' ἂν μυριάκις ἡττηθῇ μάχας ἄλλας, ἐνθήσω γάμβρον ἀγαπήσειν ἐπὶ μισθῷ Σέλευκον. Interpres hunc locum ita vertit: *Nihil trepidavit tamen Demetrius, ſed, ut ſexcentis pugnis aliis, inquit, victus ſim, non (a) inducam in animum ut Seleuci affinitatem amplectar mercede.* Corrupta ſunt haec verba, ἐνθήσω &c. quae interpres de induſtria praetermiſit. Sed ex Codice Vulcobiano ſcribendum eſt, μάχας ἄλλας ἐν Ἴψῳ. Ad Ipſum Phrygiae oppidum paulo ante victus fuerat Demetrius, una cum patre Antigono, ut refert Plutarchus; qui tamen, quo in loco pugna illa conſerta fuerit, illic (b) reticuit. Meminit tamen Appianus in Syriaco, (p. 197. Ed. Toll.) ubi de proeliis Seleuci Nicatoris loquitur: τὸ δὲ πρότερον Ἀντιγόνου περὶ Ἴψον τῆς Φρυγίας, αὐτῷ στρατηγοῦντι καὶ αὐτῷ μαχομένῳ καίτοι ὑπὲρ ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονότι. In ejusdem Demetrii vita (pag. 909.) legitur hic locus de luxu Demetrii in veſtibus & calciamentis: ἦν δὲ ὡς ἀληθῶς τραγῳδία μεγάλη περὶ τὸν Δημήτριον, οὐ μόνον ἀμπεχόμενον καὶ διαδέμενον περιττῶς καυσίαις διμίτροις, καὶ χρυσοπαρύφοις ἁλουργίσιν, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῖς ποσὶν ἐκ πορφύρας ἀκράτου συμπεπιλημένης χρυσοβαφὰς πεποιημένον ἐμβάδας. Interpres ita vertit: *& erat revera ingens circa Demetrium Tragoedia, qui non ſolum amiciebat ſe & caput ornabat nullo exemplo dimitris cauſiis atque auro intertextis purpuris: verum etiam pedibus adhibuit auratas ex pura purpura compacta ſoleas.* Non probo, quod ἐμβάδας *ſoleas* interpretatur; nam embades, ſicut & cothurni, tragicum eſt calciamentum, teſte Polluce; qui alio etiam loco embadas cothurnis ſimiles fuiſſe dicit. Certe Demetrium tragico more calciatum fuiſſe ſcribit Plutarchus. Deinde pro voce χρυσοβαφεῖς, quae nullum hic ſenſum habet, ſcribo χρυσουφεῖς, id eſt, *auro intextas.* Verba autem illa, ἐκ πορφύρας ἀκράτου συμπεπιλημένης, ita vertenda ſunt, *ex pura purpura contrita.* Ex muricibus enim & conchyliis contritis cruor elicitus veram ac germanam purpuram faciebat: falſa autem purpura aliis fucis admixtis conficiebatur, ut docet alicubi Joannes Chryſoſtomus.

(a) In hac verſione Interpres ſecutus eſt Budaeum in Comment. Ling. Graec. pag. m. 339. qui ex corrupta Plutarchi ſcriptura cenſuit ἐνθήσω hic ſignificare, *in animum induco*, ſed quem recte Henr. Stephanus in Adnotation. pag. 88. b. licet cum elogii meritiſſimi honore, refutavit, ex cujus nota patet, eum odoratum quidem fuiſſe majus in adfecto Plutarchi loco latere ulcus, ſed veram & oportunam adhibere ipſi non potuiſſe medicinam, quam feliciter hic ex veteri codice eruit Valeſius.

(b) Refert id tamen, facta Ipſi oppidi mentione, in vita Pyrrhi pag. 384. vide Cl. Weſſeling. ad Hierocl. Synecd. pag. 677.

HENRICI VALESII EMENDATIONUM

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Aelianum de inſtruenda acie diverſum eſſe ab Aeliano Sophiſta, cujus variam Hiſtoriam & libros de Animalibus habemus. Aelianum Sophiſtam ſub Alexandro Severo, non ſub Hadriano floruiſſe.

AElianus, (*a*) qui de inſtruenda acie elegantem librum conſcripſit, vulgo unus idemque eſſe creditur cum Aeliano illo Sophiſta, cujus vitam ſcripſit Philoſtratus. Certe Geſnerus, qui Aeliani opera omnia ſimul excudit, in ea fuit ſententla, licet aliquos contrarium ſentire ipſe teſtetur in editionis ſuae veſtibulo. Nam cum argumenta, quibus illi opinionem ſuam fulcirent, ſibi adhuc ignota & incomperta eſſe dicat, maluit vir doctus pervulgatam opinionem amplecti, quam de inquirenda veritate amplius laborare. Ego vero, quod ab illis hominibus minime praeſtitum ſuit, hic implere conabor, & Aelianum, cujus liber de re militari, longe differre ab Aeliano Sophiſta manifeſtiſſime convincam.

Primum igitur inquirere debemus, quonam tempore vixerit Aelianus Sophiſta: ex hujus enim rei ignoratione tum Geſneri, tum aliorum error exortus eſt, qui

(*a*) Quae hic egregie Valeſius de conſtituenda aetate Aeliani, qui Tactica ſcripſit, differit, optime refutant Gesneri errorem, qui Variam Aeliani Hiſtoriam, libros de Animalibus, itemque Tactica unum & eumdem habere auctorem perperam cenſuit. Ejus errori ſubſcripſerunt itidem alii, ut Gillius, Sixtus Arcerius initio notarum ad Aelianum de Inſtruendis aciebus, tum Voſſius pater de Hiſtor. Graec. Lib. II cap. 21. qui etiam eumdem cenſent, atque illum, qui Martiali Lib. XI. Ep. 41 & Lib. XII. Ep. 24. laudatur, & *facundus Aelianus* vocatur. Sed haec jam refutavit erudite & operoſe Perizonius in doctiſſimis Prolegomenis ad Aeliani Variam Hiſtoriam, ubi invictis argumentis demonſtravit Aelianum Tacticorum auctorem natione Graecum, non vero Romanum fuiſſe, ac Scriptorem Variarum Hiſtoriarum & de Animalibus integro prope ſeculo anteceſſiſſe: quibus non parum ponderis adferunt, quae in tribus prioribus hujus libri capitibus hic differit Valeſius. Perizonii ſententiam etiam confirmavit Olearius ad Philoſtrat. Lib. II. de vitis Sophiſt. num. 31. & Celeb. Fabricius in Biblioth. Graec. Vol. III. Lib. IV. cap. 21.

Aelianum Sophiſtam principatu Hadriani vixiſſe exiſtimarunt, cum tamen Aelianus Sophiſta temporibus Hadriani Imperatoris nondum in lucem editus eſſet, ut mox oſtendam. Philoſtratus quidem in Lib II. de vitis Sophiſtarum, tempus ipſum expreſſe non dicit, quo vixerit Aelianus. Ex iis tamen, quae de Aeliano commemorat, aetas illius non difficile elici poteſt. Primo enim ſcribit Philoſtratus, Aelianum Pauſaniae fuiſſe diſcipulum. Fuit autem Pauſanias auditor Herodis Attici. Quare cum conſtet Herodem Atticum (*a*) Marco Imperatore floruiſſe, circa Severi tempora Aelianus Pauſaniam audierit, neceſſe eſt. Deinde ſcribit ibidem Philoſtratus, cognominem ſuum Philoſtratum Lemnium, cum Aeliano lucubranti forte ſuperveniſſet, eumque vehementiſſime concitatum reperiſſet, quaeſiſſe ab eo, quidnam tanto impetu moliretur? tum Aelianum dixiſſe, ſcribere ſe accuſationem Gynnidis: ſic autem vocabat Imperatorem Rom. qui paulo ante Romano imperio infamiae labem morum turpitudine inuſſiſſet. Quaerendum hic eſt a nobis, quiſnam ille ſit Imperator effeminatus, contra quem Aelianus ſicam ingenii ſui deſtrinxerat. Ego Antoninum Elagabalum eſſe exiſtimo, cui certe cognomentum Gynnidis belle convenit. Cur autem ita cenſeam, cauſa haec eſt. Philoſtratus Lemnius, regnante Antonino Caracalla, quartum ac viceſimum aetatis annum egit, ut teſtatur Philoſtratus in vita Philiſci Sophiſtae. Ponamus igitur Philoſtratum Lemnium anno aetatis ſuae triceſimo tertio, Aelianum Romae conveniſſe, eique ſententiam ſuam de libro, quem Aelianus in manibus habebat, libere aperuiſſe. Incidet tum ea res in tempora Alexandri Severi, qui Elagabalo ſucceſſit. Certe veriſimile eſt Philoſtratum tunc, cum Aelianum adeo gravi cenſura perſtrinxit, annum aetatis triceſimum exceſſiſſe: neque enim tanta libertas & gravitas in juvenilem aetatem cadere poſſet. Quare cum conſtet ex iis, quae diximus, Aelianum Sophiſtam floruiſſe temporibus Alexandri Severi, non poteſt idem eſſe cum eo, qui de re militari ſcripſit. Etenim Aelianus is, cujus liber extat de re militari, vixit principatu Imperatoris Hadriani, eique librum ſuum nuncupavit. Quin etiam in praefatione operis ſui teſtatur ſe cum D. Nerva Auguſto Formiis congreſſum eſſe in domo Frontini viri Conſularis. Porro a principatu Nervae ad Imperium Alexandri Severi interſunt anni plus minus centum ac viginti.

CAPUT II.

Iterum de tempore quo Aelianus Sophiſta vixit. Dionis Hiſtorici aetas. Aelianus de Animalib. emendatus. Gillius notatus.

SUnt & alia argumenta quibus id ipſum probari poteſt. Aelianus Sophiſta in Lib. X. de Animalibus Cap. 1. auctorem laudat Dionem, eum, qui res Romanas ſcripſit. Verba ejus ſunt: ἀνὴρ τῶ τοῦτον ἄρξας οὐκ ἄπειρος δύναμιν λαβὼν ἐκ βασιλέως

(*a*) Vide Salmas. in Comment. ad Inſcript. Regillae pag. 15. in Crenii Muſ. Philolog. Tom. II. & multa apud Olearium ad Philoſtrat. de Vit. Sophiſt. Lib. II. cap. 1.

λέως τῶν Ῥωμαίων πάλαι, Ἀλέξανδρος ὄνομα, καὶ σταλεὶς ἐς τὴν θήραν κατά τι ἔθος τοῖς Μαυρουσίοις ἐπιχώριον, φησὶν ἐν συγγραφῇ Δίων. Vixit autem Dio temporibus Alexandri Severi, & uſque ad ejus principatum hiſtoriam ſuam perduxit. Quod ſi quis dicat Dionem Chryſoſtomum hic intelligi poſſe, qui vixit ſub Nerva, huic ego Aeliani verba opponam. Ait enim Aelianus, ἐν συγγραφῇ Δίων, id eſt *Dio in Hiſtoria ſua.* Ex quo apparet eum de Dione Hiſtorico, non de Philoſopho loqui. Adde quod Aelianus dicit Dionem de vetere quodam Imperatore Romano loqui, quod certe cadere non poteſt in Dionem Chryſoſtomum. Sic enim interpretor illa Aeliani verba τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων πάλαι: niſi forte quis malit legere uno verbo Παλαιαλέξανδρος ὄνομα; ut ſenſus ſit, virum illum, qui ab Imperatore Rom. miſſus fuerat ad Elephantorum venationem, Palaealexandrum dictum fuiſſe. Porro Gillius in hujus loci verſione omiſit haec verba, ὡραίαν ὡς ἐκεῖνοι, quae tamen magnam habent elegantiam: id eſt, *formoſam, ut Elephanti formoſi eſſe poſſunt.* Ita Aelianus in Lib. IV. de Animalibus cap. 54. παῖδα ὡραῖον, ὡς ἂν Αἰγύπτιον: quae Gillius recte vertit hoc modo, *formoſum puerum, ut Aegyptii formoſi eſſe poſſunt.*

CAPUT III.

Aelianum Sophiſtam auctorem eſſe librorum de Animalibus, & ab eo diverſum Tacticorum Scriptorem.

SUperiori capite Aelianum Sophiſtam auctorem eſſe dixi librorum de Animalibus. Dubium tamen movet Philoſtratus, qui diſerte ſcribit Aelianum Sophiſtam gloriari ſolitum, quod ex Italia numquam pedem moviſſet, nec in navem aſſcendiſſet, nec mare umquam vidiſſet. Atqui Aelianus in Lib. XI. de Animalibus, capite ultimo, affirmat vidiſſe ſe Alexandriae in luco Jovis vitulum quinque pedes habentem. Quod certe convenire non poteſt cum iis quae tradit Philoſtratus. Idem in Lib. II. cap. 56. ſcribit ſe, cum Neapoli Puteolos proficiſceretur, vidiſſe ranas pluere. Proinde, aut Philoſtratum falli neceſſe eſt, aut Aelianus, qui de Animalibus ſcripſit, diverſus eſt ab Aeliano Sophiſta, de quo Philoſtratus Nihilominus tamen in eadem ſententia maneo, & Aelianum, de quo Philoſtratus loquitur, illum ipſum eſſe, cujus libri de Animalibus habentur, pro certo habeo. Nam & ſtilus Sophiſtam redolet, planeque ſimplex eſt & nitidus, qualem Aeliano Sophiſtae tribuit Philoſtratus. Adde quod in Epilogo totius operis ſatis ſe Sophiſtam fuiſſe innuit, non eum quidem qui publice declamaret, ſed qui arcana naturae rimari, eaque aut ſtricta aut ſoluta numeris Oratione eleganter exponere ſtuderet, & qui hanc gloriam cunctis opibus & dignitatibus anteferret. Quod certe egregie convenit cum illis, quae de Aeliano Sophiſta narrat Philoſtratus, illum ſcilicet, relicto declamandi ſtudio, cui ſe minus idoneum eſſe cognoverat, ad ſcribendum ſe contuliſſe, atque ex eo magnam ſibi gloriam comparaſſe.

Quod vero idem Philoſtratus ſcribit, Aelianum ex Italia numquam pedem extuliſſe, falli eum exiſtimo: cui enim potius fidem adhibemus, quam Aeliano de ſemetipſo loquenti? Fuit certe Philoſtratus parum diligens in ſcribendis Sophiſtarum vitis, quippe qui ea tantum retulerit quae auditu acceperat, ut ipſe teſtatur. Caeterum vel ex Epilogo librorum de Animalibus apparet, auctorem eorum librorum alium eſſe ab illo, qui ſcripſit de re militari. Hic enim cum Imperatore Nerva familiariter ſe verſatum eſſe dicit, & Imp. Hadriano opus ſuum nuncupavit. At ille Hiſtoriae Animalium ſcriptor in calce operis ſui diſerte affirmat, ſe ab aula & palatio procul vixiſſe, ſola ſcribendi gloria contentum. Unde nec libros ſuos de Animalibus, nec de Varia Hiſtoria cuiquam nuncupavit; adeo ab omni ambitione erat alienus. Denique in Manuſcripto Codice Bibliothecae Regiae, quem vidi, Aeliani liber de re militari inſcribitur, Ἀιλιανῦ τῦ φιλοσόφυ, qui titulus non convenit Sophiſtae. Scio Aelianum in Lib. II. de Animalibus Cap. 11. ſeipſum vocare, φιλοσοφῦντα ἄνδρα, ſed aliud eſt philoſophari, aliud Philoſophum eſſe.

CAPUT IV.

Aelianus de Animalibus emendatur. Jëtae incolae inſulae Jös. Arionis hiſtoria ubi contigerit.

DE duobus Aelianis abunde diximus; nunc emendandis aliquot locis editionis Tigurinae operam impendamus. Primum ſe nobis offert locus quidam ex Lib. II. de Animalibus Cap. 6. ubi tractans de amore, quo Delphini & muſicam & homines proſequuntur, ſic ait: τὴν τῶν Δελφίνων φιλομυσίαν, καὶ τὸ τῶν αὐτῶν ἐρωτικὸν, τὸ μὲν ᾄδυσιν Ἀιγύπτιοι, καὶ ὁμολογῦσιν αὐτοῖς Λέσβιοι: τὸ δὲ Τηΐται. τὰ μὲν Ἀρίονος τῦ Μηθυμναίυ ἐκεῖνοι: τὰ γε μὴν ἐν Τηΐῳ ὑπὲρ τῦ παιδὸς τῦ καλῦ, καὶ τῆς μίξεως αὐτῦ καὶ Δελφῖνος, οἱ ἕτεροι. Id eſt, *quanto muſicae & quanto puerorum amore flagrent Delphini, tum Aegyptii canunt, quibus aſſentiuntur Lesbii, tum Teitae. & illi quidem hiſtoriam Arionis Methymnaei referunt, hi vero de Delphini amore erga puerum formoſum in Teio.* Hic non ſine cauſa quaeret aliquis, qui ſint Teitae. Eſt quidem Tium urbs Paphlagoniae; ſed hujus incolae dicuntur Tiani, teſte Strabone ac Stephano. Eſt etiam Teos oppidum Joniae: verum ejus cives dicuntur Teii, non autem Teitae. Quare non dubito quin Aelianus ſcripſerit, τὰ δὲ Ἰῆται. & paulo poſt: τάγε μὴν ἐν τῇ Ἴῳ. Jös inſula eſt Cycladum notiſſima, cujus incolae dicebantur Jëtae. Quidam tamen non in inſula Jö, ſed in Jaſo Cariae id contigiſſe narrant: atque ita Aelianus ipſe in Lib. IV. cap. 15. ubi totam hiſtoriam elegantiſſime deſcribit. In eodem capite 6. Lib. II. mendum eſt in hac voce, ἐν τῇ καλυμένῃ Πληροσελήνῳ πόλει: ſcribo, Ποροσελήνῳ, ex Geographis.

CAPUT V.

Aelianus de Animalibus inluſtratus. Gillius reprehenſus. Ἐξελίττειν *verbum militare idem quod Latinis* ſubducere. *Stibadia lecti convivales.*

IN Libro II. ejuſdem operis Cap. 11. ubi de ſaltatione Elephantorum in theatro agit, haec leguntur verba: οἵδε ἐπὶ στοῖχον ᾔεσαν, εἰ τοῦτο ἐκέλευσεν ὁ διδάξας. εἶτ' ἂν πάλιν περιήρχοντο εἰς κύκλον ὑποσημήναντος ἰέναι ταύτῃ. καὶ εἰ ἐξελίττειν ἔδει, ἔπραττον αὐτό. quae poſtrema ita vertit Gillius, *eundemque orbem ad imperantis vocem demo ſolvebant ac explicabant.* Sed pace ejus dixerim, non videtur mihi ſatis expreſſiſſe ſenſum Aeliani. Ἐξελίττειν (*a*) verbum eſt proprium rei militaris, tranſlatum poſtea ad ſaltationem: Fit autem ἐξελιγμὸς, cum ex prima acie in poſtremam, vel ex poſtrema acie in primam milites ſubducuntur, ut docet Aelianus in libro de re militari (cap. XXVI.) Id Latini dicebant *ſubducere*, ut jampridem notavi ad Fragmenta Polybii noſtri, ubi Caſaubonum reprehendi, qui ἐξελίττειν ſemper interpretatus eſt, *explicare*, perinde ac Gillius hoc loco. Melius certe vertiſſent, *evolvere*, uti vertit Robertellus. Verto igitur in Aeliano: *tum ſi ſubducere opus eſſet, ſtatim id faciebant.* Sequitur mox apud Aelianum, χαμαιζήλων κλινῶν ὡς στιβάδες ἐν τῇ ψάμμῳ τοῦ θεάτρου τεθεῖσαι. quae peſſime vertit Gillius hoc modo, *in theatri arena humiles lecticas ſpectare, & eis impoſitos lectos.* Intelligit Aelianus humiles lectos convivales, qui *ſtibadia* (*b*) ſeu accubita dicebantur, ut docet etiam Suidas.

CAPUT VI.

Aelianus inluſtratus. Stipem petere.

AElianus in Lib. VI. de Animalibus cap. 10. ſcribit Aegyptios regnantibus Ptolemaeis docuiſſe Cynocephalos ſaltare ac tibia canere: ac Cynocephalos ſtipem ſibi a ſpectatoribus collatam, in marſupium, quod collo geſtabant, injeciſſe.

Q 3 οἱ

(*a*) Vide Arcerii notas pag. 144.

(*b*) Ita Servius ad Virgil Aen. I. v. 702. *Antiqui ſtibadia non habebant, ſed ſtratis tribus lectis epulabantur.* ubi quae *ſtibadia* vocat Servius, *accubita* adpellat vetus Juvenalis Scholiaſtes, cujus verba profert Salmas. ad Hiſt. Aug. pag. 186. eaque aliter *Sigmata* vocari pluribus inluſtrat, de quibus vide quae notabimus infra ad h. l. cap. ult.

Digitized by Google

ὡς οἱ τῶν ἀγειρόντων δεινοί. Gillius vertit, *tanquam peritus aliquis mendicus.* Mihi non videtur ſatis explicare vim vocis Graecae. Neque enim ſimplices mendici hic intelliguntur, ſed qui ſtipem quocumque nomine poſcebant. Alii enim religionis nomine ſtipem petebant, ut Galli Matris Idaae, qui Μητραγύρται dicebantur. Tertullianus in Apologetico, *circuit cauponas religio mendicans.* Tales erant olim in Graecia Coroniſtae: Alii ob lupos caeſos ſtipem poſcebant, ut notavi in Legibus Athenienſium; alii ob victoriam. Aelius Dionyſius apud Euſtathium in Odyſſ —— ἀγείρειν τὸ ἀθλῆσαι καὶ στεφανοῦν ἐπὶ νίκῃ, ἢ ἑτέρῳ τινὶ τοιούτῳ. Porro pecunia, quae dabatur ob ſpectaculum cujuſpiam animalis, Latini *ſtipem* vocabant. Hinc jocus Auguſti (*a*) in eum, qui ipſi aliquid timide offerebat; *Videris,* inquit, *porrigere Elephanto ſtipem.*

CAPUT VII.

Aelianus emendatus. Hipparchi aetas. διφθέρα, *ſegeſtrum.*

LEve mendum eſt in Lib. VII. cap. 8. ſed quod ſenſum totius loci mirifice corrumpit. καὶ Ἵππαρχος μὲν ἐπὶ Νέρωνος τοῦ τυράννου καθήμενος ἐν θεάτρῳ, καὶ φορῶν διφθέραν, ὅτι τὸν μέλλοντα χειμῶνα ἐκ τῆς παρούσης αἰθρίας προηπίσατο, ἐξέπληξε καὶ ἐθαύμαζε Νέρων αὐτόν, καὶ Νικαεῦσι τοῖς Βιθυνοῖς συνήδετο ὅτι Ἱππάρχου πολίτου ἔτυχον. Scribe meo periculo, ἐπὶ Ἱέρωνος. & paulo poſt, ἐθαύμαζεν Ἱέρων αὐτόν. Nam Hipparchus Aſtronomus ille celeberrimus non vixit Neronis tempore, ſed tempore Hieronis Syracuſarum Tyranni, id eſt Olympiade circiter triceſima ac centeſima. Porro hujus loci ſenſum Gillius non intellexit, quem nos in gratiam ſtudioſorum hic exponemus. Ait igitur Aelianus bruta animalia venturos imbres admirabili ſagacitate praeſagire; idque comparatione Hipparchi & Anaxagorae eleganter exaggerat in hunc modum: *& Hipparchus quidem*, inquit, *temporibus Hieronis tyranni in theatro ſedens, & ſegeſtro amictus, eo quod ſereno coelo imbrem futurum praeſenſiſſet, omnes obſtupefecit: admiratuſque ipſum Hiero, gratulatus eſt Nicaeenſibus Bithynis, quod Hipparchum civem haberent. Anaxagoram quoque, qui ſegeſtro indutus Olympia ſpectabat, effuſo mox imbre omnis Graecia celebravit, & divino quodam animi ſenſu praeditum eſſe jactavit. Quod vero ingruente pluvia bos in dextrum latus ſeſe inclinat: idemque, cum ſerenitas redit, in ſiniſtrum decumbit latus, nemo eſt qui admiretur.* Διφθέρα *ſegeſtrum* verti, ſecutus Latinos auctores, qui ita loquuntur. Ita Suetonius in Auguſto, (cap. LXXXIII.) ubi

(*a*) Apud Sueton in ejus vita cap. 53. ubi Caſaubonus videndus, qui hunc ipſum Aeliani locum profert, eumque ex Galeni loco huic perquam adfini inluſtrat. de ſtipe, quam petunt mendicantes, ſimiliter idem Sueton in Aug. cap. 91. *Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum aſſes porrigentibus praebens.* ubi vide notas.

ubi vide quae notavit (b) Caſaubonus. Hujuſmodi pelliceas veſtes antiqui ſumere ſolebant ad vitandos imbres, ſicut hodie mendicos ex Hiſpania geſtare videmus. Iam illa Aeliani verba, θαυμάζει τις ἢ ἰδὼν, non mediocrem habent elegantiam. Caeterum etſi Alianus non dicit, ubinam Hipparchus id fecerit, utrum Syracuſis, an in patria; mihi tamen probabilius videtur, Hipparchum id feciſſe Nicaeae; cumque ejus rei fama usque ad Hieronem perveniſſet, Hiero literas ſcripſit Nicaeenſibus, gratulatus, quod talem civem haberent.

CAPUT VIII.

Aelianus emendatus.

IN ejusdem Libri cap. 9. lacuna eſt, quam Gillius, vir licet eruditiſſimus, ſupplere non potuit. ὁμολογεῖσθω δὲ τὴν ἄλλων μὲν &c. ſcribo: ὁμολογεῖσθω δὲ τὴν αὐτῶν ἀκριβῆ διάγνωσιν ἐξ ἄλλων μὲν, ἐκ τούτων δὲ ἔτι καὶ μᾶλλον. id eſt, *& ſagacitatem illorum accipitrum, tum ex aliis, tum ex his maxime argumentis deprehendi.* Certe quin hic ſit Aeliani ſenſus, dubitari non poteſt: Paulo poſt enim ſubjicit Aelianus haec verba: καὶ ἥγε διαφορότης ἡ προειρημένη τῆς τροφῆς, ὁμολογεῖ ὅτι τὸ ἁρμόδιον ἡλικίᾳ ἑκάστῃ ἴσασιν. &c. In cap. 15. ejusdem Libri, unius apicis depravatio totam ſententiam obſcuravit. Refert ibi Aelianus facinus matronae cujusdam Romanae, Laenillae nomine, quae ſervi amore capta, cum a filiis ſuis Senatorii ordinis viris eo nomine objurgaretur, amoris ac doloris ſimul impatientia teterrimum facinus admiſit. Filios enim

(a) Ad cujus notam in hunc Suetonii locum cum elogio Viri inter rei Literariae principes cenſendi lectorem etiam remittit Franc. Douſa ad Lucilium pag. 129. ubi de *Segeſtri* agit, & Turnebum refutat, qui *Segeſtre*, a *Sago*, ſcribi volebat, quem vid. Lib. XII. Adverſ. cap. 16. verum *Segeſtre* a ſegetibus deducit Varro, ad quem vide Scaligeri Conjectanea pag. 66. ceterum recte Valeſius διφθέραν in hoc Aeliani loco vertit *Segeſtre*: nam ita in Gloſſis veteribus: *Segeſtre*, διφθέρα, διφθέρα πλοίου. & in Gloſſario Latino Graec. apud Vulcan. pag. 195. *Segeſtrum*, Στέγαστρον, Τετριμμένον δέρμα; ubi Vulcanius in notis pag. 63. emendat περιδέρμαιον, vel potius γεγάδερμον, i. e. *vetus pellis*: cui ſic corrigendum praeivit Scaliger ad Feſtum pag. 56. ejusque emendationem probavit Labbaeus, qui in Gloſſario pag. 671. ita exhibuit: *Segeſtrum*, Στέγαστρον, γεράδερμον. διφθέρα πλοίου. διφθέρα στέγαστρον, licet Caſaubonus ad hunc Suetonii locum, ut in Caſtigationibus ſuis pag. 241. monet Labbaeus, cenſuerit legendum, Στέγαστρον, γεράδερμον, quia *ſegeſtrum* eſt στεγαστρὶς διφθέρα. Vide plura de ſegeſtri apud Voſſium in Etymologico pag. 462. Ideo autem διφθέρα *Segeſtre* dicitur, quia hujusmodi veſtes ſeu ſagae pelliceae fiebant ex pellibus, quales διφθέρας ruſtici in Comoediis adhibebant, iisque tunicis ex pellibus factis ſervi & tenuioris ac viliſſimae conditionis homines, ut hic de mendicis ex Hiſpania tradit Valeſius, plerumque indui ſolebant, ut docet Victorius Lib. XXVI. Variar. Lect. cap. 23. & hinc Διφθέρα pro codice membranaceo, ſive membrana obtecto, paſſim ſumitur, quomodo Gloſſae antiquae: Διφθέρα, τὸ βιβλίον, *membranum, codex.* Heſychius: Διφθέρα, δέρμα, βύρσα. Vide Bonav. Vulcan. ad Agathiam pag. 7. & ſic διφθερίας Cicero Lib. XIII. ad Attic. Epiſt. 24. vocat libros, qui membranis & pellibus contegerentur: ubi vide Sim. Boſii notas pag. m. 167. hoc autem inde venit, quia apud veteres ante inventum chartarum uſum plurimae gentes in pellibus ſcribere ſolebant, ut notum eſt. ita Jones ſolitos fuiſſe βίβλους vocare διφθέρας & ſuo tempore barbaras gentes adhuc in pellibus ſcribere tradit Herodotus Lib. V. cap. 58. καὶ τὰς βίβλους διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ Ἴωνες, ὅτι κοτὲ ἐν σπάνι βίβλων ἐχρέωντο διφθέρῃσι αἰγέῃσί τε καὶ οἰέῃσι, ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι. quem Herodoti locum ab aliis jam laudatum Pollux Lib. VII. cap. 33. in fine profert. Vide plura apud Salmaſium de modo Uſurar. cap. X. pag. 413. & 414. & Celeb. Hemſterhuſ. ad Polluc. Lib. X. cap. 15. ſegm. 57.

Digitized by Google

enim apud Imperatorem accuſavit, quod adverſus ipſum conſpiraſſent. Imperator aures calumniantibus praebere ſolitus, quippe qui ſuſpicioſus eſſet ac timidus, quod degeneris animi indicium eſt, mulieri fidem adhibuit. Atque ita filii quidem inſontes neci dati: mater vero hoc delationis praemium retulit, ut cum ſervo liberius ſtupraretur. Graeca ſic habent: κατηγορήσεν αὐτῶν πρὸς τὸν ἄρχοντα, ὃς ἦν τότε, καὶ λέγει ὡς ἐπιβουλεύουσιν αὐτῇ. Lego αὐτῷ, qua emendatione nihil certius. Ac profecto miror id non vidiſſe P. Gillium, cum ex ſequentibus Aeliani verbis ita legendum eſſe manifeſte appareat. Porro Imperator ille ab Aeliano deſignatus, niſi fallor, eſt Commodus.

CAPUT IX.

Aelianus inluſtratus. Hyrcani & Magneſii in Aſia minori. Triſtanus refutatus.

IN cap. 38. ejuſdem Libri ſcribit Aelianus Hyrcanos & Magneſios canibus in proeliis uti ſolitos: Ubi Hyrcanos accipio non eos, qui ſunt ex Hyrcania Perſidis provincia, ſed minoris Aſiae populos, quorum meminit Plinius (Lib. V. cap. 29. in fine) *Macedones*, inquit, *Hyrcani cognominati*, *& Magnetes* (*a*) *a Sipylo*. De iiſdem Hyrcanis Aſiae populis accipiendus eſt nummus Philippi Caeſaris, quem edidit J. Triſtanus, in cujus averſa parte haec inſcriptio legitur, (*b*) ΥΡΚΑΝΩΝ. Neque enim aſſentiri poſſum J. Triſtano, qui ab Hyrcanis Perſidis populis percuſſum eſſe credit; quaſi vero Hyrcani Perſici Graece loquerentur, aut Romanis Impp. parerent. Scio equidem Hyrcaniam optimis canibus abundaſſe. Verum cum Hyrcani hic ab Aeliano conjungantur cum Magneſiis minoris Aſiae populo, Macedonas Hyrcanos intelligi puto. Certe Plinius Hyrcanos Magnetasque conjungit.

CA-

(*a*) Magneſiae nempe duae in Aſia minori civitates, una ad fluvium Maeandrum, quae Μαγνησία πρὸς Μαιάνδρῳ, altera ad montem Sipylum, quae Μαγνησία πρὸς Σιπύλῳ dicitur, de quibus vide Scalig. ad Euſeb pag 59. & 183. Salmaſ. ad Solin. Tom. II. pag, 863. D. & pag. 1103. B. tum Rupertum in Obſerv. ad Florum Lib. II. cap. 8. pag 393.

(*b*) Hunc nummum a Triſtano male referri ad Hyrcanos Caſpii maris accolas notat Holſten. ad Stephan. Byzant pag. 337. qui pertinere eum putat ad Hyrcanos Lydiae. De iis etiam nummus eſt apud Sponium in Itinerar. pag. 447. in quo conſpicitur caput turritum ab una, & ab altera parte legitur ΥΡΚΑΝΩΝ, qui idem nummus exhibetur in tabulis ante Wheler Voyage de Dalmat. &c. num. 96 Quod autem Aelianus hic dicat Hyrcanos canibus in praeliis uſos, eo ſpectat, quia illic nobile canum genus erat, & inde Hyrcani canes ſemper celebres fuerunt vide Cicer. Lib I. Tuſcul. Quaeſt. cap 45. & inter alios generoſos canes itidem Hyrcanos recenſet Pollux Lib. V. cap. 5. ſegm. 37. ubi tamen male legebatur Ὀρκανοὶ, quod & interpres male *Orcanae* reddidit, ut monet ibidem Holſtenius, & recte docti Pollucis Interpretes ex MSS. vocem illam Scriptori reddiderunt.

Digitized by Google

CAPUT X.

Aelianus emendatus. Telephus Criticus. Gillius notatus.

IN Lib. X. cap. 42. citatur Telephus Pergamenus. Fuit hic nobilis Grammaticus, cujus ſcripta recenſet Suidas: Sed in Aeliani verbis mendum eſt. Quid enim ſibi volunt iſta: λέγει ταῦτα Τήλεφος ὁ Κρής. Gillius quidem vertit: *haec ait Telephus Cretenſis ex Myſio Pergamo oriundus.* Ego vero ſcribendum cenſeo, Τήλεφος ὁ Κριτικός. Criticum dixit pro Grammatico. Hoc autem nomen imperiti librarii primum corruperunt, mutantes (*a*) in κρητικός; ac deinde mutaverunt in Κρής. Lubet etiam hic annotare errorem P. Gillii, qui in Lib. XI. cap. 35. Aeliani verba ſic interpretatur: *Idem hic Deus imperante Nerone, Chryſermum, qui taurino ſanguine poto jam & revomebat & contabeſcebat, curavit.* At quis non videt ita vertendum eſſe? *Chryſermum, qui & revomebat ſanguinem & tabeſcebat, curavit epoto tauri ſanguine.* Loquitur enim Aelianus de medicinis, quae fiunt ex animalibus. Eſt etiam in Lib. XII. cap. 29. mendum leve, quod miror ab Interprete animadverſum non fuiſſe. καὶ μὴν τοι καὶ Πτωλεμαίων πόλεμος. Scribe Πτολεμαίων. ſic vocantur incolae urbis Ptolemaïdis.

CAPUT XI.

Aelianus emendatus. Euryſthenes & Procles Lacedaemoniorum Reges.

IN Lib. XII. cap. 31. ſcribe Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα τοὺς Ἀριστοδήμου, τοὺς Ἀριστομάχου &c. Nam Procles & Euryſthenes fuerunt Ariſtodemi filii, ut docet Apollodorus (in Biblioth. Lib. II. cap. 8. §. 4.) & Pauſanias (Lib. III. cap. 1.) ac Velleius. (Lib. I. cap. 2. ubi vid. notas.) Hi cum eſſent gemini fratres, ſimul Lacedaemone regnarunt, ſimul ambo uxores duxerunt. Regnavit quidem Euryſthenes annos XLII. ut ſcribit Euſebius in Chronico. Procles vero regnavit annos XLI. anno enim uno ſuperſtes fratri vixit Euryſthenes, ut docet Cicero in Lib. II. de Divinatione (cap. 43.) *Procles*, inquit, *& Euryſthenes Lacedaemoniorum reges: gemini fratres fuerunt: at hi nec totidem annos vixerunt. Anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum geſtarum gloria praeſtitit.*

R C A-

(*a*) Pari errore ſupra Valeſius Lib. III cap 5 apud Philoſtratum Δωρίωνα τὸν κρητικόν. & cap. 7. Μανάιμον τὸν κριτικὸν pro vulgato κρητικὸν emendavit, ubi vide,

CAPUT. XII.

Aelianus inluſtratus. Ἀρνηΐδες, *dies feſti apud Argivos. Conon emendatus.*

NOn cuivis obvium eſt, quidnam ſibi velit Aelianus in Lib. XII. cap. 34. cum ait Argivos diebus quibusdam, quos ipſi *Arneidas* vocant, canes omnes, qui in forum ingrediuntur, necare. Sciendum igitur eſt, menſem fuiſſe apud Argivos *Arnaeum* dictum, diesque in eo menſe feſtos, quos ἀρνηΐδας vocabant. Cujus feſti originem refert Conon in Narratione XIX. *Pſamathe*, inquit, *Crotopi Argivorum regis filia, cum ex Apolline gravida eſſet, patris iram verita, partum ſuum expoſuit. Quem paſtor cum reperiſſet, captus pueri pulcritudine pro ſuo educavit. Sed canes, qui gregem cuſtodiebant, puerum forte interfecerunt. Mox Crotopus comperto filiae flagitio, eam necavit. Iratus ob haec Apollo, peſtem immiſit Argivis: ad quam depellendam, cum illi Delphos miſiſſent, reſponſum ab Apolline acceperunt, placandam ipſis eſſe Pſamathem & Linum, ſi morbo liberari vellent. Quare Argivi matresfamilias, ac virgines Lino lamentum facere juſſerunt. Menſem quoque Arnaeum nominarunt, diemque feſtum Arnida inſtituerunt, quo in feſto canes quoslibet obvios trucidabant, poenas ſcilicet ob Lini necem ab eis exigentes.* Haec Conon, apud quem ἀρνηΐδα ſcribere malim, quam ἀρνίδα. Nam & analogia & Aeliani auctoritas ita ſuadent. Ejusdem feſti meminit etiam Athenaeus in Lib. III. pag. 99. ubi Ulpianus Cynuleum Cynicum alloquitur. ἵνα μὴ καί τινα κυνοφόντιν ἑορτὴν ποιησώμεθα ἀντὶ τῆς παρ' Ἀργείοις ἐπιτελουμένης.

CAPUT XIII.

Aelianus emendatus, & verſio ejus correcta. πλίγμα *quid?*

ELegans eſt narratio in Lib. XIII. cap. 6. de Polypode, qui falſamenta in teſtis condita comedebat: καὶ περιχυθεὶς τοῖς σκέλεσιν, ὥσπερ εἰς πνίγμα ἀθλητὴς συλλαβὼν τὸν ἀντίπαλον &c. Scribe meo periculo, ὥσπερ εἰς πλίγμα. Eſt autem πλίγμα, nodus Palaeſtricus, ut docent Grammatici. Heſychius: πλίγμα, βῆμα. ἀπὸ τῶν κυλιομένων καὶ παλαιόντων, ὅταν περιβάλλοντες τοῖς σκέλεσι κατέχωσιν. In eodem Libro cap. 21. ubi Demoſtrati verba refert, qui Tanagrae Tritonem a ſe viſum deſcripſerat, haec leguntur verba, quae Gillius non intellexit: τῶν δέ τις τῶν ἐκ βουλῆς ἁρμοζόντων κλήρῳ τὴν Ἑλλάδα, καὶ πεπιστευμένην τὴν ἀρχὴν ἑνὸς ἔτους. Gillius vertit. *Cum vero quispiam ex Magiſtratibus Graeciae, qui ſortitione facta annuum Magiſtratum gerunt.* Ex his Gillii verbis apparet eum intellexiſſe Magiſtratum Municipalem; cum tamen Demoſtratus & Aelianus Proconſulem Achaiae verbis illis deſignent. Sic enim verti debent. *Quidam Senatorii ordinis, ex iis qui ſortito Achaiam adminiſtrant, & qui annuum Magiſtratum*

rum gerunt. His verbis Proconſul Achaiae manifeſtiſſime deſignatur: nam proconſules erant ex Senatu, & provincia eis ſorte (*a*) attribuebatur: poſtremo annui erant, ut ſciunt Hiſtoriae Rom. periti. Hinc eſt quod Apuleius in Floridis de quodam Proconſule ait: *ô celeres bonorum Praeſidum dies.* Paulo poſt mendum eſt in voce ἀξίει, quam delendam exiſtimo.

CAPUT XIV.

Verſio Aeliani correcta et ſuppleta.

IN Lib. XIV. cap. 5. ubi deſcribit Aelianus, quomodo dentes Elephantorum humo defoſſi deprehendantur a Mauris, quaedam leguntur in Graeco exemplari, quae Gillius de induſtria praetermiſit, eo quod nimium obſcoena eſſe viderentur. Ac verecundiam quidem P. Gillii non mediocriter laudo, qui & ſuae & Lectorum modeſtiae conſuluit. Mihi tamen videtur ſatius fuiſſe rem honeſtiori vocabulo tegere, quam totam periodum expungere, praeſertim cum quidpiam in ea ſcitu dignum videatur: *Utribus*, inquit, *diſpoſitis ibidem ſubſiſtunt. Et alius quidem ſomnum capit: alius potat. Quidam etiam inter bibendum canens, puellam nominat quam deperit. Quod ſiquis forte juvenem formoſum venationis comitem deoſculatur, equidem non miror. Sunt enim Mauri pulchri ac proceri, oculis non fractis ac mollibus, ſed virile quoddam intuentibus, ad haec venationis ſtudioſi: ac tametſi adulti multos in amorem ſui concitant.* Ita vertendus erat hic locus, quem Gillius omittere maluit.

CAPUT XV.

Aelianus explicatus et emendatus. Phaylus Phocenſium Tyrannus. Ovidius in Ibide, et Harpocration correcti. Anaïtidis Dianae templum in Elymaide.

DE Europaeis Myſis, quos Latini Meſos vocant, diſſerens Aelianus in cap. 25. recte quidem ait eos Scythis proximos eſſe, eorumque impetum propulſare, & tanquam in praeſidio collocatos totam illam regionem imperio Romano tueri. Sic enim vertenda ſunt haec verba, καὶ τῇ Ῥώμῃ τὸν χῶρον τὸν προειρημένον φρουροῦντες πάντα: quae Gillius non intellexit. Quod vero idem Aelianus Heracleam urbem in Meſia collocat,

(*a*) De more ſortiendi provincias proconſulares ſub Imperatoribus cum omnia nota & a Viris Doctis abunde explicata & inluſtrata ſint, aliquid addere ſupervacuum eſſet. Adeat lector Bernartium ad Statii Lib. VI. Theb. 389. & Commentatores ad Tacit. Lib. III. Annal. cap. 32. & cap. 58. tum notas Doctorum ad Sueton. in Claudio cap. 7.

locat, id ego non facile conceſſerim. Ἡρακλείας πλησίον φημὶ, καὶ τῶν Ναξίων ῥευμάτων τῶν καλουμένων Τόμεως πλησίον. Scribo, τῶν Ἀξίου ῥευμάτων &c.

In eodem Libro XIV. cap ultimo, Taenarum quemdam ignobilem fluvium nominat, qui in Eridanum influit. Pro Taenaro, Eretenus dicitur in cap. 8. hujus Libri.

Scribit Aelianus in Libro XII. cap. 40. Ambraciotas leaenam venerari, propterea quod tyrannum ipſorum Phaylum leaena olim diſcerpſerat. Itaque Ambraciotae leaenam exinde colunt, tanquam ſuae libertatis auctorem. Ἀμπρακιῶται δὲ ἐπεὶ τὸν τύραννον αὐτῶν Φαῦλον διεσπάσατο λέαινα. Scribe (a) Φάϋλον tribus ſyllabis. Ovidius in Ibin (vs. 504.)

* *Foeta tibi occurrat patrio popularis in arvo,*
Sitque Phayleae cauſa leaena necis.

Sic lege. Φάϋλος nomen Graecum eſt. Ita dictus Phocenſium tyrannus, qui cum Philomelo & Onomarcho ſacram pecuniam rapuit, qui a nonnullis Φάϋλλος dicitur. Apud Harpocrationem Φαῦλος legitur eodem errore, quo apud Aelianum. Meminit & Polybius cujusdam Phayli (in Lib. V. pag. 415.)

In eodem Lib. cap. 23. ait Aelianus in Elymaïde templum eſſe Adonidis, in quo manſueti leones diverſantur. Ego pro voce Ἀδώνιδος, malim legere Ἀναΐτιδος. Nam Anaïtidis (b) Dianae templum illic fuit celeberrimum.

C A-

(a) Monuerat hoc etiam Parrhaſius in Quaeſitis per Epiſt. pag. m. 19. & Ovidii locum ex Ibide, in quo antea *Paphageae* legebatur, emendavit. Apud Parthenium in Eroticis cap. 25. Φάϋλλος exaratum eſt, quomodo etiam habetur apud Pauſaniam Lib. X. cap. 2. & Strabon. Lib. IX. pag 421. Corrigendus itaque eſt Antoninus Liberalis, apud quem in Cap. IV. Metamorph. continuo ſcribitur Φάλαικος. Melius tamen Φάϋλος ſcribi cum una λ, quam Φάϋλλος, docet noſter Valeſius ad Harpocration. pag. 78. ubi plura habet.

(b) Anaitidis Dianae templum memorat apud Lydos Pauſanias Lib. III. cap. 16. pag 240. Λυδοῖς ἔστιν Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος. Eadem eſt quae a Plutarcho in Artaxerxe pag. 1025. Ed. Francof. Ἀνῖτις vocatur, ubi narrat Artaxerxem Cyri concubinam feciſſe ſacerdotem, ut praeficeret templo Anitidis Ecbatanae: τῆς γὰρ Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνῖτιν καλοῦσιν, ἱέρειαν ἀπέδειξεν αὐτήν: ſaepe Anaitidis Deae templum occurrit apud Strabonem; ut Lib. XI. Geogr. pag. 512. ubi refert τὸ τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τῶν συμβώμων θεῶν. eam colere Armenios tradit Lib. eod. pag. 532. τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ καὶ Μῆδοι καὶ Ἀρμένιοι τετιμήκασι. τὰ δὲ τῆς Ἀναΐτιδος διαφερόντως Ἀρμένιοι. & Lib XII pag 559. Ἡ δὲ Ζηλῖτις ἔχει πόλιν Ζήλα ἔχουσαν τὸ ἱερὸν τῆς Ἀναΐτιδος, ἥνπερ καὶ οἱ Ἀρμένιοι σέβονται. ejus templum etiam memorat, & quomodo ſacra illic peragerentur, deſcribit in Lib. XV. pag 733. Ταῦτα δ᾽ ἐν τοῖς τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμάνου ἱεροῖς νενόμισται, quibus in locis ſimpliciter tantum Ἀναΐτιδος templum refert, ſine Dianae nomine addito, nam apud alios ſub Ἀναΐτιδος nomine occurrit Venus, ut apud Clementem Alexandrinum in Protreptico pag. m. 19. de Artaxerxe: ὃς πρῶτος τῆς Ἀφροδίτης Ἀναΐτιδος τὸ ἄγαλμα ἀναστήσας ἐν Βαβυλῶνι. quomodo recte illic pro Ἀφροδίτης Ταναΐδος corrigit Bochartus Lib. IV. Geograph. Sacr. cap. 19. pag 277. ubi plura de Anaitide notavit. Vide & Voſſ. Lib. II. de Idolol. Gentil cap. 9. pag. 353.

CAPUT XVI.

Aelianus inluſtratus. Metropolis Epheſia. Conventus juridici in provinciis Aſiae.

DUbitari poteſt, quid ſibi velit Aelianus in Lib. XVI. cap. 38. his verbis, ἐν μητροπόλει αἰκῶν τῇ Ἐφεσίᾳ &c. Non enim Epheſum intelligit, cum ſermonis Graeci ratio eam locutionem non admittat. Dicendum quippe erat ἐν τῇ Ἐφέσῳ μητροπόλει, ſi Epheſum intellexiſſet. Ego Metropolim urbem Aſiae hic intelligi puto, quae non procul ſita erat ab Epheſo. De hac Plinius in Lib. V. cap. 29. *Epheſum vero alterum lumen Aſiae, remotiores conveniunt, Caeſarienſes, Metropolitae, Cylbiani.* Alteram urbem ejusdem nominis in Phrygia commemorat Plinius, quae ad Apamenam jurisdictionem conveniebat. Multae enim erant in Aſia (*a*) jurisdictiones ſeu conventus juridici: iique ex primariae urbis nomine, ad quam reliqua oppida jurisdictionis cauſa conveniebant, denominati. Quod a Romanis primum inſtitutum eſt ad utilitatem provincialium, ut ſinguli populi forum ſuum haberent, quo lites ſuas deferre, & a Proconſule audiri ipſos oporteret. Omnes illos conventus accurate recenſet Plinius (Lib. V. cap. 28. & 29.) cujus Geographia eo majoris pretii facienda eſt, quod ſolus ex antiquis id praeſtitit, tum in Aſia, tum in Hiſpaniae deſcriptione.

Prima jurisdictio eſt Aſiatica & Cybiratica, ſecunda Synnadica, in quam conveniebant etiam Lycaones, & cum iis Philomelienſes, Tymbriani, & reliqui; ut docet Plinius cap. 27. tertius conventus eſt Apamiae: quartus Alabandinus. Quinta jurisdictio Sardiana. Sextus conventus Smyrnaeus, ſeptimus Epheſius: octavus conventus eſt Adramyttenus. Nona Pergamena jurisdictio. Hae omnes jurisdictiones erant ſub Proconſule Aſiae. Ceterum Aelianus non ſine cauſa Metropolim hanc cognominavit Epheſiam, ut ſcilicet eam a Metropoli Phrygiae diſtingueret. De hac Metropoli accipiendus eſt nummus Gordiani Imperatoris, qui ſic inſcribitur: (*b*) Μητροπολιτῶν τῶν ἐν Ἰωνίᾳ.

CAPUT XVII.

Crates Pergamenus. Mnaſeae Patrenſis Europiaca.

IN Lib. XVII. Aeliani de Anim. cap. 9. citatur Crates Pergamenus, quem ego eumdem (*c*) eſſe exiſtimo cum Cratete Mallote, celebri illo Grammatico, cujus mentionem fecere Strabo, Diogenes Laërtius, ac Suidas. Dictus eſt autem Pergamenus, eo quod a Pergamenis, ut conjicio, civitate donatus eſt. Certe teſtatur Sueto-

(*a*) Vide de his ſupra ad Lib. II. cap. 14.

(*b*) Haec inſcriptio etiam occurrit in nummo Salohinae Gallieni uxoris apud Beger. in Theſaur. Brandenburg. Tom. II. pag. 747.

(*c*) Errat hic Valeſius; cum Crates Pergamenus diverſus ſit a Cratete Mallote celebri Critico ſeu Grammatico. vid. Voſſium Lib. III. de Hiſt. Graec. pag. 347. Erroris comitem habet Jonſium Lib. II. de Script. Hiſt. Philoſ. cap. 11. init. de Cratete Mallote, Critico & Ariſtarchi aequali, vide Caſaubon. ad Sueton. Illuſtr. Gramm. cap. 2. & ad Strabon. Lib. 1. pag. 3. Reineſium Lib. II. Var. Lect. pag. 161. & Gronov. ad Gellium Lib. II. cap. 25.

tonius, eum Pergami vixiſſe, & ab Attalo Rege legatum Romam veniſſe. Porro Aelianus in cap. 37. hujus Libri, eum rurſus Pergamenum vocat, & Grammaticum fuiſſe ſatis innuit. In ultimo capite ejusdem Libri locus eſt corruptus, quem tamen haudquaquam difficile erit reſtituere: λέγει ὁ Μνασέας ἐν τῷ ἱερῷ. Διὸς Ἰσογαλέως ἱερὸν εἶναι. Scribe meo periculo: ἐν τῇ Εὐρώπῃ. Notiſſimus eſt Liber (a) Mnaſeae Patrenſis, cui titulus fuit Εὐρώπη ſeu Εὐρωπιακά, ut docet Athenaeus & Harpocration.

CAPUT XVIII.

Plinius emendatus. Thibiorum gens. Plutarchus correctus. Salmaſius refutatus. Mangones et mangonium quid.

Plinii locus eſt in Lib. VII. Naturalis Hiſt. cap. 2. *notabilius eſſe quod pupillas binas in oculis ſingulis habeant. Hujus generis & feminas in Scythia, quae vocantur Bithyae, prodit Apollonides. Phylarchus & in Ponto Thibiorum genus, multosque alios ejusdem naturae.* Locum hunc Plinii exſcripſit Solinus (cap. 1.) ſuo more. In Manuſcriptis exemplaribus tam Plinii quam Solini *Vitiae* vel *Bitiae* legi monuit Salmaſius, putatque emendandum eſſe *Bituae*, id eſt, ut ipſe ait, Νικαεῖς. Ego vero longe aliter ſentio. Suſpicor enim Apollonidem quidem ipſum Θιβίοις ſcripſiſſe: Plinium vero corruptis Apollonidis exemplaribus uſum eſſe, in quibus ſcriptum eſſet Βιθίοις, tranſpoſitis literis. Idque ut credam, movet me, quod Veteres omnes uno conſenſu de Thibiis id ipſum referunt, quod Plinius ait Apollonidem ſcripſiſſe de Bitiis. Nam praeter Phylarchum a Plinio memoratum, de gente Thibiorum idem ſcribit Plutarchus in Lib. V. Convivalium cap. 7. & ante eum Didymus in Lib. II. Convivalium teſte Stephano in voce Θίβη. De Bitis vero nemo Veterum locutus eſt. Proinde veroſimile eſt id, quod dixi, corruptos fuiſſe Apollonidis codices, quibus uſus eſt Plinius, per tranſpoſitionem literarum. Qui quidem error proclivis eſt, ſicut norunt qui Manuſcriptos Codices contrectarunt. Dicebantur autem Θίβιοι

(a) De eo vide Mauſſacum ad Harpocrationem in voce ἱππεία Ἀθηνᾶ pag. 199. ubi ejus opera ab antiquis memorata recenſet, interque ea Libros τῆς Εὐρώπης ſeu Εὐρωπιακά. Ejus emendatio in Ammonii Libro de Differentiis in Νηρεΐδες, ubi recte emendat, ὡς Μνασέας ἐν τοῖς περὶ τῆς Εὐρώπης, pro vulgato Μνασέαν, etiam in mentem venit G. J. Voſſio Lib. I. de Hiſt. Graec. cap. 21. pag. 134. ubi plura egregia de hoc Mnaſea Patrenſi notavit. Apud Heſychium in voce σκίπων etiam hujus Mnaſeae nomen corrigendum putabat Valeſius ad Harpocr. pag. 49. ubi in vulgatis eſt Μαγνῆτας ἐν τῇ Ἴδῃ, quod tamen non adfirmat. In Hygini loco Cap XXI. Poëtic. Aſtronom. *Pleiades autem adpellatae ſunt, ut ait Mnaſeas*, plurimos Codices & antiquiores Editiones habere *Muſaeus* teſtatur Munckerus, quomodo etiam inveni in Excerptis membranarum Evaldi Ruaei, (quas ſero nimis ſe accepiſſe in praefatione Munckerus dolet) & confirmatur ex Scholiaſte Germanici Cap. XV. pag. 116. Ed. Morell. ubi de Pleiadibus ſeu Hyadibus itidem agit; *Muſaeus & iſta refert, ex Atlante & Hya duodecim filias procreatas ſunt* &c. Sed hic tamen Mnaſeas in primo libro de Europa adfertur ab eodem Germanici Scholiaſte pag. 142. cujus verba deſcribens Fulgentius Lib. II. Mytholog. cap. 19. Mnaſeam in primo de Europa libro etiam laudat; ut notavit Voſſius loco ſupra prolato. vide & Mercerum ad Fulgentii Expos. Serm. Ant. poſt Non. Marcel. pag. 210. & Reineſ. Lib. III. Var. Lect. 3. pag. 384.

βιοι & Θιβιεῖς: ſic enim legendum eſt apud Plutarchum tribus ſyllabis. Quod vero addit idem Plutarchus de mercatoribus, qui ſervos ex ea regione emptos adducebant: ἥδοντο. ἣ ὡς ἔοικεν τὸ γινόμενον οἱ μιγάδες οἰκέτας ἐκεῖθεν ὠνίους ἐξάγοντες, mendo non carent. Qui enim ſunt οἱ μιγάδες? Salmaſius quidem in Solinum pag. 47. emendandum putavit, οἱ μαγγάδες. Ait enim μαγγὰς & μάγγων Graecûm eſſe pro Venalitiario. Sed cum nemo tam veterum quam recentiorum Graecorum eo uſus ſit vocabulo, non eſt quod ei fidem habeamus. Praeterea Mangones longe differunt a mercatoribus ſeu σωματεμπόροις, de quibus ibi loquitur Plutarchus. Nam mercatores quidem ipſi in barbaras regiones proficiſcebantur, mancipiorum emendorum cauſa. Mangones vero a mercatoribus deinde ſervos emebant; eosque excolebant ac perpoliebant, ut carius poſtea venderent, quae ars Mangonium dicebatur. Apparet ergo Plutarchum de Mangonibus minime locutum eſſe. Quare in Plutarcho alia quaerenda eſt emendatio. Ego leviſſima mutatione locum ſic reſtituo: οἱ μιγάδας οἰκέτας ἐκεῖθεν ὠνίους ἐξάγοντες. Qua quidem emendatione nihil certius. Erant inter Thibios quidam Externi iisdem permixti, quos μιγάδας vocat Plutarchus. Eos mercatores Graeci pro mancipiis emebant. Neque ipſos Thibios unquam empturi erant, ne viliſſimo quidem pretio, quippe qui adeo noxii eſſent, ut vel ſolo aſpectu faſcinarent.

CAPUT XIX.

Caſſiodorus emendatus. Cornicularius unde dictus; caniculus ſeu caliculus pro atramentario. Nicolaus Alemannus & Salmaſius refutati.

CAſſiodorus Senator oratione quidem durus eſt, & Gothicum quidpiam ſonans, rebus tamen ac ſententiis abundat, & ad rerum Rom. ac vergentis Imperii cognitionem plane neceſſarius. Proinde in eo emendando operam noſtram non inutilem fore ſperamus. Igitur in Libro XI. Epiſtola 36. ubi de Corniculario Praefecturae Praet. loquitur, haec habet. *Praefuit enim Curibus Secretarii Praetoriani, unde ei nomen eſt derivatum.* Scribendum eſt ſine dubio, (a) *cornibus.* Ait enim Corni-

(a) Ita etiam in noviſſima & ſplendida Garetii editione correctum jam legitur, cum in aliis eſſet *curribus*, pro quo *juribus* reponendum alii cenſuerunt; ut Pancirollus in Commentar. ad Notit. Imper. cap. XI. pag. 29. ubi multa de corniculario habet. Sed rejecta hac emendatione, *cornibus* apud Caſſiodorum legendum eſſe monet etiam Gutherius de Offic. Dom. Aug. Lib. II. cap. 15. pag. 418. qui plura de cornicularis notavit; & hanc veriſſimam lectionem in hoc Caſſiodori loco jam agnovit Marcellus Donatus in Dilucidation in Livium pag. 26. in Tom. VI. Facis Criticae Gruteri. Vetus autem inſcriptio, in qua CORNICULARIUS PR. PR. id eſt *Praefecti* ſive *Praefecturae Praetorii* occurrit, a Gutherio ibidem producta, legitur apud Gruterum pag. CCCL. inſc. 1. eiusdemque mentio eſt in alia apud eundem Gruter. pag. CCCLXV. inſcr 5. & Fabrett. ad Column. Traj. pag. 221. ſed ab utroque depravatam & mutilam fuiſſe exhibitam notavit Gorius ad Donii Inſcript. Antiq. Claſſ. VI. inſcr. 58. ubi integra & emendatior legitur. Ceterum frequens *cornicularii* mentio eſt in Inſcriptionibus, ut praeter eas, quae in corpore Gruteri habentur, etiam occurrit apud Reines. Claſſ. I. inſ. 192. & Donium Claſſ. VI. inſ. 115. aliosque. De iis plura vide in notis ad Sueton. Domit. cap. 17. & apud Rupertum in Diſſert. ad Valer. Max. Lib. VI. cap. 1. pag. 362. & ſeqq.

Digitized by Google

niculariium dici, eo quod praeſit cornibus Tribunalis Praetoriani. Quam tamen Caſſiodori etymologiam non probo. *Cornicularius* enim dictus eſt a Corniculo, & a militia armata id nomen tranſlatum eſt ad Urbanam ſeu Cohortalem. Sequitur in Caſſiodoro, *eo miniſtrante calculum, ſcripſimus inempti, quod magnis pretiis optabatur impleri.* Jam pridem conjeceram legendum eſſe, *eo miniſtrante caliculum:* atque ita in tribus Manuſcriptis codicibus ſcriptum poſtea deprehendi. *Caliculus* eſt atramentarium, quod Praefecto Cornicularius praebebat. Poſterior aetas *caniculum* dixit. Unde *Praepoſitus caniculi*, ὁ ἐπὶ κανικλείου, qui curam & cuſtodiam gerit caniculi, id eſt, atramentarii, ut (*a*) Anaſtaſius Biblioth. ad octavam Synodum. Nicolaus Alemannus in notis ad Procopii Ἀνέκδοτα pag. 20. dictum putat *caniculum* a canis ſimilitudine. Quem reprehendens Salmaſius in notis ad Solinum pag. 119. & 375. a cano ſeu caniſtro eam vocem deducit. Ego vero *caniculum* pro *caliculo* dictum eſſe contendo, ſolemni literarum mutatione. Sic *Lampetra* pro *Nampetra*, *Nimbus* pro *Limbo* & ſimilia.

CAPUT XX.

Leges Salicae Francorum, Longobardorum, aliorumque ab Heroldo & Lindenbrogio editae quid contineant. Earumdem Codex Emer. Bigotii. Aniani breviarium.

Editus eſt a Baſilio Heroldo liber legis Salicae, Ripuariae, item Alamannorum, Bajoariorum, Saxonum & aliorum, in quo multa ſunt notatu digna, quae nec Heroldus, nec Lindenbrogius, qui novam earumdem legum editionem publicavit, nec ullus, quod quidem ſciam, hactenus obſervavit. Primum eſt librum illum (*b*) ab Heroldo editum, nihil aliud eſſe quam codicem legum, quibus Francorum Reges populos ac gentes ditioni ſuae ſubjectos gubernabant. Atque idcirco lex Salica ante omnes collocatur, utpote lex Francorum, penes quos imperium erat. Cer-

(*a*) Anaſtaſii verba haec ſunt ad Act. 10. octavae Synodi: *Praepoſitus Caniculi apud Graecos eſt, qui curam & cuſtodiam gerit caniculi, id eſt, Atramentarii, ex quo Imperator Phoeniceas literas ſcribit in chartis.* Tanta autem erat dignitas illius, qui ὁ ἐπὶ κανικλείου erat, ut in urbe Conſtantinopolitana ſocer Imperatoris ei praeeſſet, & Imperatorum conſanguinei ea ornarentur, fuitque adeo inter honoratiſſima officia. Vide G Codinum Curopal. de Offic. Palat. Conſtantin. pag 17. & ad eum Franc Junii notas pag. 263 ſed qui *Canicleum* arcem regiam fuiſſe ſeu palatium, in quo ſocer Imperatoris habitabat, perperam cenſet, & ob id ab Alemanno ad Procopium traducitur, qui ea, quae Junius illic de *canicleo* ſcripſit, nugas eſſe pronuntiat. Certe meliora habet Meurſius in Gloſſario pag. 213 Sententiam autem Alemanni, qui *caniculum* a ſimilitudine canis, quia caniculus ſeu atramentarium effigiem & formam parvi canis prae ſe ferebat, explodit quidem Salmaſius in Plinianis Exercitationibus, ſed Alemannum tamen non nominat. Videtur tamen eam probare Car du Freſne in notis ad Annae Comnenae Alexand. pag 258. & 378 ubi plura de hac dignitate adnotavit

(*b*) Vide de eo & aliis Legis Salicae Editoribus doctiſſimam Eccardi praefationem Legibus Francorum Salicis, & Ripuariorum ab eo editis praefixam.

Digitized by Google

Certe negari non poteſt gentes illas, quarum leges in eo codice leguntur, Regibus noſtris olim paruiſſe. Conſtat etiam pleroſque ex iis, Alamannos ſcilicet, Bajoarios ac Ripuarios, leges a noſtris Regibus accepiſſe. Burgundionum quidem leges ab ipſorum Regibus latae ſunt, quas Reges noſtri, victis Burgundionibus, integras atque intactas reliquerunt. Idem de Longobardorum legibus ſentiendum eſt, quas Reges noſtri, redactis in ditionem ſuam Longobardis, minime abrogarunt, ſed iis tantum quaedam capitula addiderunt. Majores enim noſtri ea in victos clementia ac modeſtia ſunt uſi, ut eis numquam leges ſuas ademerint. Sic in Gallia Romanos lege Rom. vivere permiſerunt. Ipſi quoque Rom. linguam addiſcere, moreſque eorum in pleriſque aemulari ſtuduerunt: adeo ut etiam dignitatum Rom. nomina & officiorum retinuerint. Idque evidenter apparet ex ſupradictis legibus, quas Latino ſermone ſcribendos curarunt, ut populos ſuos a feritate Barbarica ad Rom. cultum paulatim traducerent. Quod quidem a Viſigothorum Regibus primum factum eſſe comperio: quos poſtea Theodoricus Oſtrogothorum Rex imitatus, edictum ſuum Latine compoſuit. Idem poſtea Burgundiones & Longobardi fecere. Et haec fuit illorum Regum ambitio, quos, ut videtur, barbariae ſuae pudebat. At populis ipſorum, qui linguam Rom. minime callebant, id procul dubio moleſtiſſimum fuit. Quare neceſſe habebant Judices ſeu Rachinburgos adire, a quibus legem requirebant. At niſi Rachinburgi legem eis retuliſſent, multabantur. Hoc eſt quod in lege Salica Cap. LX. & in lege Ripuaria Tit. 55. dicitur *legem dicere.*

Quod vero ſpectat ad Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii, quorum partem duntaxat edidit Heroldus ſub nomine legis Francicae, ea non ſolis Francis lata ſunt, ſed omnibus generaliter populis, qui Regum noſtrorum imperio parebant, idque ex eorum lectione facile perſpici poteſt. In his enim fit mentio non Francorum ſolum, verum etiam Saxonum, Longobardorum & aliorum. Quippe haec Capitula in conventu generali totius regni ex conſilio Procerum & Comitum, qui ex omnibus imperii partibus acciti aderant, ad totius regni utilitatem & ad ſingularum gentium commodum ſtatuebantur. Et haec quidem de Heroldi editione dicta ſint.

Poſtea imminuta ditione Regum noſtrorum, ſub finem ſecundae ſtirpis, vel certe ſub initium tertiae, alia legum collectione uti cœpimus. Cum enim praeter tria regna, id eſt, Francorum, Burgundionum & Aquitaniae, nihil jam reliquum eſſet Regibus noſtris; Codex legum Francicarum ſolam legem Salicam & Burgundionum retinuit una cum Capitularibus & Codice Imp. Theodoſii, ſeu potius Aniani breviario. Hujuſmodi codicem nuper vidi ab Emerico Bigotio ſingularis modeſtiae ac doctrinae viro mihi commodatum. In quo primum lex Salica continebatur: ſequebantur deinde Capitula Regum noſtrorum: poſthaec breviarium Aniani: ac poſtremo lex Burgundionum. In cujus fine haec leguntur: *Explicit Liber legis Salicae.* Scriptus eſt hic Liber ante quingentos annos in urbe Matiſconenſi, quae urbs erat regni Burgundionum. Porro illud Aniani breviarium, lex erat, qua utebantur Aquitani jam inde a temporibus Alarici Regis. Etenim Alaricus cum ex

S cor-

corpore legum Theodoſii, & ex aliis juris libris quaedam elegiſſet atque interpretatus eſſet, librum illum Epiſcoporum ac nobilum virorum conſenſu firmatum, Romanis, qui in Aquitania degebant, pro lege conſtituit, cum Viſigothi, qui ipſius imperio parebant, ſuis, id eſt Viſigothorum legibus uterentur.

CAPUT XXI.

Clerici in Francorum regno cum liberis & rebus ſuis ſub lege Romana erant.

ILlud praeterea notandum eſt, omnes Eccleſiaſticos, qui in Francorum regno degebant, lege Rom. vixiſſe. Docet id lex Ripuariorum titulo 58. *Jubemus ut qualiſcumque Francus, Ripuarius, ſeu tabularius ſervum ſuum pro animae ſuae remedio, ſeu pro pretio ſecundum legem Rom. libertare voluerit, ut in Eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto Clero & plebe, in manu Epiſcopi ſervum ſuum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas ſecundum legem Rom. qua Eccleſia vivit, ſcribere faciat. &c.* Idem juris fuit apud Longobardos, ut patet ex Lib. II. tit. 5. *ſi Longobardus uxorem habens, filios aut filias procreaverit, & poſtea inſpiratione Dei compulſus, Clericus effectus fuerit, tunc filii aut filiae, qui ante ejus converſionem nati fuerint, ipſa lege vivant, qua lege ipſe vivebat, quando eos genuit, & cauſam ſuam per legem ipſam finire debeant.* Quae lex non aliter exponi poteſt, quam ſi intelligatur id quod dixi, Clericos ſcilicet Romana lege vixiſſe. Cum itaque Longobardus ad Clerum tranſiiſſet, Rom. lege vivere coeperat. Sed quaeſitum eſt qua lege vivere deberent ejus filii, quos ante converſionem ſuſceperat. Statuit Luitprandus, ut lege Longobarda vivant. Non ſolum autem perſonae Eccleſiaſticae, ſed & res eorum ſub lege Rom. erant, ut docet Adrenaldus Floriacenſis Lib. I. de miraculis Sancti Benedicti cap. 25.

CAPUT XXII.

Manumiſſi tabularii quinam in Lege Ripuaria? Denariales & Liti quinam, & quam diverſa fuerit eorum conditio?

QUaeret fortaſſe aliquis, quinam ſint illi, qui *tabularii* dicuntur in tit. 58. legis Ripuariae, quem ſupra citavimus. Reſpondeo tabularios dici, qui in Eccleſia

ſia manumiſſi fuerant juxta legem Rom. tabulis ſuper eorum libertate a Diacono compoſitis, & ſeptem teſtium ſigno confirmatis. Ii ſub tuitione Eccleſiae & Epiſcopi deinceps permanebant, & ſervitium debebant Eccleſiae tam ipſi quam poſteri eorum, ut legitur in eodem titulo. Dicebantur autem tabularii (*a*) a tabulis illis, quae ſcribebantur in Eccleſia: erat autem haec ſecunda ſpecies manumiſſionis. Nam prima erat Denarialium, eorum ſcilicet qui jacto coram Rege denario manumittebantur. Quorum optima erat conditio, quippe qui ſub tuitione ſeu (*b*) mundeburde Regis viverent. De his agitur in ſuperiore titulo legis Ripuariae. Sed & in hoc titulo numero 12. *Si quis hominem regium tabularium, tam baronem quam feminam de mundeburde Regis abſtulerit.* &c. *ſimiliter & qui tabulariam vel Eccleſiaſticam feminam ſeu baronem, de mundeburde Eccleſiae abſtulerit, & nihilominus generatio eorum ad mundeburdem Regis revertatur.* Hic *homo regius tabularius* is eſt procul dubio, qui coram Rege manumiſſus eſt jacto denario & tabulis de ejus ingenuitate factis. Hi enim ſub mundeburde Regis permanebant, ut patet ex titulo 57. Sic in titulo 53. de eo, qui grafionem occiderit: *Quod ſi puer Regius vel ex tabulario, ad eum gradum, id eſt grafionis aſcenderit.* Duplex igitur fuit genus tabulariorum, quod a nemine adhuc animadverſum eſt. Diverſi porro erant ſtatus libertorum, prout dominus manumiſſioni conditionem appoſuerat. Nam ait civem Rom. facere poterat Ripuarius, ut eſt in titulo 61. aut litum ſeu tributarium, ut eſt in titulo 62.

Liti (*c*) vero ſunt conditionales homines mediae cujusdam ſortis inter liberos ac ſervos, qui quotannis cenſum pendebant domino, atque heredibus: ex quo tributarii videntur dicti. Poſſunt etiam intelligi Romani tributarii. Ex litis autem poterant fieri denariales, id eſt ingenui, jacto coram rege denario: ac tunc optima erat eorum conditio, ut patet ex eodem titulo. Hinc intelligendus eſt titulus 57. *Si quis libertum ſuum in praeſentia Regis ingenuum dimiſerit* &c. ubi libertum intelligo litum.

(*a*) Vide Bignonium ad Marculfi Formul. Lib I. pag. 283. & Lib. II. pag. 326. & 328. ubi duplicem illam manumiſſionem per denarium ante Regem, qui denariales liberti vocabantur, & ſub ſpeciali Regis patrocinio erant; tum eorum qui in Eccleſia ſecundum legem Romanam ſervitute liberabantur, qui *tabularii*, vel *chartularii* dicebantur, ac lege Romana utebantur, egregie inluſtrat.

(*b*) *Seu mundeburde*] id eſt ſub Regis patrocinio & tutela, quod etiam aliter *mundeburdium* vocabatur ac *defenſio*. vide multa apud Bignon. ad Marculf. Formul. Lib. I. pag. 286. & 287. vel qui ſub tali mundeburde aut tuitione Regis erant, dicebantur etiam *in verbo Regis vivere*. vide Eccardum ad Leg. Salic. Tit. XIV. §. 5. pag. 34.

(*c*) Ita in Legib. Salic. Tit. XXX. pag. 60. Edit. Eccard. *Si quis lidum alienum extra conſilium domini ſui ante regem per denarium ingenuum dimiſerit.* & §. 2. *Res vero ipſius lidi legitimo domino reſtituantur.* & Tit. XXXVIII. §. 6. *Si quis homo ingenuus lidum alienum exſpoliaverit*, dicitur vero *litus*, *lidus* vel *laetus*. Vid. Fr. Pithoei Gloſſar. ad Libr. Legis Salic. Tit. XIV. pag. 106.

CAPUT XXIII.

Salica lex unde dicta. Quinam populi ea uterentur. Terra Salica unde dicta.

DE lege Salica quaeri poſſunt: primo unde ſit dicta: deinde quinam eſſent qui ea lege uterentur: tertio quid ſit terra Salica in titulo 62? Quod ad primam quaeſtionem ſpectat, Salica lex dicta eſt a Salicis, quae fuit gens Francorum nobiliſſima ac fortiſſima, ut docet Ammianus Marcellinus. Lib. XVII. Eos Romani corrupte Salios vocabant. Unde autem dicti ſint Salici, an a Sala fluvio, an aliam quam ob cauſam, difficile eſt affirmare. Sed nihil inſulſius eſt opinione quorundam, qui Salicam legem a Sala, id eſt aula ſeu palatio dictam putarunt. Neque enim ſolis Palatinis ſed univerſo Francorum populo lata eſt lex Salica. Adeo ut nihil addi poſſit legi Salicae ex conſenſu totius populi, ut docet liber Capitularium.

Quod vero attinet ad ſecundam quaeſtionem, omnes, ut dixi, Franci tam plebeii quam Palatini Salica lege vivebant. Non omnis tamen, qui Salica lege vivebat, erat Francus. Multi enim Barbari, qui Francorum Regibus parebant, Salica lege utebantur, ut patet ex titulo 43. leges Salicae. Sed & Romani, qui in Gallia degebant, poterant lege Salica vivere, dummodo id publice profeſſi fuiſſent, ſe deinceps lege Salica velle vivere. Tertia autem difficultas, meo quidem judicio, omnium maxima eſt, quaenam ſit terra Salica. Lindenbrogius quidem in Gloſſario ait terram Salicam (a) eam eſſe, quae hoſtibus divictis Regi ac militibus Francis aſſignata eſt. Ut enim Viſigothi, Vandali, Burgundiones & Longobardi, cum Romanorum provincias occupaſſent, agros eorum ſibi diviſerunt, tertia parte penes Romanos relicta; ita etiam Francos feciſſe credibile eſt. Quanquam in lege Salica hujus diviſionis nulla ſit mentio, cum tamen in legibus aliarum, quae agros cum Romanis diviſerunt, multa ſint veſtigia hujusmodi diviſionis. Certe in legibus Burgundionum, Ripuariorum, Viſigothorum, ſortes ſaepiſſime nominantur, & conſortes Romani dicuntur.

Ego vero terram Salicam nihil aliud eſſe exiſtimo, quam terram ſeu praedium hominis Salici. Ut enim lex Salica dicitur quae Salicorum eſt, ſic etiam terra Salica, quae ad Salicos pertinet. Certe in titulo 62. legis Salicae, qui eſt de Alodiis, feminae ad ſucceſſionem bonornm cnm maſculis admittuntur, praeterquam ad hereditatem terrae Salicae. Eadem lex fuit apud Ripuarios, ut patet ex titulo 58. Ubi terra *aviatica* dicitur, id eſt, ab avis tranſmiſſa.

C A-

(a) Ita Fr. Pithoeus in Gloſſar. ad Libr. Leg. Salic. Tit. LXII. pag. 129. Ed. Bignon. explicat terram Salicam, quae devictis hoſtibus Regi militibusque Saliis obtigit, & *ſortes* ita pro parte regni adſignata dictas, ut *ſortes Vandalorum*, *Alamannorum* & ſim. in edicto Hunerichi vocari obſervat. quod etiam notavit Savaro ad Sidon. Lib. VII. Ep. 6. pag. 434.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

In Librum I. Hiſtoriae Theophilacti Simocati adnotationes. πολυστιβὰς οἰκία *domus multorum accubituum in urbe Conſtantinopoli ubi fuerit? Sigma idem quod Stibadium ſeu accubitum.*

CAp. I. φοράδην γὰρ ἀχθεὶς ὁ Τιβέριος ἐπὶ τὴν ὕπαιθρον τῆς βασιλείων αὐλῶν ἥτις παραρήγνυται τῇ πολυστιβάδι τῆς ἀνακτόρων οἰκίας &c. Interpres (*a*) longa circumlocutione hunc locum Latine expreſſit: *Tiberius namque in atrium palatii, juxta domum, in qua multi ex herbis ſeu frondibus ad coenandum, dormiendumve tori, ſive lectiſternia, veſtibulum illuſtre, viſendumque proſcenium, huc, inquam, geſtatus* &c. Ex quibus apparet eum non intellexiſſe quid his verbis ſignificaretur. Sed & Nicephorus Calliſtus, cum hunc Theophylacti locum exſcriberet, poſteriora verba praetermiſit. Ego vero exiſtimo πολυστιβάδα οἰκίαν a Theophylacto dici domum, quae Graece δεκαεννέα ἀκκούβιτα dicebatur, eo quod in ea novendecim accubita ſeu ſtibadia eſſent, in quibus Imperator cum Proceribus decumbens epulabatur in natali Domini & ſolemnioribus feſtis; ut ſcribit Theophanes & Anaſtaſius Bibliothecarius anno III. Juſtiniani, & Luitprandus in Lib. VI. rerum per Europam geſtarum cap. 3. *Eſt domus*, inquit, *juxta Hippodromum Aquilonem verſus mirae altitudinis & pulcritudinis, quae Decaënnea vocatur.* Hoc autem ideo, quoniam quidem novendecim menſae in Domini noſtri nativitate apponuntur, in quibus Imperator pariter & convivae non ſedendo, ut caeteris diebus, ſed recumbendo epulantur. Juxta hanc domum erat tribunal, in quo Imperatores & Auguſtae coronabantur. Nicephorus Conſtantinopolitanus pag. 176. de Leone Iſauro loquens: ἐν τῷ τριβουναλίῳ λεγομένῳ δεκαεννέα ἀκκουβίτων, στέφει τὸν υἱὸν Κωνσταντῖνον εἰς βασιλέα. Idem ſcribit Anaſtaſius & Auctor Hiſtoriae Miſcellae Lib. XII. Idem in Lib. XXII. de Conſtantino loquens Copronymo, *anno XXVIII. imperii ſui coronavit Imperator Eudoxiam uxorem, ſuam cum eſſet trigamus in tribunali decem & novem accubituum.* Hinc eſt quod Codinus in Originibus Conſtantinopolitanis τὸ σίγμα ponit juxta domum decem & novem accubituum; quo nomine tribunal intelligit, in quo Imperatores coronabantur. Fuit autem haec domus in regione tertia juxta Hippodromum, ut teſtatur Luitprandus. Certe in ea regione Circum maximum fuiſſe & porticum ſemirotundam, quae *Sigma* dicebatur, ac poſtremo tribunal fori Conſtantini, docet vetus deſcriptio. Ac veriſimile eſt ex illa porticu factam eſſe domum decem ac novem ac-

(*a*) Jacobus Pontanus.

accubituum, quippe cum C idem ſit (*a*) quod ſtibadium ſeu accubitum. Adde quod aedes St. Stephani juxta tribunal decem & novem accubituum ponitur a Codino, quam prope C fuiſſe docet ex veteri Scriptore Petrus Gyllius in Lib. II. cap. 15. Caeterum haec domus decem & novem accubituum etiam Delphica dicta eſt, ſeu Delphicum, ut teſtis eſt Procopius in Lib. I. Vandalicorum pag. 116. & Victor Tunonenſis in Chronico.

(*a*) Stibadia ſeu accubita veterum forma lunari aut ſemicirculari, ideoque *Sigmata* dicta fuiſſe, egregie oſtenderunt Lipſius Cent. I. Epiſt. 65. tum Caſaubon. & Salmaſ. ad Lamprid. Elagab. cap. 19. & cap 29. ubi Caſaubonus locum illum Luitprandi ex Lib. VI. Hiſt. a Valeſio productum, ſed apud quem *decaennea accubita* legendum eſt, exhibet pleniorem & emendatiorem. Recte autem *πολυστιβάδα οἶκον* in hoc Theophilacti loco domum multorum accubituum inluſtravit Valeſius, & eodem modo haec verba expoſuit Jacobus Pontanus in Adnotationib. ad Theophilact. pag. 223. Edit. Paris. in Vol. XIV. Corpor. Byzant. quem vide: & multa de hac porticu ſemirotunda, quae *Sigma* vocabatur, ſive de tribunali hoc novendecim accubituum habet du Cange in Conſtantinop. Chriſtian. Lib. II. cap. 3. pag. 112. & cap. 6. pag. 135. in Vol. XXIII. Ejusd. Operis. Hanc autem domum in urbis Conſtantinopolitanae Regione III. fuiſſe adnotavit etiam Scaliger in Libro quodam ineditorum Adverſariorum, propria viri Inluſtris manu ſcriptorum, quem mecum communicavit Cel. Hemſterhuſius, his verbis: *In deſcriptione urbis Conſtantinopolitanae Regione III. nota Porticum ſemirotundam, quae ex ſimilitudine fabricae Sigma Graeco vocabulo nuncupatur.* Sed prolixius, quae ad formam Stibadii inluſtrandam adferri poſſint, exſequitur in Animadverſionibus ad Euſebium pag. 117. ubi recte Petri Ciacconii errorem notavit, qui ſtibadium putat ſimile fuiſſe arcui Scythico, cum forma Sigmatis graeci C conveniat Stibadio, non vero arcui Scythico aut Turcico, qui potius per formam Σ aut ς deſignabatur. Contra Scaligeri tamen ſententiam Ciacconium defendit, eumque immerito ipſi reprehenſum fuiſſe adſerit Valeſius noſter ad Ammian. Marcellin. Lib. XXII. pag. 228 ubi demonſtrare nititur, arcum Scythicum habuiſſe formam Stibadii C. Sed jure Scaligeri opinionem adverſus Valeſium vindicavit Ger. Voſſius ad Valer. Flacc. Lib. IV. 712. & operoſe Spanhemius de Uſu & Praeſtant. Numiſm. Diſſ. II. pag. 100 & 101. Ed. Noviſſ. Ceterum quod a ſigmatis Graeci forma, qua conſtructum erat Stibadium, Graecis *Sigma* & *ἡμικύκλιον* vocabatur, id indicat Martialis in apophoretis Lib. XIV. Ep 85. quod *Stibadium* inſcribitur:

Accipe lunata ſcriptum teſtudine Sigma
Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

Et ita Pollux Lib. IV. cap. 19. ſegm. 131. dicit *τὸ δὲ ἡμικύκλιον τὸ μὲν σχῆμα, Σίγμα,* qui etiam Lib. VI. cap. 1. Segm. 9. inter varia accubituum genera recenſet *στιβάδας καὶ ἡμικύκλια.* Vide plura apud Sirmond. ad Sidon. Apollin. pag. 23. Juretum ad Paulinum Lib. III. de vita Martin. v. 76. pag. 234. & du Cangium in Gloſſar. Med. Latin. in *Sigma.* Ceterum perperam hic in ſcripto Valeſii exemplari Latinum S exaratum erat, pro quo Graecum Sigma C recte me emendaſſe oſtendunt ſatis illa, quae notavi. Ex his etiam, ut obiter id addam, Sigmatis Graeci formam antiquiſſimam fuiſſe ut C Latinum, adferunt nonnulli, praeſertim cum in vetuſtis Codicibus & Edd. ita ſcribatur, ut ΔΙΟϹΚΟΡΟϹ, ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ & ſim. vid. Sylburg. ad Alphabet. Graec. pag. 55. & multa egregie huc facientia apud Joh. Rhodium in Diſſertat. de Acia Celſi a pag. 154.--158. & ex hoc ſcribendi more plurima in diverſis auctorum veterum locis ex librariorum oſcitantia inrepſerunt vitia, cujus generis exempla vide apud Salmaſ. ad Solin. Tom. II. pag. 1313. Ed. Par. & Bonav. Vulcan. ad Ariſtotel. & Apulej. de Mundo pag 293. Verum melius tamen Is. Voſſius ad Pompon. Mel. Lib. I. cap. 19. & Spanhemius loco ſupra notato oſtenderunt in antiquiſſimis monumentis literam hanc forma Σ ſemper pingi, ſed C rarius ante Domitiani tempora uſurpatum eſſe; nam perperam du Cangius in Conſtantinopoli in priore loco, quem modo produximus, tradit Spanhemium ex Agathonis apud Athenaeum loco ab omnibus fere hac in re adlato exiſtimare literam C vetuſtiorem eſſe, quam Σ. cum contrarium plane adfirmet, & ſententiam illam redarguat; qui pluribus eruditiſſime, ut ſemper ſolet, haec omnia inluſtrat. Sed deſino.

H E N-

HENRICI VALESII,

MILITIS, DOMINI D'ORCÉ

CONSILIARII QUONDAM ET HISTORIOGRAPHI REGII,

DE

CRITICA

LIBRI DUO.

QUI EX MUSAEO CLARISSEMI VIRI HADRIANI VALESII, HENRICI FILII, MILITIS, DOMINI D'ORCE, CONSILIARII, NEC NON FRANCIAE APUD ROTHOMAGOS QUAESTORIS,

PRIMUM PRODUCTI ET AB INTERITU VINDICATI;

NUNC PUBLICAM IN LUCEM PRODEUNT

EDENTE

PETRO BURMANNO

FR. FIL. FR. NEP.

QUI ET NOTAS NONNULLAS ADJECIT.

Digitized by Google

HENRICI VALESII

MILITIS, DOMINI D'ORCÉ,

CONSILIARII QUONDAM ET HISTORIOGRAPHI REGII,

DE

CRITICA

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Critici dicti, qui poſtea Grammatici. Critici Ludimagiſtri, tum qui Poetas interpretabantur, & emendabant. Ciceronis locus.

CRITICORUM Vocabulum varie ab antiquis acceptum eſſe comperio: Initio enim Critici (*a*) dicti ſunt, qui poſtea Grammatici pervulgato nomine appellati fuere, ne docet Dio Chryſoſtomus in Oratione 53. de Homero: quod quidem veriſſimum eſſe teſtatur Aeſchinis locus is Dialogo, qui

(*a*) *Initio Critici dicti ſunt, qui poſtea Grammatici appellati fuerunt.*] Sequitur in his Valeſius veterum diviſionem Grammaticae, cujus partem praecipuam conſtituit Critica, nam paullo poſt Grammaticos illos, qui Critici vocabantur, Ludimagiſtros fuiſſe, qui pueris artem legendi ac ſcribendi tradebant, deinde eorum partes etiam fuiſſe interpretationem & emendationem poetarum docet. Inter veteres enim Varro quatuor Grammaticae ſeu Criticae partes fecit *lectionem*, *enarrationem*, *emendationem & judicium*, quam diviſionem alii ita coarctarunt, ut ad *τελεωτέραν γραμματικὴν enarrationem* & *judicium*, ad *ἀτελεστέραν γραμματικὴν* vero *emendationem* & *lectionem* retulerint. Ad minus perfectam Criticen ſeu Grammaticen referunt igitur quarumlibet literarum atque elementorum nudam cognitionem; ut Criſpum Grammaticum deſcribit Auſonius in Profeſſorib. Carm. XXII.

Qui primaevos fandique rudes
Elementorum prima docebas
Signa novorum.

tales Grammaticos *calculones*, aut *Cauculones* vocabant, ut poëta vetus Epigrammate in Ludimagiſtrum; in Pithoei Catalect. Lib. IV. pag. 156.

Indoctus teneram ſuſcepit Calculo pubem,
Quam cogit primas diſcere literulas.

Ita enim legendum; ut videbimus ad ipſa Catalecta, quae ingenti ineditorum Epigrammatum & poëmatium veterum acceſſione locupletata ad editionem paramus. Hi *γραμματισταὶ* Graecis dicuntur, quos lite-

Digitized by Google

qui Axiochus inſcribitur. ibi enim Aeſchines Socratem inducens, cum Axiocho de humanae vitae calamitatibus colloquentem, poſtquam dixit hominem, cum primum in lucem editus eſt, a gemitu vitam auſpicari, ac nulli non dolorum generi expoſitum eſſe, ſubjungit: *Ubi vero ſeptimum annum ingreſſus eſt, ſtatim exerci*,

T

literarum primos informatores vocat Tertullianus de Pallio Cap. V. ad quem vide Salmaſii notas pag. 464. & ſeq. Deinde Grammaticen diviſerunt in perfectiorem ſeu abſolutam, qualem Crates, Ariſtarchus, Apollonius & alii conſummaverunt. Vide egregie de hac re agentem Mauſſacum in eruditiſſima Diſſertat. Critic. ad Harpocration. pag. 381, & 382. Dionyſius autem Thrax, Grammaticus Graecus (de quo vide Voſſium Lib. I. de Hiſtor. Graec. cap. 23. pag 148.) cujus locus jam ab aliis adnotatus eſt, ſex Grammaticae partes, & inter eas ultimam κρίσιν ποιημάτων, tradit his verbis: Γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ τοῖς ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων. μέρη δὲ αὐτῆς εἰσὶν ἕξ. πρῶτον ἀνάγνωσις ἐντριβὴς κατὰ προσῳδίαν. δεύτερον ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους: τρίτον γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις. τέταρτον ἐτυμολογίας εὕρεσις. πέμπτον ἀναλογίας ἐκλογισμός. ἕκτον κρίσις ποιημάτων. ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ. ad quae verba operae pretium erit adſcribere ea, quae de Grammatica & Arte Critica adnotavit Diomedes in Scholiis ad Dionyſium hactenus ineditis, quae deſcribere mihi licuit ex Iſaaci Voſſii libro, qui in Leidenſis Academiae Bibliotheca ſervatur, & quo Erennii Philonis, Lesbonactis, Dionyſii Thracis cum Scholiaſtis ejus Diomede, Porphyrio, Theodoſio, aliorumque Grammaticalia Graeca continentur, ac ſimilis fere codex eſt illi, quem ſe legiſſe teſtatur Caſaubonus in Caſaubonianis pag. 13, & 14. Ejus igitur inter alia haec ſunt: Τὰ πάλαι μέρη τῆς Γραμματικῆς ἦν τέσσαρα· καὶ εἰσὶ ταῦτα. Διορθωτικόν. ἀναγνωστικόν. ἐξηγητικόν. κριτικόν. Τίμιον δὲ αὐτῶν ἐστὶ τὸ κριτικόν, ὃς δοκεῖ μὲν μηδὲν συντάσσειν τῷ νέῳ. τῶν προλαβόντων δ' ἦν ἐπίσημον. Ἀνάγκη γὰρ εἶχεν ὁ κριτικὸς τὸν τοῦ διορθωτικοῦ. καὶ ἀναγνωστικοῦ, καὶ ἐξηγητικοῦ. ὁ κάλλιον δὲ τὰ τοῦ κριτικοῦ. ὥσπερ γὰρ ὁ πολιτικὸς κριτὴς ὅπερ ἐστὶ δικαστὴς οὐ πρότερον γίνεται εἰ μὴ ἀναγνῷ νόμους ἐπεὶ συνηγορήσει ἐπὶ πλεῖστον χρόνον, οὕτω καὶ ἐν τῇ γραμματικῇ ὁ κριτικός, εἰ μὴ τὰ τῶν προειρημένων ἀκριβῶς ἠπίστατο οὐκ ἠδύνατο εἶναι κριτὴς ὥστε οὐδ' ὁ κριτικὸς τοῦ τῶν ποιητῶν καλῶς ἢ κακῶς. ἢ ἐνδέοντι, ἢ ἐν μὴ δέοντι, ἢ ἐγκαίρως ἢ ἀκαίρως λεχθεῖσαν ἔννοιαν παραδίδωσι τῷ νέῳ. καὶ τὴν τούτων αἰτίαν ἐδίδασκεν. ὥσπερ παρὰ τῷ ποιητῇ τὸν στίχον τοῦτον δεῖ ὀβελίζειν τουτέστιν ἐκβάλλειν καὶ ἀποδοκιμάζειν μὴ ὄντα ἄξιον τοῦ ποιητοῦ. Et quae plura illic ſequuntur. Hujus autem Diomedis Scholiorum, ut id obiter addam, meminit ipſe Voſſius ad Catullum pag. 226. ac Dionyſium Thracem editurum ſe promittit ad Pompon. Melam Lib. I. cap. 8. pag. 45. Videri merentur quae de Dionyſio Thrace, ejusque Interpretibus habet Celeb. Wolfius ad Caſauboniana pag. 221. & Fabricius in Biblioth. Graec. Vol. VII. Lib. V. cap 7. pag. 24. & ſeqq. ubi ex apographo Holſteniano Dionyſii Artem Grammaticam ſed ſine Scholiaſtis ejus edidit. Sed ad rem ipſam pergamus. Dionyſius igitur Thrax ſextam Grammaticae partem ſtatuit κρίσιν ποιημάτων, cujus diviſionem comprehendit tripartita Grammaticae definitio in τεχνικὸν ſeu μεθοδικὸν, ἐξηγητικὸν ſeu ἱστορικὸν, & denique κριτικόν. Quarum prima in literarum elementis ac ſyntaxeos diſciplina conſiſtit. Altera in Poëtarum Mythologia, & Hiſtoriis abſtruſis exponendis tota eſt. Tertia denique, utraque certe praeſtantior, latius ſe extendit; ideoque addit Dionyſius de hac parte; ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων ἐν τῇ τέχνῃ. Verſatur enim in ſpuriis verſibus Poëtarum a legitimis diſcernendis, quaeque perperam ab auctoribus dicta caſtigat, & verba ac ſententias ſedibus ſuis tranſpoſitas vindicat & reſtituit. Notabilis hic eſt locus Senecae Epiſt. LXXXVIII. *Grammaticus circa curam ſermonis verſatur, & ſi latius evagari vult, circa hiſtorias. Jam ut longiſſime proferas fines ſuos, circa carmina.* Licet autem Dionyſius ſex Grammaticae faciat partes, ejus tamen Scholiaſtes in loco modo prolato quatuor tantum ab antiquis agnitas refert, Διορθωτικὸν, quae in emendatione auctorum, ἀναγνωστικὸν, quae in lectione, ἐξηγητικὸν, quae in enarratione, & denique κριτικὸν, quae in judicio conſiſtit. Hujus loci priora verba ex MS. etiam exhibet Langbaenius ad Longinum περὶ ὕψους Sect. VI. pag. 40. Ed. Toll. qui ſine dubio ea deſcripſit ex Codice Bibliothecae Bodlejanae, ex quo etiam inſignem alterius in Dionyſium Scholiaſtae Porphyrii locum producit ad Sect. IX. pag. 52. & Leo Allatius de Patria Homeri pag. 93. Sed de diviſione Grammatices vide plura apud Joſeph. Scalig. Epiſt. 20. & 451. Wouwer. in Polymath. cap. 8. & ſeqq. & qui has tres partes latius explicat, Andr. Schottum in Tullian. Quaeſtion. Lib. IV. cap. 2, 3, & 4. ubi in cap. 3. de Critica erudite agit. adde etiam Voſſium Lib. I. de Art. Gramm. cap. 6. & quae adnotavit Walchius in Hiſt.

Crit.

Digitized by Google

citores palaeſtrae, & *Magiſtri tanquam tyranni ipſi imponuntur: cum vero adoleverit, Critici, Geometrae, rei militaris doctores.* ἀνδρουμένῳ δὲ κριτικοί, γεωμέτραι, τακτικοί. Cebes quoque Socratis diſcipulus, qui eadem aetate, qua Aeſchines, vixit, in elegantiſſimo illo dialogo, qui πίναξ inſcribitur, Criticos pro Grammaticis poſuit: nam inter falſae diſciplinae cultores, poſt Rhetores & Dialecticos, poſt Muſicos, Geometras & Aſtrologos, poſt Peripateticos, Criticos nominat. Sed & Heraclides Ponticus

Crit. Ling. Latin. cap. 4. pag. 247. Quintilianus autem, qui Grammaticam in duas tantum partes dividit, in recte loquendi ſcientiam, & Poëtarum enarrationem, latius hanc ultimam partem deſcribit Lib. I. Inſtitut. Orat. cap. 4. his verbis: *Haec igitur profeſſio cum breviſſime in duas partes dividatur, recte loquendi ſcientiam & poetarum enarrationem, plus habet in receſſu, quam fronte promittit. Nam & ſcribendi ratio conjuncta cum loquendo eſt, & enarrationem praecedit emendata lectio, & mixtum his omnibus judicium eſt, quo quidem ita ſevere uſi ſunt veteres Grammatici, ut non verſus modo cenſoria quadam virgula notare, & libros, qui falſo viderentur inſcripti, tamquam ſubdititios ſubmovere familia, permiſerint ſibi, ſed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint loco.* Ubi vide quae hac de re notarunt Turnebus ac Pithoeus: & adde Hadr. Junium in Orat. de Art. Liber. Dignit. poſt Ejus Epiſt. pag. 591. & 592. & Politian. in Lamia pag. 460. Operum Ed. Baſil. Inde eſt quod Grammatica ipſa Critica promiſcue fuerit dicta, & qui Critici antea, Grammatici deinceps vulgari nomine adpellarentur: ut docere Dionem Chryſoſtomum Valeſius hic notavit, cujus verba ſunt in initio Orat. LIII. ὁ μὲν Ἀρίσταρχος, καὶ Κράτης καὶ ἕτεροι πλείους τῶν ὕστερον Γραμματικῶν κληθέντων, πρότερον δὲ Κριτικῶν. Et ſic Theodoſius Grammaticus in ἀνεκδότοις ad Dionyſium Thracem ſcholiis: Γινώσκειν δὲ χρὴ ὅτι τὸ παλαιὸν ἡ Γραμματικὴ Κριτικὴ ἐκαλεῖτο, παρὰ τὸ κρίνειν τὰ ποιήματα. Notabilis eſt ejuſdem Grammatici περὶ ὅρου locus, inter Excerpta Grammaticalia ex eodem Voſſii libro a me deſcripta: Ita enim inquit, ubi de Grammatica agit: Τὸ πρότερον δὲ Κριτικὴ ἐλέγετο καὶ οἱ ταύτην μετιόντες Κριτικοί. Αὐτόδωρος δέ τις Κυμαῖος συγγραψάμενος λέξιν, ἐπέγραψεν. Αὐτοδώρου Γραμματικὴ λέξις. καὶ ἐκ τούτου πότε ἡ Κριτικὴ Γραμματικὴ ἀλλάξας, καὶ Γραμματικοὶ οἱ ταύτην μετιόντες. Quae tamen verba Criticam manum forte exigunt, quia corrupta videntur. Nam ubi Autodorum Cumanum librum ſuum inſcripſiſſe Αὐτοδώρου Γραμματικὴ λέξις, & inde Criticam Grammaticam eſſe dictam, tum qui eam profitebantur, Grammaticos adpellatos eſſe tradit Theodoſius, nomen illius Grammatici forte mendo laborat; Autodorum enim inter Grammaticos, quantum mihi conſtat, a veteribus, non memoratum opinor, multo minus Criticos ab eo Grammaticos dictos eſſe; neque de eo quidquam praeter hunc quoque Theodoſii locum habet Celeb. Fabricius in Biblioth. Graec Vol. VII. Lib. V. cap. 7. pag 54. in capite, ubi de Grammaticis Graecis deperditis agit. Itaque cum haec oſtendiſſem ſingularis ingenii & eruditionis Viro, mihique conjunctiſſimo, Georgio d'Arnaud, ille ex Clementis Alexandrini loco, cujus verba mox ad initium ſequentis capitis exhibemus, cenſuit pro *Autodore*, nomen *Apollodori* ſubſtituendum eſſe, idque probabili admodum emendatione, praeſertim cum eum Cumanum fuiſſe, & Grammaticum dictum eſſe, illo in loco tradat Clemens, quae optime cum Theodoſii verbis conveniunt. Criticos igitur Grammaticos dictos fuiſſe παρὰ τὸ κρίνειν τὰ ποιήματα tradit Theodoſius, cui conſentit Euſtathius ad Homerum, cujus locus a Caſaubono profertur ad Strabon. Lib. IX. pag. 170. Ed. Par. Κριτικοὺς καλεῖ τοὺς κατὰ τὴν γραμματικὴν παράδοσιν εἰδότας κρίνειν τὰ ποιήματα. & hoc eſt quod a Quintiliano in loco ſupra adducto, dicitur *verſus cenſoria quadam virgula notare*, quomodo verum Poetarum Criticum eleganter etiam depingit Horatius in Arte Poët. v. 445:

Vir bonus & prudens verſus reprehendit inertes,
Culpabit duros, incomtis adlinet atrum
Transverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Ariſtarchus.

Iisdem in verbis Quintilianus, quibus perfectam Critici deſcriptionem exhibet, addit porro, Criticos veteres non tantum verſus cenſoria virgula notaſſe, ſed & *libros, qui falſo viderentur inſcripti, tamquam ſub-*

ticus Criticum vocavit Tiſiam illum, quem Rhetoricae artis inventorem quidam faciunt. Sic enim Euſtathius ad librum Iliados jota, Ἡρακλείδης δὲ φησὶν ὡς τῶν τινὲς κριτικῶν, ὁ ἐστιν ἀκριβεστέρων γραμματικῶν, ὧν ἐστι καὶ Τισίας, ὑπερβάλδι ἔλεγον εἶναι. Hi non aliud fuiſſe videntur, quam Ludimagiſtri, qui legendi ſcribendique artem pueris tradebant, & poëtas interpretabantur, ac metricae praecepta inſinuabant. inde eſt, quod apud Plutarchum legimus, Grammaticum quendam, a quo Alcibiades librum Homeri popoſcerat, cum ille nullum ex Homeri carminibus apud ſe eſſe reſpondiſſet, ab Alcibiade colapho eſſe percuſſum: cumque alter Grammaticus Homeri carmina a ſe emendata habere ſe affirmaſſet: *quid tu*, inquit Alcibiades, *pueros doces litteras? quin potius juvenes inſtruis, cum Homerum emendare valeas.* Haec Plutarchus in Alcibiadis vita commemorat. Ex quibus apparet, non interpretationem modo, ſed etiam emendationem poëtarum iam tum ad Criticos ſeu Grammaticos pertinuiſſe. quare de his Criticis intelligendus videtur locus Ciceronis in Libro IX. Epiſtola 10. ad Dolabellam. *Profert alter, ut opinor, duobus verſiculis expenſum Niciae: alter Ariſtarchus hos* ὀβελίζει. *Ego tanquam Criticus antiquus judicaturus ſum, utrum ſint* τοῦ ποιητοῦ, *an* παρεμβεβλημένοι. Caeterum Platonis aetate Grammatici proprie dicebantur, qui legere ac ſcribere didicerant: nec ſolis ludimagiſtris id nomen erat attributum, ut patet tum ex Platonis Philebo pag. 17. tum ex Libro III. de Republica pag. 402. praeceptores autem ipſi διδάσκαλοι dicuntur in fine Libri II. de Republica.

ſubdititios ſubmoviſſe familia & loco exemiſſe: In eo enim Criticorum induſtria ac cura praecipue verſata eſt, ut libris falſo inſcriptis, & ſuppoſititio titulo inſignitis veram ac genuinam redderent epigraphen: Ante tempora enim Regum Alexandriae nullum fere opus adulteratum aut falſo inſcriptum erat, ſed cum illorum aetate multa undique ſummo ſtudio conquirerentur antiquiſſimorum auctorum volumina, lucripetarum avaritia novos ac recentes ſcriptores mutatis titulis pro veteribus venditavit, eodem plane fuco, quo artifices, ut pretium operibus majus invenirent, ſuo marmori adſcribebant Praxitelem, aut trito argento Myronem, ut ait Phaedrus. Hinc ad fraudes has detegendas, & a genuinis ſcriptis falſa ac ſpuria dijudicanda Critici primum omnem adhibuerunt ſollertiam, & in ſuppoſititiis legitimo auctori vindicandis occupati fuerunt, atque ita proinde ſubdititios illos auctores *in ordinem redegerunt*, ut ait Quintilianus, id eſt ex eo loco, quem inmerito ſibi vindicaverant, deturbarunt atque inter viles & abjectos abjecerunt, cum contra alios *numero exemerunt*, ut idem ſubjungit, id eſt ex inferiori loco, in quem detruſi erant, ſuo ordini reſtituerunt. Id egerunt praeſertim Demetrius Magneſius libro περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων. & περὶ συνωνύμων, de quo vide Menagium ad Diog. Laërt. Lib. I. in vita Thaletis p. m. 13. cujus argumenti etiam ſunt Simareſti ac Dionyſii Sinopenſis tractatus περὶ ὁμωνύμων Ejusdem inſtituti fuit celebre Callimachi Grammatici opus, πίναξ παντοδαπῶν συγγραμμάτων, in quo de inſcriptionibus ſeu titulis librorum diſputavit, ac foetus legitimos veris auctoribus adſeruit. Vide Caſaubon. ad Athenaeum Lib. II. cap. 27. & Lib. VI. cap. 10. & Wouwer. Polymath. pag. 130. in hos autem Callimachi libros ſcripſiſſe Ariſtophanem Grammaticum teſtatur Athenaeus Lib. IX. pag. 408. ubi dicit, Ἀριστοφάνης δ' ὁ Γραμματικὸς ἐν τοῖς πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας. Similis itidem cum Callimachi opere tituli & procul dubio etiam argumenti fuit inter Latinos Grammaticos Aurelii Opilii libellus πίναξ inſcriptus, qui memoratur a Suetonio in Illuſtr. Gramm. cap. 6. in fine. Idem denique exſecutus eſt Artemo Caſſandreus in libro περὶ συναγωγῆς βιβλίων, quo ſcripta quaeque ad ſuos retulit auctores. id opus innuit Athenaeus Lib. XII. pag. 515. ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς, ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων, ἀγνοῶν ὅτι Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος. Vide plura apud Wouwer. in Polymath. cap. 16. & Mauſſacum Diſſert. Critic. ad Harpocration. pag. 397. & 398.

Digitized by Google

CAPUT II.

Grammatici dicti, qui antea Critici. Grammaticorum ſectae. primus Praxiphanes Grammaticus dictus. Grammaticae & Rhetoricae adfinitas. Critici apud veteres Dionyſius Halicarn. & Iſocrates. Critici declamationibus etiam vacabant. Darion & Munatius Critici, item Theagenes Cnidius, ac Marcianus, & praeſertim Dionyſius Longinus.

INualuit poſtea Grammaticorum nomen extincto Criticorum nomine, multique celebres tum in Graecia, tum in Aegypto Grammatici extiterunt, qui etiam ſcholae ſuae ſucceſſores ac ſectam quandam, perinde ac Philoſophi, reliquerunt, qualis fuit Crates, & Callimachus & Ariſtarchus, ex quorum nominibus Cratetii (a) & Callimachii & Ariſtarchii ſunt nominati, ut ex Athenaeo diſcere eſt. Primus autem Grammatici nomine appellatus eſt Praxiphanes Mytilenaeus, Dionyſophanis filius, ut refert Clemens Alexandrinus (b) in Libro primo Stromatum. Fuit hic Theophraſti ſodalis, qui Platonis dicta & initium illud Timaei reprehenderat, quemadmodum refertur a Proclo in Timaeum Platonis. Hujus Praxiphanis Grammatici meminit Dionyſius Halicarnaſſenſis in Libro περὶ ἑρμηνείας, cap. περὶ συνθέσεως λόγου. Erant autem ambo ex eadem inſula Lesbo: Theophraſtus quidem Ereſius, Praxiphanes vero Mytilenis ortus. Ac initio quidem id nomen honorificum fuiſſe vide-

(a) De his Grammaticorum ſectis vide Wouwer. Polymath. cap. 18. pag. 156. & quae habet Merillius Lib. I. Obſerv. cap. 2. in fine. Inter hos autem *Ariſtarchei*, *Ariſtophanei*, *Cratetei*, *Callimachei*, & *Zenodotei*, praecipui & maxime inluſtres fuerunt, ut pluribus oſtendit Vir Eruditiſſimus & Gotinganae Academiae decus Chriſt. Aug. Heumannus in Diſſertatione de Sectis Grammaticorum, in Tom. III. Poeciles pag. 633. & 634.

(b) Pag. 309. Ed. Heinſii, qui locus meretur hic adſcribi: Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος, πρῶτος τὸν κριτικὸν εἰσηγήσατο τοὔνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. Ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένην τὸν Κυρηναῖον φασίν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας. ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μιτυληναῖος. *Apollodorus autem Cumanus primus Critici nomen ſuſcepit, & adpellatus eſt Grammaticus. Nonnulli autem dicunt Eratoſthenem Cyrenaeum. Quoniam autem duos edidit libros, quos inſcripſit Grammaticos, nominatus eſt Grammaticus, ſicut nunc nominamus, primus Praxiphanes Dionyſophanis filius Mitylenaeus.* quae verba in interpretatione Gentiani Herveti pag. 146. Ed. Sylburg. admodum male diſtincta & interpuncta ſenſum turbant, cum ſic vertuntur: *Quoniam autem duos edidit libros, quos inſcripſit Grammaticos, nominatus eſt Grammaticus, ſicut nunc nominamus. Primus Praxiphanes Dionyſiphanis filius Mitylenaeus & Zaleucus Locrus primus ſcribitur leges tuliſſe.* Quod autem Apollodoro vel Eratoſtheni hic tradit Clemens primum Critici nomen datum fuiſſe, quaſi ab iis primam originem duceret Critica, id Ariſtoteli adſcribit Dio Chryſoſtomus, cujus locum infra initio Capitis VI. producit Valeſius, in Oratione de Homero LIII. his verbis: φησὶ δὲ καὶ αὐτὸς Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ, διέξεισι θαυμάζων αὐτὸν ὡς τὰ πολλὰ καὶ τιμῶν. Vide Mauſſac. Diſſert. Critic. ad Harpocrat. pag. 393. & 398.

Digitized by Google

videtur, magnamque haec ars dignitatem habuit, quod praeter caeteros docet Varro in Libro IV. de Lingua Latina (pag. 6. & 7.) *Singulorum*, inquit, *verborum origines expediam: quorum quatuor explicandi gradus: primus, in quo populus etiam venit: ſecundus, quo Grammatica deſcendit antiqua, quae oſtendit quemadmodum quodque poëta verbum confinxerit, quod declinarit* &c. Tandem vero alterum genus Criticorum exortum eſt, qui de partibus orationis & de hujusmodi artis minutiis ſcribere dedignati, ad eloquentiam ſe proprius applicuerunt, non alienam hanc provinciam eſſe arbitrantes: nam cum Grammatica & Rhetorica artes ſint confines, ſemper Grammatici initia quaedam ac veluti praeludia Rhetoricae attigerunt, quod etiam a Suetonio Tranquillo eſt obſervatum. Itaque hi Critici praecepta artis Rhetoricae tradere, ac de veterum Oratorum & Hiſtoricorum ſcriptis judicium ferre inſtituerunt, hoc ſolo a Sophiſtis diſtincti, quod minime declamitarent; prorſus inter Rhetores Grammatici, inter Grammaticos Rhetores erant, ut de quodam Attejo Philologo Grammatico Attejus Capito Juriſconſultus dicere ſolebat. Hujusmodi fuit Dionyſius Halicarnaſſenſis, cujus de Rhetorica egregios Libros habemus, cujus etiam eſſe Librum illum (*a*) περὶ ἑρμηνείας, qui vulgo tribuitur Demetrio Phalereo, pluribus olim argumentis evici. Scripſerat idem de imitatione libros quamplures, qui temporis injuria periere: certe hic Dionyſius Critici cognomento afficitur a Gregorio Nazianzeno in Epiſtola 121. cui concinit Eunapius in vita Porphyrii. Sed & ante Dionyſium Halicarnaſſenſem Iſocrates quidam Criticus dictus eſt a Polybio in Legatione 120. eundem poſtea Grammaticum appellat: ſic enim ait in Capite 122. Legationum, οὗτος δ' ἦν μὲν γραμματικὸς, τῶν τὰς ἀκροάσεις ποιουμένων &c. id eſt, *hic erat Grammaticus ex eorum numero, qui publice ſolent declamare:* quibus verbis Criticum Polybius aperte deſignat; nam Critici in hoc praecipue a Grammaticis differebant, quod declamationibus interdum vacabant.. Suetonius in Capite IV. de Illuſtribus Grammaticis: *Me quidem adoleſcentulo*, inquit, *repeto quemdam principem nomine, alternis diebus declamare, alternis diſputare: nonnullis vero mane diſſerere; poſt meridiem remoto pulpito declamare ſolitum.* Sic etiam Iſocrates ille factitabat, non ſolum de propria arte diſſerens & de quaeſtionibus, quae ad Grammaticam proprie ſpectabant, ſed etiam de republica in ſchola ſua publice declamans: quod quidem Oratoris potius erat quam Grammatici.

Longo poſt intervallo floruit Dorion Criticus Polemonis Sophiſtae temporibus, id eſt circa tempora Imperatoris Hadriani: de quo Philoſtratus loquitur in vita Dionyſii Sophiſtae (Lib. I. cap. 22. §. 4.) eademque aetate celebris fuit Munatius Criticus Trallibus Aſiae oriundus, cujus meminit idem Philoſtratus in vita Polemonis Sophiſtae; (Lib. I. cap. 25. §. 7.) ſed utrobique (*b*) κριτικὸς perperam ſcribitur, quod interpretem fefellit. Nec omittendus eſt Theagenes Cnidius, a quo & a Munatio Tralliano Criticam edoctus eſt Herodes Atticus. Sic enim Philoſtratus in Herodis vita (Lib. II. cap. 1. §. 14.) τὰς δὲ κριτικὰς τῶν λόγων Θεαγένει τε τῷ Κνιδίῳ καὶ Μουνατίῳ τῷ ἐκ Τραλλέων συνεγένετο: id eſt, *Criticam vero didicit a Theagene Cnidio*

T 3

(*a*) Vide quae notabimus infra ad cap. 8. hujus Diſſertationis.
(*b*) Vid. ſupra Lib. III. Emend. cap. 5. & 7. & Lib. V. cap. 10.

Cnidio & a Munatio Tralliano. quibus verbis non Grammaticam ſed artem judicandi de Orationibus Philoſtratus intelligit. Sic in vita Pollucis Sophiſtae κριτικοὺς λόγους opponit τοῖς σοφιστικοῖς, cum ait, (Lib. II. cap. 12. §. 2.) τὰ μὲν κριτικὰ ἱκανῶς ἤσκητο πατρὶ ξυγγενόμενος τοὺς κριτικοὺς λόγους εἰδότι. τοὺς δὲ σοφιστικούς, τόλμῃ μᾶλλον, ἢ τέχνῃ ξυνέβαλε &c. id eſt, *Pollux in Criticis quidem ſatis ſuperque exercitatus fuit: quippe qui patrem habuerit Criticae artis peritum.* Fuit & Marcianus Criticus iiſdem fere temporibus, qui Bruti epiſtolas Platonis ac Demoſthenis ſcriptis praeferebat, & pro norma eloquentiae eas proponendas eſſe aiebat. Hujus meminit Phrynichus in Libro undecimo Oratorii apparatus, cujus Excerpta leguntur in Bibliotheca Photii. Sed omnes ſuperioris memoriae Criticos claritudine nominis obſcuravit Dionyſius Longinus, qui Gallieni & Aureliani Imperatoris aetate vixit. Hic enim κατ' ἐξοχὴν Criticus cognominatus eſt teſte Suida, eique communi omnium ſuffragio cenſura delata eſt. Quamobrem Hieronymus in epiſtola 95. ad Ruſticum monachum deridens quemdam ſui temporis Sophiſtam, ſic ait: *Criticum diceres eſſe Longinum, Cenſoremque Romanae facundiae, notare quem vellet, & e ſenatu doctorum excludere.* Idem teſtatur Eunapius (*a*) in vita Porphyrii, (pag. 13. Ed. Jun.) Λογγῖνος δὲ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον: καὶ κρίνειν γε τοὺς παλαιοὺς ἐπετέτακτο, καθάπερ πρὸ ἐκείνου πολλοί τινες ἕτεροι: καὶ ὁ ἐκ Καρίας Διονύσιος πάντων ἀριδηλότερος. id eſt, *ea tempeſtate erat Longinus, ſpirans quaedam Bibliotheca ac vivum muſaeum, cui de veteribus judicandi poteſtas permiſſa erat: quo munere ante illum & alii non pauci, & Dionyſius e Caria cunctis illuſtrior perfunctus fuerat.* Denique Porphyrius in vita Plotini Longinum κριτικώτατον appellat, & τὸν ἐν κρίσει πρῶτον ὄντα καὶ ὑπειλημμένον ἄχρι νῦν. id eſt, *qui Criticorum omnium princeps & eſt & habetur ab omnibus etiam num.* De his Criticis loquitur Galenus in indice librorum ſuorum Capite 18. cum ait librum abs ſe ſcriptum eſſe, num idem poſſit eſſe Criticus & Grammaticus.

CAPUT III.

Quando a recentioribus ſtudium Criticae ſuſcitatum fuerit, & quantum iis debeatur.

TErtium tandem genus extitit Criticorum haud procul ante noſtram aetatem: Initium hujus artis ac ſtudii debetur Graecis, qui fugati irruptione Turcarum, Con-

(*a*) Eo in loco paucis interjectis ſubjungit Eunapius inſigne Criticae ejus facultatis teſtimonium pag. ſeq. εἴτις κατέγνω τινὸς τῶν παλαιῶν, οὐ τὸ δοξασθὲν ἐκράτει πρότερον, ἀλλ' ἡ Λογγίνου πάντως ἐκράτει κρίσις. *Quod ſiquis vetuſtum auctorem aliqua in parte reprehendiſſet, non prius rata ac firma habebatur ſententia, quam Longini illud confirmaſſet judicium.* & ſic Longini κρίσεις, ut in hoc Eunapii loco, memorat Theophilactus Bulgariae Archiepiſcopus Epiſt. XVII. Μή μοι σὺ τὰς Λογγίνου κρίσεις, περίαπτε, μὴ καὶ δόξῃς τισὶν οὐδ᾽ ὅς γε οὐ κατὰ Λογγῖνον κρίνειν. *Ne mihi igitur Longini cenſuras adtribuas, ne & ipſe nonnullis videaris non ſecundum Longinum judicare.* Quin & a veteribus Longini Κριτικὰ citantur, ut apud Diogen. Laert Lib. I. in vita Thaletis laudatur Διονύσιος ἐν Κριτικοῖς. ubi hunc Dionyſium Longinum indicari putabat Caſaubonus, licet Menagius illic emendet ἐν χρονικοῖς. Vide plura de eo apud Voſſium Lib II. de Hiſt. Gr. cap 16. Jonſium Lib III. de Script. Hiſt. Philos. cap. 14 pag. 284. & Langbaenium in Προθεωρίᾳ ad Longinum περὶ ὕψους noviſſimae editioni Tollianae praefixa.

Conſtantinopoli (*a*) relicta in Italiam migrarunt, libroſque ſecum & literas Occidentem invexerunt. Ab iis primum excitatum eſt hoc genus doctrinae ac praecipue a Theodoro Gaza. Quod deinde Politianus, aliique in Italia & Gallia amplexi mirum in modum excoluere. Hi non uni eloquentiae addicti, cujusmodi erant ſecundi ordinis Critici, nec ariditiſſimis artis Grammaticae praeceptis ſeſe exercuerunt, aut Poëtarum interpretatione, quod a primis Criticis faſtidiatum eſt; ſed orbem ſcientiarum complexi, nullam penitus diſciplinam ab ſe alienam eſſe judicaverunt: ut infra apertius demonſtrabitur. Praecipue tamen in emendandis explicandiſque Veterum libris operam ſuam poſuerunt, quod quam feliciter ab iisdem praeſtitum ſit, argumento ſunt tot antiqui ſcriptores, tum ſacri tum prophani, Philoſophi, Oratores, Poëtae & Hiſtorici, qui abſque horum opera eſſet, non modo non intelligerentur a plerisque, ſed ne legerentur quidem. Nam fatendum eſt multa Veterum monumenta, per hos ab interitu eſſe vindicata. Ingratiſſimi certe fuerimus, niſi tantis hominibus plurimum a nobis deberi profiteamur, qui labore ſuo & induſtria perfecerunt, ut jam nobis expeditior ſit via ſtudiorum, minusque ſit in literis poſtea laborandum, adeo nobis fere omnia complanata & facilia praeſtiterunt. Sed quoniam hujus artis ſtudioſos a nonnullis deſpectui haberi video, pauca de illius uſu ac nobilitate dicenda ſunt, quibus conſtet quanti ab omnibus haec ars fieri debeat.

CAPUT IV.

De Criticae praeſtantia atque utilitate.

USus quidem ſatis ipſe per ſe manifeſtus eſt. Nam cum Critica ars ſit bene judicandi de ſcriptis & orationibus cum veterum tum recentiorum, quis eſt tandem qui hujus artis praeſidio non egeat? Huc accedit quod in veteribus libris menda plurima occurrunt, quae lectionis curſum tanquam ſcopuli morentur neceſſe eſt.

(*a*) Ea enim cum a Turcis anno 1453. capta eſſet, Graeci, quos inter praecipui fuerunt praeter Theodorum Gazam Emanuel Chryſoloras, Georgius Trapezuntius, Demetrius Chalcondylas, Johannes Laſcaris, aliique, meliores Literas poſt quinque fere ſeculorum Barbariem in Italia iterum excitaverunt, & agreſti Latio ſcientias ſuas denuo intulerunt, quorum exempla ſecuti eorum diſcipuli & bonarum artium eximii inſtauratores, Hermolaus Barbarus, Johannes Picus Mirandulae Comes, Angelus Politianus, Philippus Beroaldus, Joh. Jov. Pontanus, qui in prima illa Literarum caligine ceteris facem praetulerunt, & Critices ſubſidio veterum auctorum monumenta e tenebris eruta, & velut laceras e naufragio tabulas induſtria ſua colligere, & maculas a ſqualore iſto contractas abſtergere inceperunt, ac proinde illi antiquis ſcriptoribus animam tunc aegre trahentibus primi vitam reſtituerunt, quorum deinceps veſtigiis inhaerentes alii non diu poſt ſecuti Heröes innumeri priſtinum Criticae, & omnis Eruditionis ſcientiis ſplendorem ac decus tandem iterum conciliaverunt, quibus unice jam, quod nobis licet eſſe tam beatis, ut in tanta Literarum luce verſari contingat, acceptum referre nos decet. Id pluribus perſequitur Theodorus Ryckius in erudita Oratione de Palingeneſia Literarum habita Leidae an. 1672. & Jacobus Perizonius in Oratione de Doctrinae Studiis poſt depulſam Barbariem diligentiſſime excultis &c. pag. 24 & 25. quibus adde elegantiſſimam Jani Broukhuſii praefationem Sannazario praefixam, &, ſi tanti ſint, quae diximus in Orat. Inaug. pro Criticis pag. 22. & 23.

eſt. Multae quoque variae lectiones, quas διττογραφίας vocant, ſeſe offerunt, e quibus optimam eligere perquam difficile eſt. Multae denique difficultates tum ex obſcuris vocibus, tum ex rerum ac ſententiarum obſcuritate naſcuntur. Adeo ut nemo unquam ex tantis ſalebris expedire ſe facile poſſit, niſi Criticae beneficio tanquam Ariadnae filo adjuvetur. Polybius gravis auctor inprimis alicubi monet, ſic nos ad Hiſtoriae lectionem accedere oportere, ut meminerimus nos eorum, quae legimus, judices eſſe ac cenſores. Idem in lectione Poëtarum & Oratorum & cujusque generis ſcriptorum, a nobis faciendum eſt, cavendumque praecipue eſt, ne animo praeoccupato atque addicto, ac prae verecundia ſubmiſſo, ad legendum accedamus: neve auctoritatem ac vetuſtatem ſcriptoris nobis imponere atque illudere patiamur. Solis Divinis (a) libris hic honos habeatur, ut animo quaſi in ſervitutum redacto, & judicii noſtri libertate abjecta eos perlegamus. De caeteris vero omnibus aſſueſcamus inter legendum judicium ferre: quoniam hic praecipuus lectionis fructus eſt, animadvertere quid commode, quid perperam dictum ſit, ut hoc fugere, illud vero imitari poſſimus. Equidem Criticam appellare ſoleo facem ac lampadem reliquarum artium, quam qui ſemel eſt adeptus, hic non modo tutius per omnes diſciplinas incedit, ſed etiam longe majores facit progreſſus quam caeteri. Quod ſi maximos & celeberrimos tum antiquitatis tum recentioris memoriae ſcriptores percenſere velimus, inveniemus profecto neminem eorum absque hujus artis ſubſidio ad doctrinarum apicem & ad tantam gloriam perveniſſe. Ac ne id temere affirmaſſe videamur, operae pretium fuerit allatis ſingillatim exemplis rem oſtendere, quo Criticae artis uſus ſimul ac nobilitas luculentius appareat.

C A-

(a) Neſcio an his in verbis plane ex animi ſententia loquatur Valeſius. Nam quod ad ſenſum & res ipſas, quae ſacris continentur paginis, adtinet, iis honorem hunc & reverentiam ab omnibus, qui bonae menti litant, deberi nemo ſanus, ut opinor, in controverſiam vocare ſuſtinebit. Sed quoniam de Critica ejusque praeſtantia hic agitur, nemo etiam uſum illius modeſtum & oportunum a divinis libris procul arcendum eſſe contendet, quos qui deſcribendo ad poſteritatem tranſmiſerunt, manus habuerunt aeque ut ceteris aliorum Auctorum librariis contigit, erroribus & ſcripturae vitiis obnoxias, quibus eximendis Viri doctiſſimi ſincerae Critices ſubſidio feliciter uſi ſunt. Notabilia ſunt Iſaaci Voſſii verba in notis ad Catullum pag. 241. ubi non ſine ſale eos reprehendit, qui id negant: *Paſſim & in omnibus etiam ſacris id obſervare licet ſcriptoribus, ut ubi ſimilia aut eadem occurrant vocabula, omittantur a librariis ea, quae in medio ponuntur. Nemo doctus haec neſcit aut negat, futiles tantum & inepti aliquot homines qui tamen Theologi videri cupiunt, haec non admittunt, libenterque ſacros libros ab hac labe immunes velint, ac propterea ſanctos & ἀναμαρτήτους quosdam fingunt ſibi librarios, quales tamen nemo hactenus aut vidit, aut videbit unquam.* Sed modeſtius hoc adſerit Caſaubonus in Caſaubonianis pag. 67. his verbis: *Literae quidem ſacrae, hoc eſt ὁ νοῦς utriusque teſtamenti ἄφθαρτα ſunt, & nulli depravationi obnoxia; at lingua, quae literarum illarum veluti φόρημα eſt, quin aliquam labem aut labeculam ſed ſine detrimento τοῦ νοῦ acceperit longi temporis tractu, non eſt, ut puto, dubitandum. In Graeco res manifeſta: multa leviter immutata, quaedam gravius tentata, ſed ſic ut veritas inconcuſſa maneret. In Hebraico cur dubitemus? nonne tota Maſora certiſſimum ejus rei teſtimonium praebet?* Id pluribus oſtendit Perizonius in Animadvers Hiſtor. cap. 10. pag. 410. & ſeqq. ubi de Critices uſu in ſacris Literis erudite diſſerit.

CAPUT V.

Socrates & Plato Critici primi. Socrates primus Etymologias inveſtigari docuit. Andromachus & Horus Grammatici inter Etymologicos. Regulae de ratione judicandi. Socratis ſcripta maxime Platoni tribuenda.

A Socrate igitur & Platone exordiar, quibus parentibus & auctoribus Critica non immerito gloriatur. Eximium Criticum fuiſſe Socratem docent Platonis Dialogi complures. Sed prae caeteris ille, qui Cratylus inſcribitur, in quo de recta nominum impoſitione & de veriloquio ſeu origine vocabulorum, quam Graeci ἐτυμολογίαν vocant, ſuo more diſputat. Sed & alibi originem nominum ac proprietatem frequenter indagat: verbi gratia, cum in Phaedro ἔρωτος vocabulum derivat ἀπὸ τῆς ῥώμης: & cum ἀπὸ τῆς μανίας dictam eſſe μαντικὴν ibidem affirmat. Ac mihi quidem videtur Socrates primus viam ac methodum aperuiſſe Grammaticis inveſtigandae Etymologiae: quod etiam a Dionyſio Halicarnaſſenſi in libro de collocatione verborum, & a Favorino Philoſopho apud Laërtium annotatum eſt. Nam ante illum Tragici quidam Poëtae obiter tantum ac veluti alludentes originem nominum appoſite ad ſuum argumentum expreſſerant, quemadmodum Aeſchylus in Aetna de Palicis loquens, & Euripides in Philocteta de Apolline: eorum verſus in Lib I. (cap. 17.) & Lib. V. (cap. 19) Saturnalium Macrobii reperiet qui voluerit. Sed Socrates eam Grammaticae partem uberius explicuit, viamque praeivit Etymologicorum ſcriptoribus: inter quos celeberrimus fuit Andromachus (*a*) in Scholiis Homericis nominatus, & Horus Grammaticus, quem quidem Auctor magni Etymologici ſaepenumero appellat. Neque vero eſt, quod quiſquam mihi objiciat, Socratem non ut Grammaticum, ſed perinde ac Philoſophum, hoc argumentum tractaviſſe; quod innuere videtur Varro in Libro IV. de Lingua Latina, (pag. 7.) ubi de origine verborum ſic ait, *tertius gradus eſt quo Philoſophia aſcendens pervenit* &c. Nam tametſi philoſophandi conſilio de his egerit, non tamen abſque Criticae praeſidio. Annon haec aperte Criticum ſapiunt, cum de Apollinis vocabulo diſſerit: ὥσπερ οὖν τὸ ὁμοκέλευθον καὶ ὁμόκοιτιν, ἀκόλουθον καὶ ἄκοιτιν ἐκαλέσαμεν, μεταβάλλοντες ἀντὶ τοῦ, ο, α, οὕτω καὶ Ἀπόλλωνα ἐκαλέσαμεν, ὃς ἦν ὁμοπολῶν, ἕτερον λ ἐμβάλλοντες. Ad Criticam quoque referenda ſunt pleraque, quae in Gorgia & in Jone leguntur; in quibus Dialogis de Rhetorica & de Poëtico charactere

V So-

(*a*) Hujus Andromachi Ἐτυμολογικὰ citat Didymus in Scholiis ad Homer. Jl. N. v. 130 cujus locum in animo habuit Valeſius. Hori autem Alexandrini Grammatici ſaepe meminit Stephanus Byzantinus, ejusque Orthographiam ad partes vocat in voce Ταξιαρχος. & ſic Hori Mileſii Etymologicum MS. citat Fulv. Urſinus in notis ad Feſtum pag. m. 3. Vide Fabric. Biblioth. Graec. Vol. VII. pag. 67. Horum Grammaticum etiam inter alios loquentem introducit Macrob. Lib. II Saturn cap. 2. Ceterum quae hic in initio capitis de Socratis & Platonis peritia in Etymologicis, quae maxime ex Cratylo ejus Dialogo elucet, Valeſius notavit, eadem fere, & adductis iiſdem Dionyſii Halicarnaſſei ac Phavorini apud Laërtium locis, etiam obſervavit Wouwerius de Polymath. cap. IX. p. 59. ubi & plures Etymologiarum Scriptores veteres recenſet.

Socrates diſputat. Sed illuſtriſſimum Critici ſpecimen edidit in Dialogo qui Phaedrus inſcribitur. Ibi enim cum Orationem Lyſiae, cui titulus erat λόγος ἐρωτικὸς diligenter examinat, tum de his, qui artem dicendi conſcripſerant, Theodoro ſcilicet, Polo, Tiſia, aliiſque rectiſſime judicat: quod quidem proprium eſſe Critici officium ſupra oſtendimus. Duas etiam rationes ſeu regulas nobis inſinuat, quibus de qualibet oratione, quam aut legimus, aut audimus, recte judicare valeamus. Prima ducitur ex comparatione; nam cum orationem, quam prae manibus habemus, contulerimus cum veterum ſcriptis, qui idem aut ſimile argumentum tractaverunt, tum ſi forte inveniamus, veteres multo plura & meliora dixiſſe, recentiorem illam minime admirabimur. Sin contra eandem copiam ſententiarum, paremque verborum elegantiam in noſtri temporis oratore perſpexerimus, non minus honorifice de ejus opere quam de vetuſtiorum ſcriptis ſentiemus. Quin etiam nosmet ipſos conſulere poſſumus, utrum lectis atque auditis plura ac meliora proferre poſſimus. Altera ratio judicandi ducitur ex artis praeceptis, cum examinamus an inventio recta ſit, numquid in diſpoſitione peccetur; an orationis partes ſibi invicem apte cohaereant, an diſpectae diſſipataeque ſint ſine ordine ac ratione. Omnis enim oratio, ut eleganter ait Socrates, tanquam corpus quoddam debet eſſe, & habere media atque extrema ita deſcripta atque diſpoſita, ut & ſibi invicem ſingulae partes & toti corpori pulcre conveniant. Nullumque majus vitium eſt orationis, quam cum parum aut nihil refert an prima ſecundo, ac ſecunda primo loco poſueris. Cujusmodi epigramma erat illud in monumento Midae, quod ibidem refert Socrates. Denique judicium illud Socratis de Iſocrate, quem Lyſiae valde anteponit, abunde demonſtrat qualis quantusque Criticus fuerit Socrates. Socratem porro quoties dico, Platonem ſimul intelligi velim. Nam tametſi Plato nihil ſuo nomine edidit, ſed omnia ad Magiſtrum Socratem retulit, conſtat tamen eorum, quae a Socrate dicuntur, laudem maxima ex parte Platonis ingenio deberi. Porro Platonem peritiſſimum fuiſſe judicem ac cenſorem Poëtarum docet Proclus in Libro I. Commentariorum in Timaeum. Εἴπερ γάρ τις ἄλλος καὶ ποιητῶν ἄριστος κριτὴς ὁ Πλάτων ὡς καὶ Λογγῖνος συνίστησιν, Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποντικὸς φησὶν ὅτι τῶν Χοιρίλου τότε εὐδοκιμούντων, Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προὐτίμησε, καὶ αὐτὸν ἔπεισε τὸν Ἡρακλείδην εἰς Κολοφῶνα ἐλθόντα, τὰ ποιήματα συλλέξαι τοῦ ἀνδρός. μάτην οὖν φληναφῶσι Καλλίμαχος καὶ Δοῦρις, ὡς Πλάτωνος οὐκ ὄντος ἱκανοῦ κρίνειν ποιητάς.

CAPUT VI.

Ariſtoteles Criticorum princeps. Opera ejus Criticam ſpectantia. Ilias Homerica ab eo emendata, ejusque editio e narthecio dicta.

A Platone veniamus ad Ariſtotelem, a quo Criticam & Grammaticam initium ſumſiſſe docet Dio Chryſoſtomus in Oratione LIII. Hic in omni doctrinae ge-

genere princeps Criticam quoque non leviter attigit, ejusque argumenti varios libros reliquit. Nam de Poëtis libros tres, de Tragoediis unum, Homericarum Quaeſtionum libros ſex ſcripſerat, teſte Diogene Laërtio, qui temporis injuria perierunt. Superſunt etiamnum ejus de Arte Rhetorica libri tres, & de Poëtica ſingularis liber, qui abunde poſſunt oſtendere illum Criticae artis peritiſſimum fuiſſe, quippe qui non modo in univerſum de arte Rhetorica & Poëtica, earumque generibus & partibus, ſed etiam de Oratorum ac Poëtarum operibus adeo accurate judicaverit. Certe qui poſt illum de Rhetorica arte ſcripſerunt, ut Cicero, Dionyſius & Quintilianus, omnes ex illius uberrimis fontibus hortos ſuos irrigaverunt. Quin etiam Homeri (*a*) Iliadem ab eo emendatam tanti feciſſe dicitur Alexander, ut eam ſub pulvinari ſemper habuerit: eaque editio vulgo *e Narthecio* cognominabatur, cunctiſque merito editionibus praeferebatur.

CAPUT VII.

Theophraſtus Criticus, & Menandri praeceptor. Scripta ejus Critica.

SUcceſſor Ariſtotelis Theophraſtus pari diligentia Criticam excoluit. Docent id complures ejus libri qui a Diogene Laërtio referuntur. Duos enim libros de Poëtica, unum de metris, unum etiam de Comoedia ſcripſerat. Menandri quoque celeberrimi Comoediarum ſcriptoris praeceptorem illum fuiſſe, ab eoque Menandrum Comoediae praecepta hauſiſſe, auctor eſt Pamphila. Memorantur etiam ejus libri de Soloeciſmis, item de arte Rhetorica, & de judiciali genere orationum. Quorum librorum vel tituli ipſi ſatis indicant Theophraſtum in Critica arte valde exercitatum fuiſſe.

(*a*) Criticam in Homerum forte exercuit Ariſtoteles in Dialogis de Homero, quos citat Dio Chryſoſtomus in loco a Valeſio hic in initio capitis deſignato, cujus verba ſunt: Καὶ δὴ καὶ αὐτὸς Ἀριστοτέλης, ἀφ᾽ οὗ φασὶ τὴν Κριτικὴν καὶ Γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ. διέξεισι θαυμάζων αὐτὸν ὡς τὸ πολὺ καὶ τιμῶν. Ubi quod dicat ſecundum nonnullos ab Ariſtotele initium deducere Criticam & Grammaticam, id ab aliis Apollodoro Cumaeo aut Eratoſtheni adſcribi, ex Clemente Alexandrino ſupra notavimus ad Cap. 2. neque monere id neglexit Wouwerius de Polymath. cap. XVIII. p. 155. Ita Ariſtotelis Criticae in Homerico verſu cenſurae & emendationis meminit Scholiaſtes Theocriti Idyll. I. v. 34. Scripſit enim Ἀπορήματα Ὁμηρικά, de quibus vide Menagium ad Diog. Laërt. Lib. V p. 115. Celeberrima autem fuit Homericae Iliadis ἔκδοσις ab Ariſtotele emendata, cujus editio ἐκ τοῦ Νάρθηκος ſeu *e Narthecio* vocata fuit, quoniam Alexander, cui illam dedit Ariſtoteles, eam curavit opera Calliſthenis & Anaxori uſus, & in narthecio, quod inter ſpolia Perſarum acceperat, eam reconditam habuiſſe & ſecum circumduxiſſe fertur. vid. Caſaubon. ad Strabon. Lib. XIII. p. 224. b Kuſteri Hiſt. Critic. Homer. pag. 15. & 99. Joh. Rudolph. Wettenii Diſſert. de Script. Homer. § IV. pag. 151 & Fabric. Biblioth. Graec Lib. II. cap. 2. pag. 271. Ad exemplum vero Alexandri & Ariſtotelis Homerum deinde emendavit Rex ſimul & Criticus Caſſander Macedo, qui Iliadem & Odyſſeam non ex publicis & vulgatis codicibus, ſed propria induſtria deſcriptas emendavit; de quo vide Caſaub. ad Athenaeum Lib. XIV. cap. 3. p. 564.

CAPUT VIII.

Demetrius Phalereus Criticus, ejuſque ſcripta. An auctor ſit libri περὶ ἑρμηνείας? Tertullianus notatus.

INter Criticos numerandus etiam eſt Demetrius Phalereus, Theophraſti auditorum celeberrimus. Ejus de Iliade libros duos, ac de Odyſſea libros quatuor, itemque Dialogum, qui Homericus inſcribebatur, Diogenes Laërtius commemorat. Idem de Rhetorica libros duos aliaque ingenii ſui monumenta reliquerat, ex quibus κριτικώτατον illum fuiſſe liquido conſtat. Circumfertur ejus nomine liber περὶ ἑρμηνείας, qui ſi revera ejus eſſet, nullo praeterea argumento egeremus, ut Criticum fuiſſe Demetrium probaremus. Sed jam pridem certiſſimis argumentis (*a*) convicimus eum librum non Demetrii Phalerei, ſed a Dionyſio Halicarnaſſeo ſcriptum fuiſſe. Quibus hoc etiam addi velim; Scribit auctor ejus libri, Comoedias olim Attico ſermone ut plurimum ſcriptas fuiſſe, Tragoedias autem Dorico. ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐκωμῴδουν Ἀττικιστί. Ex quibus verbis manifeſte apparet, ejus ſcriptoris aetate Comoedias Graece ſcribi atque actitari deſiiſſe. Nam ſi tunc temporis Comoedia adhuc erat in uſu & in honore apud Graecos, quid cauſae erat cur diceret, ἐκωμῴδουν, quo tempore res vetuſtior & a noſtra aetate remotior deſignatur. Proinde Demetrius Phalereus illius libelli auctor eſſe non poteſt, cujus temporibus Comoedia cum maxime Athenis florebat, & Menander pulpita quatiebat. Paene omiſeram hunc Demetrium Phalereum a Tertulliano in Apologetico (cap. 18.) dici *Grammaticorum omnium probatiſſimum*. Quod equidem per errorem a Tertulliano ſcriptum exiſtimo. Etſi enim Criticae peritiſſimus fuit Demetrius non ideo tamen Grammaticus fuit appellandus, quippe qui non huic ſolum diſciplinae ſeſe applicuerit.

(*a*) Ea de re ſententiam ſuam expoſuit Valeſius, & argumentis ex ipſo περὶ ἑρμηνείας auctore petitis probavit in notis ad Excerpta Peireſcian. pag. 65. & 66. & ubique fere in ſcriptis ſuis ſub Dionyſii Halicarnaſſenſis nomine librum hunc περὶ ἑρμηνείας ad vocat, qui Demetrio Phalereo vulgo adtribui ſolet vid. Lib I. Emend. cap. 2. & cap. 30. Lib. II. cap. 6. & ſupra Lib. I. de Critic. cap 2. & alibi. Valeſii ſententiae ſubſcribit, & Dionyſio Halicarnaſſenſi libellum hunc adſerit etiam Menagius ad Diog. Laërt. Lib. I. pag. 37. & Lib. V. pag. 129. & 131. Edit Lond tum in Obſervationibus Italicis ad Amintam Taſſi v 15. pag. 141. In eadem tamen opinione jam dudum ante Valeſium & Menagium fuerunt Politianus & Muſurus, ut eleganter ad Politiani Epiſtolam obſervatum eſt ab Hiſtoriae Literariae peritiſſimo Moneta (de la Monnoye) in Tom. III. Menagianor. pag 580. & ſeqq. cui res extra omnem dubitationis aleam poſita videtur. Maxime autem id colligunt ex Scholiaſte Ariſtophanis in Νεφέλαις v. 400. Χάριέν ἐστιν ἐν τέχνῃ τὸ ἀλληγορεῖν, ὡς ἔφη Διονύσιος ὁ Ἀλικαρνασσεὺς ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας. ex quo loco id etiam adfirmat Iſaacus Voſſius notis ad Catullum pag. 153. Probabilior tamen videtur ſententia illorum, qui putant confuſos eſſe duos Demetrios, & aureum hunc libellum adjudicandum cenſent Demetrio, non Phalereo, ſed Alexandrino Rhetori, id quod prolixe oſtendit Voſſius Lib. VI Inſtitut Orator. Cap. II. §. 2. in qua etiam opinione fuerunt Muretus, Thomas Galeus, & Joh Hudſonus; quibus merito calculum ſuum adjecit Celeberrimus Vir, ſed magno bonarum artium detrimento nuper defunctus, Joh. Alb. Fabricius in Biblioth. Graec. lib. IV. cap. 31. Vide etiam quos ſuper hac re laudat Vir ſummus, & quem Germania merito hodie inter Eruditorum principes numerat, Joh. Chriſtoph. Wolfius in notis ad Caſauboniana pag 249 & 250. Quod autem Valeſius in fine capitis Tertullianum erroris arguat, quia Demetrium *Grammaticum* adpellat, idem fere notavit etiam Scaliger ad Euſebium p. 133. b qui dicit Tertulliano parum notas fuiſſe Demetrii dotes, qui eum duntaxat *Grammaticorum probatiſſimum* vocat, ſed *Grammaticum* pro Critico promiſcue uſurpavit Tertullianus. vide Valeſium ſupra cap. 1. & 2.

CAPUT IX.

Heraclides Ponticus Criticus. Liber de Allegoriis Homericis auctorem habet juniorem Heraclidem. ὑπόνοια pro allegoria. Scripta Critica Heraclidis Pontici.

FUit etiam inter Criticos Heraclides Ponticus, qui multa de arte Grammatica & de Rhetorica ſcripſit. Nam de Homero & Archilocho libros duos, de ſolutione Quaeſtionum Homericarum binos item libros, totidemque de Homeri & Heſiodi aetate ſcripſiſſe perhibetur a Laërtio. Certe Dio Chryſoſtomus in Oratione LIII. Heraclidem Ponticum inter eos recenſet Philoſophos, qui de Homero ſcripſere, eumque laudibus atque admiratione proſecuti ſunt. Extat hodie Heraclidis (*a*) liber de Allegoriis Homericis, ſed ab altero Heraclide multo recentiore conſcriptus. In eo enim libro Crates Grammaticus & Herodicus Cratetis auditor, & Callimachus & Aratus nominantur, quos conſtat longe poſt Heraclidis illius veteris aetatem floruiſſe. Ad haec ἀλληγορίας nomen, qui titulus eſt libri, inter recentiora ponit Plutarchus in libro de lectione Poëtarum, cum antiqui ὑπόνοιαν pro eodem dicere ſolerent. Sic certe loquitur Plato in Libro II. de Republica ſub finem. Ἥρας δὲ δεσμοὺς &c. & Philo de Eſſenis ſcribens. Scripſerat etiam Heraclides Ponticus teſte Laërtio de Poëtica & de Poëtis librum unum. De tribus Tragicis, id eſt Aeſchylo, Sophocle, & Euripide librum unum; itemque de arte Rhetorica dialogum, qui Protagoras inſcribebatur, ut non immerito in Criticorum theatro locum ſibi vindicet.

 C A-

(*a*) Heraclidi Pontico librum hunc Allegoriarum Homericarum adtribuit Geſnerus, cujus error a viris doctis jam abunde notatus eſt. Quod exiſtimet Valeſius auctorem illius ſcripti fuiſſe Heraclidem Juniorem, qui Caligulae, Claudii, & Neronis tempore vixit, in eo ſibi adſentientem habet Voſſium Lib. I. de Hiſt. Gr. cap. 9. Certe eamdem ob cauſſam quia ſcilicet in eo multi, qui poſt Heraclidis Pontici aetatem vixerunt, citantur, foetum hunc ipſi abjudicat etiam Menagius ad Diogen. Laert. Lib V in Heraclide pag. m. 132, Sed & hunc argumento addit Galeus, qui Allegorias has inter Opuſcula Mythologica & Phyſica edidit, in initio notarum; pag. 407. Heraclidem illum veterem fuiſſe Platonicum, hunc autem Allegoriarum auctorem non tantum non inter Platonicos eſſe referendum, ſed & contra Platonem hanc diſceptationem ſcripſiſſe. Illum autem antiquum Heraclidem Ponticum innui puto a Proclo Lib. I. Comment. in Timaeum Platonis, cujus locum ſupra in fine capitis quinti produxit Valeſius. Ceterum Leo Allatius, Lucas Holſtenius, aliique auctoritate Codicum MSS. *Heraclitum* non *Heraclidem* vocandum eſſe libelli hujus auctorem exiſtimant, quorum ſententiam ſequitur Celeb Fabricius in Biblioth. Graec. Lib. I. cap. 22. vide & Kuſteri Hiſt. Critic. Homer. Sect. VII. pag. 119 Praeter libros autem de Poëtica & Poëtis, de tribus Tragicis, & de Arte Rhetorica, quos in fine capitis memorat Valeſius, etiam plurima alia ſcripſerat Heraclides Ponticus, quae recenſet Joh. Ionſius in erudito opere de Script. Hiſt. Philos. Lib. I. cap. 17. Alius Heraclides Criticus ſeu Grammaticus citatur a Stephan. Byzant. in voce Μόψου ἑστία. alius item eſt Ἡρακλείδης Κριτικὸς, cujus opus περὶ τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι πόλεων citat Apollonius Dyſcolus Hiſt Mirab. cap. 19. ut recte pro Ἡρακλείδης Κρητικὸς legit Olearius ad Philoſtrat. Lib. II. de Vitis Sophiſt. XXVI. pag. 612.

CAPUT X.

Democritus Abderita Criticus, qui de Homerica poëſi ſcripſit. Poëtas adflatu divino agitari. Democriti ſcripta.

HOs omnes aetate anteceſſit Democritus Philoſophus, vir in omni diſciplinarum genere egregie verſatus, qui idcirco πένταθλος cognominatus eſt. Hunc ut in Criticorum album referamus, multa ſunt quae perſuadent. Librum enim ſcripſit de Homerica poëſi, quem inſcripſit, περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείας καὶ γλωσσέων. Cujus principium eſſe videtur quod refert Dio Chryſoſtomus in Oratione LIII. de Homero: Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων: quaſi, inquit Dio, adeo pulcra & prudentiae plena carmina ſine adflatu ac furore quodam divino fieri minime potuerint. Certe ea fuit Democriti opinio, quam deinde ſecutus eſt Plato in Phaedro & in Jone Dialogis, Poëtam bonum neminem ſine inflammatione animi exiſtere poſſe, & ſine quodam afflatu quaſi furoris, ut teſtatur Cicero in Libro II. de Oratore. Scripſit item de Poëſi (*a*) & de venuſtate carminum & de Rhythmis, & de verbis quae bene & quae male ſonant, & Vocabularum. Poſtremo hic videtur eſſe omnium primus, qui de gloſſis Homeri, id eſt, de peregrinis & a communi uſu remotis vocabulis ſcipſit.

CAPUT XI.

Iſocratis Critica facultas in Oratione, quae Buſiris inſcribitur, & quid ea contineatur.

INter Criticos commemorandus etiam eſt Iſocrates. Nam cum vel praecipuum Criticae officium ſit de Orationibus, deque earum vitiis ac praeſtantia ferre judicium, ſummum ejus artis ſpecimen edidit Iſocrates, in elegantiſſima illa Oratione, quae Buſiris inſcribitur. In qua Polycratem Athenienſem reprehendit, qui, cum laudationem Buſiridis & Socratis accuſationem ſcribere eſſet aggreſſus, in utraque Oratione longe ab Oratoris officio aberraverat. Et in laudatione quidem Buſiridis id reprehendit Iſocrates, quod cum hoſpites a Buſiride tantum eſſe mactatos alii dixiſſent, Polycrates etiam devoratos ab eo eſſe prodiderat. Cumque id potius refutare tamquam calumniam & poëticam fabulam debuiſſet, ultro confeſſus in eo, quem lau-

(*a*) Vide Diogen. Laërt. Lib. IX. Sect. VII. pag. 249. ubi inter multiplicia ejus ſcripta enumerat: περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης, καὶ γλωσσέων. περὶ ποιήσιος, περὶ καλλοσύνης ἐπέων, περὶ ῥυθμῶν, περὶ εὐφώνων καὶ δυσφώνων γραμμάτων περὶ ῥημάτων, Ὀνομαστικῶν.

laudandum ſuſceperat, aliorum Heroum, qui longe graviora facinora perpetraverant, exemplis allatis, hoc Buſiridis ſcelus excuſaverat. Reprehendit praeterea etiam quod Buſiridim, & Orphei & Aeoli facinora aemulatum eſſe dixerat Polycrates, quorum tamen patres Buſiridis temporibus nondum nati erant. Denique id arguit quod Nili fluminis curſum a Buſiride detortum & circa univerſam Aegyptum circumductum eſſe dixerat, cum id prorſus incredibile & a veritate alienum eſſet. Et haec quidem de laudatione illa Buſiridis, quae a Polycrate ſcripta fuerat. De accuſatione autem Socratis pauca admodum dicit Iſocrates. Illud duntaxat in ea reprehendens, quod Polycrates Alcibiadem Socrati diſcipulum dederat, quem virum maximum ac praeſtantiſſimum fuiſſe omnes confitentur. Quod ſi id unum in illa Socratis accuſatione peccaverat Polycrates, nihil vetat quin Orationem illam excellentiſſimam fuiſſe credamus. Caeterum quod in argumento Orationis illius Iſocrateae ſcribitur, hanc ipſam Orationem Anyto ac Melito a Polycrate eſſe ſubminiſtratam, ab iisdemque in judicio pronunciatam, cum Socratem capitis accuſarent, probare non poſſum, tametſi Hermippus aliique idem ſcripſerint, ut refert Diogenes Laërtius. Etenim Iſocrates eam accuſationem a Polycrate ſcriptam fuiſſe innuit poſt Socratis interitum exercendi atque oſtentandi ingenii cauſa, quod ex iis verbis, quae in Buſiridis laudatione poſita ſunt, ſatis apparet, τοιγαροῦν, εἰ γένοιτο ἐξουσία τοῖς τετελευτηκόσι βουλεύσασθαι περὶ τῶν εἰρημένων, ὁ μὲν, χάριν ἂν εἰδείη σοι. id eſt *quod ſi jam defunctis facultas daretur de tuis Orationibus ſtatuendi*, *alter*, id eſt Socrates, *tibi gratias ageret*. Alterum hujus rei argumentum eſt non minus validum, quod ſcilicet Polycrates in ea Oratione murorum Athenienſium a Conone refectorum mentionem fecerat, ut teſtis eſt Favorinus in Commentariis: quod quidem ſex annis poſt Socratis mortem contigerat. Qua ratione adductus Favorinus orationem illam Polycratis falſam & ſubdititiam eſſe pronunciaverat, cum potius id quod dixi, concludere debuiſſet, poſt Socratis necem ab otioſo Sophiſta conſcriptam fuiſſe.

CAPUT XII.

Ciceronis facultas Critica. Atticum & Aſiaticum dicendi genus quale. Criticum acumen in cauſſis dijudicandis utile.

ISocratis mentio admonet me ut de Marco Tullio dicam, quem Criticae peritiſſimum fuiſſe tot Rhetorici ejus libri declarant, in quibus de Oratoribus tam Graecis quam Latinis, tam priſcis quam recentioribus egregie judicat. Vel unus ejus liber, qui *Brutus* inſcribitur, abunde teſtatur id quod dixi. Sed & in Libro II. de Oratore, de Hiſtoricis Graecis ac Latinis judicantem Antonium inducit, & quid in Graecorum libris de arte dicendi deſideraretur docentem. Atque ut breviter abſolvam, nego quemquam in eloquentia poſſe excellere, qui Criticae peritiam

tiam non ſit adeptus. Graeci quidem Oratores id praecipue ſtuduerunt ut Attice dicerent. Quis eſt autem qui Attice poſſit dicere, niſi Atticam loquendi rationem perdidicerit. Atqui de Atticis dictionibus diſſerere proprie Criticorum eſt, ut patet ex Dionyſii Halicarnaſſei Lexico & Pollucis Vocabulario: atque ob id praecipue Criticam artem addiſcebant qui ad eloquentiam aſpirabant, ut de Herode Attico ſuperius dixi. De Attico (*a*) genere dicendi diſputat Cicero in Oratore (cap. 26.) cui opponitur Aſiaticum, quod laxius erat ac redundantius. Strabo Ἀσιατικὸν ζῆλον Graece vocat. Deinde plerumque in judicio quaeritur non an res facta ſit, ſed quomodo ſit vocanda, ut in cauſa Caji Norbani, quem Sulpicius accuſaverat. Antonius, qui Norbanum defendebat, pleraque eum feciſſe fatebatur, quae

(*a*) De differentia inter Atticum & Aſiaticum dicendi genus egregie agit Quintilianus Lib. XII. Inſtitut. cap 10. ubi haec inter alia: *Et antiqua quidem illa diviſio inter Aſianos atque Atticos fuit, cum hi preſſi & integri, contra inflati illi & inanes haberentur, & in his nihil ſuperflueret, illis judicium maxime & modus deeſſet.* & paullo poſt: *Attici limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant. Aſiana gens tumidior alioqui atque jactantior: maniore etiam dicendi gloria inflata eſt.* Julius Severianus loco ab aliis etiam prolato in Praefat ante Syntom artis Rhetoric. p. 303. Ed. Fr. Pithoei: *Atticorumne nobis ſequenda ſit actio* (*dictio* rectius Voſſius) *qui breves adſtrictique & acres ſunt* &c. *An imitanda nobis ſit Aſianorum licentia, qui vagi ac fuſi rapere potius affectibus quam diſputationibus perſuadere didicerunt. Sit tamen Romanus orator Aſiatico preſſior, Attico copioſior.* Atticum igitur dicendi genus adſtrictum, & preſſum erat & nihil ineptum ac ſuperfluum habebat, cum contra Aſiaticum eſſet tumidum, inflatum, ac redundans, quod Ciceroni ipſi objecerunt ejus obtrectatores. Auctor de Cauſſis Corruptae Eloq. cap. 18. *Satis conſtat nec Ciceroni quidem obtrectatores defuiſſe, quibus inflatus & tumens nec ſatis preſſus, ſupra modum exſultans & ſuperfluens, & parum Atticus videretur.* Sic recte emendatum a viris doctiſſimis Urſino ac Lipſio; nam quod antea legebatur, *parum antiquus*, ſenſu deſtituebatur. Aſiaticum dicendi genus cum Jonico idem eſſe, quia Jones copioſos & *μακρολόγους* fuiſſe teſtantur veteres, putat If. Voſſius ad Catullum p. 137. Reſpicit huc Petronius, cum *ventoſam & enormem loquacitatem ex Aſia Athenas commigraſſe, & juvenum animos veluti peſtilenti quodam ſidere adflaſſe* dicit in cap. 2. Satyr. ubi vide notas. Styli autem Aſiatici primum auctorem fuiſſe Hegeſiam Magneſium ex Strabone notavit Vener. Patruus meus ad Quintilian. d. c. in imno. qui Hegeſias idem eſt quem inter alios memorat Dionyſius Halicarn. de Structur. Orat. Sect. IV. p. 40. Ed. Lond. Aſiaticorum vero Oratorum dicendi genus ut inane ac tumidum damnavit etiam Auguſtus, ubi Antonii dictionem increpat, apud Sueton. in ejus vita cap. 86. *An potius Aſiaticorum oratorum inanibus ſententiis, verborum volubilitas in noſtrum ſermonem transferenda.* de Aſiaticis Oratoribus, quos *inanes* & *inflatos* Quintilianus vocat, intelligendum ſit illud notiſſimum, ſed variis conjecturis vexatum Virgilii Epigramma in Tullium Cimbrum Rhetorem, quod in Pithoei & Scaligeri Catalectis legitur:

Corinthiorum amator iſte verborum,
Iſte, iſte Rhetor &c.

tum illud, quod ibidem ſequitur:

Ite hinc inanes rhetorum manipli,
Inflata rore non Achaico turba.

de quo ad ipſa Catalecta videbimus. Ceterum Aſiaticos oratores tumidos & inflatos fuiſſe etiam patet ex Livio Lib. XLV. cap. 23. *Non negaverim & totam Aſiae regionem inaniora parere ingenia, & noſtrum tumidiorem ſermonem eſſe.* Quia autem Atticum dicendi genus preſſum, ſubtile, ſimplex, nec ſupra modum abundans erat, hinc *Attice dicere* de illis qui optimo dicendi genere utebantur: de quo vide egregie Manutium ad Cicer. Lib. IV. ad Fam. Epiſt. 4. p. 188. Sed plura de diſcrimine dictionis Atticae & Aſiaticae, maxime ex Cicerone, dabit Voſſius Lib. VI. Inſtit. Orat. cap. 6.

quae a Sulpicio erant objecta: ſed ab eo majeſtatem Populi Romani imminutam negabat. Interdum etiam de ſententia ſcripti controverſia eſt, quae fuerit mens teſtatoris aut ſtipulantium. Hujusmodi autem interpretatio tum ſenſus tum verborum acumen Critici deſiderat. Talis fuit quaeſtio in cauſa Cornelii Balbi, quem adverſarius civem Romanum eſſe factum negabat, eo quod populus Gaditanus fundus factus non fuiſſet. Quaerebatur quid hoc verbo ſignificaretur, quod eleganter docet Cicero in Oratione pro Cornelio Balbo (cap. 8.)

CAPUT XIII.

Uſum Citicae neceſſarium in Juris ſcientia eſſe exemplo Cujacii, Contii, & Anton. Auguſtini adſirmatur.

NEc vero Oratores tantum, ſed etiam Juriſperiti neceſſarium habent Criticae adjumentum. Quomodo enim leges, plebiſcita, ſenatusconſulta interpretari poterunt, niſi verborum notitiam adepti ſint? Itaque plurimi eorum de verborum ſignificationibus libros ſcripſerunt, & in proprietate atque origine vocum indaganda multum laborarunt, ut cum *teſtamentum* aiunt eſſe dictum quaſi (*a*) *teſtationem mentis*, & *mutuum* quod ex *meo* fiat *tuum*, & ſimilia plurima. Proinde Grammatici veteres, Feſtum intelligo & Agellium, nullos frequentius libros citant, quam Juriſconſultorum, quippe qui in arte Critica exercitatiſſimi fuiſſent. Quod ſi veteribus Juriſperitis adeo neceſſaria fuit Critica, tametſi in media Italia, hoc eſt in ipſo legum ſolo, & ſub ipſis qui leges ferebant Imperatoribus nati eſſent, quid nunc ſentiendum eſt de noſtrae aetatis Jurisconſultis, qui res a noſtra memoria adeo remotas, & quarum exiguae duntaxat reliquiae ſuperſunt, interpretandas ſuſcepere? Nonne eo magis Criticae praeſidio opus habent, quo longius abſunt a legum Romanarum origine? Certe Cujacius, qui veteribus Jurisconſultis palmam praeripuit, nunquam ad tantam Juris notitiam pervenire potuiſſet, niſi Criticae ſubſidiis prae caeteris fuiſſet inſtructus. Hujus ope multos Pandectarum locos corruptos emendavit, difficiles explanavit, illuſtravit obſcuros. Certe Obſervationum ejus libri ſatis indicant, qualis hic vir quantusque fuerit in Criticis: nec ab Jurisconſultis ſolum, ſed ab omnibus doctis atque eruditis diligenter ſunt legendi.

 Quid

(*a*) Juſtinianum ob hanc Etymologiam irriſum a Laurentio Valla ſed ab aliis vindicatum fuiſſe quis neſcit? Vid. Celeber Duker Latin. Ictor. p. 23 & ſeqq. ſed Icti cauſſam contra Vallae reprehenſionem defendit Barthius ad Claudian. Lib. II in Rufin. v. 115 qui *mentem* explicat ſententiam & voluntatem; licet fatendum tamen ſit manere nihilominus definitionem rei ipſius, ſeu potius alluſionem eſſe, quales plurimae in veterum Ictorum ſcriptis ſunt, quam Etymologiam. Gellius autem Lib. VI. cap. 12. in voce *teſtamentum*, putat duas poſteriores ſyllabas *mentum* eſſe non niſi vocabuli productionem, ut in *calceamentum*, *paludamentum* & ſim. Vide Scip. Gentilem ad Apulej. Apolog. p. 183. Sed haec ipſis tyronibus notiſſima.

Quid dicam de Contio, de Antonio Auguſtino, quos Criticae peritiſſimos fuiſſe eorum libri teſtantur. Extant hujus libri Emendationum in Pandectas, & in Decretum Gratiani, quibus nihil eſt acutius atque ſolertius. Caeteros praetereo ne in ſingulis commemorandis longior fiat oratio. Id unum adfirmo, quo quisque (a) κριτικώτερος eſt, eo juris eſſe peritiorem quam caeteros.

CAPUT XIV.

Dionem Chryſoſtomum inter Philoſophos Criticum eximium fuiſſe, ex Ejus Orationibus probatur.

Redeamus nunc ad Philoſophos, inter quos primus occurrit mihi Dio Chryſoſtomus, quem in Criticis exercitatiſſimum fuiſſe deprehendi. Eximium Critici ſpecimen ſit Sermo ejus LII. in quo de tribus Tragoediae Graecae principibus, Aeſchylo, Sophocle, & Euripide, qui idem argumentum tractaverant, de arcu ſcilicet Philoctetae ab Ulyſſe ſubrepto, praeclare judicat. Adde Sermonem ejus LIII. de Homero. & LV. qui eſt de comparatione Homeri & Socratis, in quibus multa

(a) Ita certe ſanior Eruditorum hominum & meliorum, quidquid ubique terrarum fuit, Juriſconſultorum natio ſemper exiſtimavit, nec puto quemquam hodie, quem aequus amavit Jupiter, id negaturum, niſi qui moroſonimis & faſtidioſo ſupercilio praeclara Heroum illorum ſcripta deprimere ac meritis eorum temere detrahere velit. Vide quae dixi in Orat. Inaug. pro Criticis pag. 32. & ſeqq. Sane exemplo unius prae ceteris Cujacii, quem ſolum in Jure Conſulem ſine Collega alibi vocat, id etiam, quia inluſtrius dari non poteſt, adſtruit Mauſſacus in Diſſert. Critic. ad Harpocrat. p. 309. *In Jure quomodo putas unquam te in ſenſa νομοθετῶν, & Juriſconſultorum penetraturum, niſi prius illorum ſcias characteres & ſtylum diſcernere?* &c. *An putas magnum illum Cujacium, Juriſconſultorum conſultiſſimum, tot in jure deſperatos locos unquam explicaturum fuiſſe, tot corrupta reſtituturum, & toties Triboniani ſtylum a ſermone veterum Juriſconſultorum diſtincturum, niſi Criticam prius coluiſſet & Criticorum filios?* & quae ſeqq. tum Daniel Heinſius in Diſſert. de verae Criticae ortu ac progreſſu, ſive in Prolegomenis ante Ariſtarchum: *Et quis dubitare poſſit, quin prae caeteris Cujacio haud parum debeat Juriſprudentia? qui praeter maximam Juriſprudentiae peritiam, ex Baſilicis Graecorum & deſicientis linguae uſu, plurima ignota atque inuſitata, eruit, reſtituit, atque emendavit.* Unum addam his teſtimonium Viri absque controverſia magni, & egregii Juris ac Eloquentiae Magiſtri, quem inter praecipua quondam Academiae ſuae decora & ornamenta merito Franequerana Pallas numerat: Is eſt Ulricus Huberus, qui Criticorum dignitatem contra aliorum obtrectationem hunc in modum adſerit, in Orat. X. de Paedantismo: p. 306. *Sed iniqua eſt haec obtrectatio viriſque de genere humano praeclare meritis indigna. Niſi enim per hos* (Criticos) *fuiſſet, etiamnum mera barbaries orbem Chriſtianum obſideret, eandemque doctrinae conditionem haberemus, qualem ante renatas literas in omni genere ſtudiorum fuiſſe accepimus. Theologi adhuc Thomiſtis aut neſcio quibus Lombardinis forent ſimiles, Juriſconſulti nihil quam Accurſiani aut Bartoliſtae, Medici rudes omnis elegantiae Empirici, Philoſophia adhuc illas horridas & incultas notiones, quibus olim referta fuit, eructaret. Nunc vero omnes diſciplinae humanioris literaturae beneficio ad ſimplicitatem nitoremque veterum pene redactae, novoque cultu & ornatu cohoneſtatae ſunt.* Sed prolixe verum ac ſincerum in Juris ſcientia uſum Critices exponit Celeb. Heineccius in praefatione ante Obſervationes Illuſtris Bynkershoekii, cui ſummo noſtrae aetatis Viro ideo maxime Doctorum chorus hodie adſurgit, quia genuinae Critices ope ac praeſidio tam multa in veterum Juriſconſultorum libris praeclare obſervavit, explicuit, & emendavit.

ta de Homeri inſtituto egregie diſputat. Sermo autem LVII. nihil aliud continet quam interpretationem verborum Neſtoris ad Agamemnonem atque Achillem, quae leguntur in Iliadis libro primo. In Sermone LXI. multa obſervat in Chryſeidis redemptione, quae acutiſſimum Criticum redolent. Denique Sermo illius LIX. paraphraſis eſt Tragoediae Aeſchyli quae Philoctetes inſcribebatur; auctor quidem ejus Tragoediae in eo Sermone minime nominatur; ſed cur Aeſchylum potius credam quam Euripidem, cauſa haec eſt, quod Euripidis quidem apertior eſt dictio quam ut paraphraſten deſideret; Aeſchyli vero verba ac ſententiae fere ejusmodi ſunt, ut absque interprete intelligi vix poſſint. Quod ſi haec argumenta non ſufficiunt, ut Dionem Chryſoſtomum Criticum fuiſſe probetur, proferenda in medium erit ejus Oratio decima octava, quae inſcribitur de exercitatione dicendi. In ea enim de Poëtis deque Hiſtoricis & Oratoribus, qui ex eis praecipue lectitandi ſunt & imitandi, accurate judicat. Prorſus ut ex veterum monumentis hoc unum Dionis opus utiliſſimum mihi eſſe videatur ad ſtudiorum rationem inſtituendam atque formandam.

CAPUT XV.

Favorinum Philoſophum Criticae ſtudioſiſſimum fuiſſe ex Gellio demonſtratur. Ejus ſcripta.

Dionis Chryſoſtomi diſcipulus fuit Favorinus Philoſophus: quem quidem Criticae ſtudioſiſſimum fuiſſe ſectator ipſius Agellius docet in libris Noctium Atticarum. Ibi enim frequenter eum inducit diſputantem de Grammaticis quaeſtionibus, puta quid ſit *Penus*, (*a*) quid *Manubiae*; quid item ſit quod Homerus περιπλομένου ἐνιαυτοῦ puerperii ſpatium definivit. (vid. Lib. III. cap. 16.) Eundem etymologiarum fuiſſe ſtudioſum teſtatur Agellius in Libro III. cap. 19. ubi etiam refert morem inſtitutumque

(*a*) Favorinum hunc cum homine Grammatico, qui arduo cum ſupercilio, & compoſita vocis ac vultus gravitate, de generibus & caſibus vocabulorum diſſerebat, non aliter quam ſi interpres & arbiter Sibyllae oraculorum eſſet, ut eleganter dicit, Gellius diſputantem inducit de voce *penus* in Lib. IV. Noct. Att. cap. 1. & quid ſint *manubiae*, easque apud Ciceronem differre a praeda, aſſerentem videbis Lib. XIII. cap. 24. ubi nota in tranſcurſu verba illa, quae ex Ciceronis Oratione contra Rullum de lege agraria ibidem Gellius profert, hodie in ea deſiderari, atque ex ipſa oratione excidiſſe. Sed falli Phavorinum docet Graevius ad illam Orat. cap. 4. p. 303. Eumdem Favorinum idem Gellius Lib. II. cap. 26. cum M. Frontone diſſerentem exhibet de generibus colorum, eorumque vocabulis Graecis & Latinis. Forte & huic tribuendum eſt illud fragmentum, quod ex libro Favorini profert Macrobius Lib. II. Saturn. cap. 14. Scripta hujus varia praeter ea, quae in fine capitis habet Valeſius, recenſet Voſſius Lib. II. de Hiſt. Graec. cap. 10. p. 214. Sed quod inter eorum numerum etiam referat librum, Μητρῷον quaſi a Favorino ſcriptum, Voſſio hac in parte inpoſuiſſe pravam in vulgatis Laërtii Codicibus diſtinctionem, videbis apud Jonſium Lib. III. cap. 7. p. 244. ubi plura de eo notavit.

que hominis non laude ſolum, ſed etiam imitatione digniſſimum. Ait enim eo diſcumbente ad caenam ſolitum eſſe famulum quaedam ex Graecis aut Latinis literis lectitare, atque interdum libros veterum Grammaticorum, quo non corpus ſolum, ſed etiam convivarum animus paſceretur. Neque vero per omne caenae tempus liber legebatur: ſed ſi quid animadverſione dignum inter legendum occurrerat, tum Favorinus de eo jucunde cum convivis diſputabat. Erat autem memoriae prope divinae, ut traditur in Libro XIII. (cap. 24.) Noctium Atticarum. atque ut Agellii verbis utar, quae poſita ſunt in Libro X. (cap. 12.) memoriarum veterum exſequentiſſimus. Quae res in congreſſibus plurimum valet ad animos hominum permulcendos, & plauſus audientium excitandos. Ejus παντοδαπὴ ἱστορία perſaepe audatur a Diogene Laërtio: itemque ἀπομνημονευμάτων libri, quos quidem ad exemplum Xenophontis ſcripſiſſe mihi videtur. In iis multa fuiſſe, quae ad Criticam proprie ſpectarent, argumento ſit locus qui a Diogene Laërtio refertur in Socratis vita, ubi orationem illam adverſus Socratem, quae Polycrati tribuebatur, falſam ac ſubdititiam eſſe hoc argumento contendit Favorinus, quod in illa accuſatione mentio fiat murorum Athenienſium Cononis opera refectorum, quae res aliquot annis poſt mortem Socratis contigit.

CAPUT XVI.

Plutarchi peritia in Criticis ex ſcriptis ejus probata. Ejus non eſſe vitam Homeri, quae ſub Plutarchi nomine circumfertur.

FAvorini aequalis fuit Plutarchus, qui non immerito inter Criticos a nobis recenſeri poteſt. Scripſit enim de Poëtica, & quomodo legendi ſunt Poëtae; item Homericarum Declamationum libros tres & de tempore Iliadis, id eſt, quanto temporis ſpatio comprehendatur argumentum Iliadis Homericae, quae quidem omnia ad officium Critici pertinent. Omitto comparationem Ariſtophanis & Menandri, in qua de utriusque Comici dotibus tanquam peritiſſimus Criticus judicat. Praeterea Στρωματεῖς ποιητικοὶ ab eodem compoſiti in indice Lampriae recenſentur. Jam libellus de Herodoti malignitate, & alter ille cujus titulus duntaxat ad nos usque pervenit, quomodo de veritate Hiſtoriae judicandum ſit, nonne ad Criticam pertinent? Poſtremo libri tres quos de Rhetorica ſcripſit, & exercitationes panegyricorum idem abunde teſtantur, praeter innumera alia argumenta, quae ex illius convivalibus & ex quaeſtionibus Graecis & Romanis aliisque monumentis colligi poſſunt. Quale illud eſt, quod in libro de puerorum inſtitutione occurrit, ubi de

de extemporali oratione ſententiam ſuam promit. Adde his librum (a) de vita & de poëſi Homeri, qui ab Hencico Stephano praefixus eſt editioni Poëtarum Graecorum: in quo Homerum omnium diſciplinarum & artium periciſſimum fuiſſe demonſtrat. Qui tamen liber in indice Lampriae minime recenſetur, nec quantum ex ſtylo judicare poſſum, Plutarchi Chaeronenſis opus mihi videtur.

CAPUT XVII.

Longinus Philoſophus etiam Criticus fuit Magiſter Prophyrii Longinus & omnes Platonicae ſectae Philoſophi natalem Platonis quotannis ſacrificio & epulis celebrabant. Scripta Longini Philoſophica & Rhetorica quae praetermiſit Suidas.

LOngo poſt intervallo claruit Longinus Philoſophus, de quo ſupra (a) abunde diximus. Hic vir tanto opere exercitatus fuit in Criticis ac Rhetoricis ſermonibus, ut ex eo Critici nomen meruerit. Sed profeſſione tamen Philoſophus, quemadmodum docet Vopiſcus in Aureliani Principis vita, & Suidas in Lexico. Eumque in Philoſophia Platonica Magiſtrum habuit Athenis Porphyrius, ut ipſemet teſtatur in Libro quem τῆς φιλολόγυ ἀκροάσεως inſcripſit: cujus initium legitur apud Euſebium in Libro X. Praeparationis, τὰ Πλατώνεια ἑστιῶν ἡμᾶς ὁ Λογγῖνος Ἀθήνησι &c. id eſt, *cum in Platonis natalitiis Longinus nobis epulum praeberet* &c. Solebant enim Magiſtri ac Profeſſores Philoſophiae Platonicae natalem Platonis quotannis ſacrificio & convivio celebrare, teſte Porphyrio in Plotini vita. Quod cum a Longino factum ſit Athenis, apparet illum Platonicae Philoſophiae praeceptorem fuiſſe. Sed & Plotini dictum illud percelebre, cum liber Longini de principiis Romae in ſchola Plotini eſſet recitatus, Longinum Philologum potius eſſe quam Philoſophum,

ſatis

(a) Legitur etiam haec Homeri vita ſub Plutarchi nomine in Graeco illo libello, qui ſub titulo Certaminis Homeri & Heſiodi ab Henr. Stephano editus eſt, p. 40. & ſeqq. ſed recte Valeſius foetum hunc Plutarcho Chaeronenſi abjudicat: Quamvis enim Gellius Lib. II. cap. 8. & Lib. IV. cap. 11. Plutarchi librum de Homero citet, loca tamen illa, quae ibidem Gellius profert, non habentur in libello ſuperſtite, qui ſub nomine Plutarchi venditatur: adeo ut neceſſe ſit illum Plutarchi de Homero librum a Gellio memoratum intercidiſſe, & hunc minime ipſi adſcribendum, ſed pro ψευδεπιγράφῳ habendum eſſe; vide Jonſium Lib. III. de Script. Hiſt. Philoſ. cap. 6. pag. 237. qui exiſtimat vitam illam Homeri ex duabus Homeri vitis diverſorum auctorum conflatam eſſe: priorem autem partem mutilam hujus libelli, qua incipit agere de Homeri genere, patria, & poëſi, Plutarchum habere verum parentem; ſed poſteriorem partem, quae integra eſt, & idem argumentum tractat, incerti eſſe auctoris; quem Dionyſium Halicarnaſſenſem eſſe argumentis non levibus adſerit Thomas Galeus in praefat. ante Opuſcul. Mytholog. §. VI. Favorinum autem vel Apollonium Alexandrinum eſſe ſuſpicatur Gatakerus in Adverſariis. vide Fabricium Lib. II. Biblioth. Graec. cap. I. p. 255.

(a) Vide ſupra in fine cap. 2. p. 150.

ſatis ſignificat Longinum profeſſione quidem Philoſophum fuiſſe, ſed in eloquentia atque in omni genere doctrinae nihilominus exercitatum. Quod quidem exemplo magni Platonis Longinus praeſtitiſſe mihi videtur, ut eloquentiam cum Philoſophia conjungeret, neque alteram ab alterius conſortio disjungi pateretur. Itaque merito Porphyrius Longinum ἐλλογιμώτατον appellat, id eſt *ſui temporis diſertiſſimum*. Eleganter Philoſtratus, de Chreſto Byzantio Sophiſta loquens, ejusmodi homines, qui eloquentiam cum Philoſophia conjunxerunt, τοὺς ἐλλογίμως φιλοσοφήσαντας appellat: Et ſcripta quidem Longini, quae ad Criticam & Grammaticam pertinent, accurate a Suida recenſentur. De Philoſophicis autem ejus ſcriptis nullum commemoratur, cum tamen ex Porphyrii libro de vita Plotini & ex Procli commentariis in Platonem multa in eo genere doctrinae a Longino lucubrata eſſe diſcamus. Citatur enim a Porphyrio liber ejus περὶ ἀρχῶν; & Φιλάρχαιος, quem libri titulum eſſe equidem exiſtimo. Laudatur etiam liber illius περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα δικαιοσύνης adverſus Amelium; item de Ideis adverſus Porphyrium & Plotinum: & reſponſio ad Amelii epiſtolam de Plotini philoſophandi ratione. Poſtremo liber ejus περὶ τέλους adducitur ab eodem Porphyrio, quem Longinus Marcello cuidam inſcripſerat. Adducit etiam Euſebius in ultimo libro Praeparationis locum ex libro Longini de anima adverſus Stoicos. Hactenus de Philoſophicis Longini ſcriptis: e Rhetoricis autem qui perinde a Suida praetermiſſi ſunt, primus occurrit de arte Rhetorica, quem laudat Scholiaſtes Hermogenis pag. 380. Λογγῖνος ὁ φιλόλογος ἐν τῇ ῥητορικῇ τέχνῃ. Alter eſt περὶ ὕψους, qui etiamnum extat. Citatur etiam a Libanio in Lib. IV. Epiſtolarum Ep. CCLXIII. ad Euſebium, Longini liber Odaenathus. Ὀδαίναθον ἢ λόγον, Λογγίνου δὲ ὁ λόγος, ἐγὼ μὲν ἀπαιτῶ, σὺ δὲ δεῖ δοῦναι, καὶ γνώσῃ δίκαιον περὶ τὴν ὑπόσχεσιν.

CAPUT XVIII.

Porphyrius Longini diſcipulus. Eunapius notatus, & Philoſtratus. Porphyrius Romae Plotinum audivit. Ejus ſcripta ad Criticam pertinentia. Porphyrii Quaeſtionum Homericarum librum imperfectum ad nos veniſſe ex Scholiis Homericis probatur. Ejusdem partem eſſe illum qui de antro Nympharum inſcribitur. Lucae Holſtenii laus. Porphyrii commentarii in artem Hermogenis.

Longini Philoſophi diſcipulus fuit Porphyrius, qui illum Athenis philoſophantem audivit, ut ſupra dixi: Eunapius quidem ab eodem Longino in Grammatica & Rhe-

Rhetorica inſtitutum eſſe Porphyrium ſcribit, quod mihi quidem falſum videtur. Nam Porphyrius ipſe in capite XXV. Quaeſtionum Homericarum, Magiſtro in arte Grammatica Apollonio uſum ſe teſtatur: quem Athenis vixiſſe & familiarem fuiſſe Longini ſcribit in Libro primo τῆς φιλολόγȣ ἀκροάσεως. Sed in Eunapii Libro de vitis Sophiſtarum multa oſcitanter negligenterque ſcripta deprehendi, quemadmodum etiam in Philoſtrati libris qui ſunt ejusdem argumenti: adeo ut merito dubites uter illorum in argumenti ſui tractatione negligentior fuerit. Tale illum eſt quod Porphyrium ſcribit a Longino ita eſſe appellatum, cum Malchus patrio ſermone diceretur. Atqui Longinus in libro de fine, non Porphyrium illum, ſed Baſileum appellat, quomodo etiam ab Amèlio in quadam epiſtola nominatus eſt. Ceterum Porphyrius relicto Athenis Longino Romam profectus ad Plotini ſcholam migravit, ejusque doctrinam & philoſophandi rationem ſequi maluit. Quod quidem Longinus moderate tulit, nec ſe a Porphyrio contemtum cenſuit, qui ſe alterius Philoſophi magiſterio commiſiſſet. Nec idcirco Porphyrium inter amicos ac ſodales ſuos numerare aiſtitit, ut patet tum ex libro illius de fine, quem jam toties laudavimus, tum ex epiſtola quam e Phoenice ſcripſit ad Porphyrium, qui tum in Sicilia aeger morabatur. Caeterum Porphyrius Longini Magiſtri ſui exemplo Philologiam cum Philoſophia conjunxit. Scripſit enim plurimos libros qui ad Criticam pertinebant, quorum plerique temporis injuria perierunt. Supereſt tamen etiamnum liber Homericarum Quaeſtionum, quem dolendum eſt inperfectum ad nos perveniſſe. Etenim in Scholiis vetuſtis in Homerum, quae vulgo Didymi appellantur, multa ex illis Porphyrii Quaeſtionibus adducuntur, quae in eo libro quem nunc habemus fruſtra quaeſieris: verbi gratia pag. 36. (Ed. Baſil. Hervag.) refert vetus ille Scholiaſtes ex Porphyrii ζητήμασι, cur Atridae dicantur Agamemnon & Menelaus Pliſthenis filii: & pag. 38. Draconem, cujus meminit Homerus, Sthenium dictum eſſe notat ex Porphyrii ζητήμασι. Refertur ab eodem Scholiaſte pag. 64. locus ex eodem Porphyrii libro Homericarum Quaeſtionum, de liberis quos Helena ex Menelao ſuſceperat, quae hodie in exemplaribus noſtris deſiderantur. Ejusdem libri pars eſt is, qui de antro Nympharum in Odyſſea vulgo inſcribitur: quod equidem miror a nemine adhuc obſervatum fuiſſe. Sed Librorum Porphyrii qui ad Criticam ſpectant, index jam pridem collectus eſt a Luca Holſtenio, Viro undecumque doctiſſimo, & de Porphyrii ſcriptis egregie merito. Cujus diligentiae hoc unum addiderim, commentarios in artem Hermogenis a Porphyrio ſcriptos fuiſſe. Ex iis enim integrum ſcholion refertur pag. 162. Scholiorum in Hermogenem. Quin etiam in pagina 15. idem Porphyrii commentarius a veteri Scholiaſte laudatur. Niſi forte quis haec e commentariis Porphyrii in artem Minuciani deſumta & tranſlata eſſe crediderit.

CA-

CAPUT XIX.

Syrianus Philoxenus, etiam Criticus. Ejus ſcripta.

INter Criticos quoque nominandus eſt Syrianus (*a*) cognomento Philoxenus, Platonicus Philoſophus, cujus auditor fuit Proclus. Scripſit enim commentarium in Iliadem & Odyſſeam Homeri, ut teſtatur Suidas. Scripſit etiam in artem Rhetoricam Hermogenis, exſtantque hujus operis fragmenta quaedam ab Aldo edita in collectione Scholiorum in Hermogenem. Quid quod Poëticae quoque ſtudioſus fuis, ejus namque hymnus in Minervam Athenienſem refertur a Zoſimo in libro Hiſtoriarum. Plurimos quoque libros commentariorum ſcripſerat, teſte Suida, ex quibus nihil ad nos pervenit, praeter breves commentarios in Ariſtotelis Metaphyſicorum aliquot libros; nominatur a Boethio in librum Ariſtotelis de interpretatione pag. 404. & alibi non ſemel. Hujus elogium habes apud Proclum in Libro primo in Theologiam Platonis cap. 1. tacito tamen ejus nomine.

CAPUT XX.

Proclus, Philoſophus Platonicus, itidem Criticus. Ejus Scripta. Suidae error notatus. Libri γραμματικῆς χρηστομαθείας cui Proclo adſcribendi? Procli Philoſophi facultas Critica in Commentariis ad Platonem.

PRoclus quoque Platonicus Philoſophus Criticus fuit non ignobilis: docet id commentarius in Homeri Iliadem & Odyſſeam, cujus meminit Suidas, & commentarius in Heſiodi opera & dies, qui etiamnum exſtat. Quod vero Suidas γραμματικῆς χρηστομαθείας libros eidem Proclo Philoſopho tribuit, in eo, mea quidem ſententia, graviter labitur. Sunt enim hi libri alterius (*b*) Procli longe antiquioris,

(*a*) De eo vide quaedam ad Lib. I. Emendat. cap. 5. p. 12. & plura apud Celeb. Fabricium Lib. V. Biblioth. Graec. cap. 26. qui ſcripta ejus a Valeſio hic memorata etiam enumerat, ſed quem praeterit hymnus Syriani, cujus Zoſimus meminit Lib. IV. Hiſt. cap. 18. in fine, ſed quo loco inſpecto patebit hunc Syriani hymnum non in Minervam Athenienſem, ſed in Achillem ſcriptum fuiſſe.

(*b*) Hoc primus, quod ſciam, obſervavit Valeſius. Erravit igitur Andreas Schottus, a quo haec Procli Chreſtomathia cum illius & Nunneſii notis edita legitur poſt ejus Obſervationes Humanas, qui p. 15. in Notis, ubi ex Suida recenſet Procli ſcripta, & hoc opus etiam ad Proclum Philoſophum retulit. in qua ſententia etiam eſt Fabric. Biblioth. Graec. Lib. V. cap. 26. pag. 521. Caſaubonus autem in notis ad Diog. Laert. Lib. III. p. 37. teſtatur penes ſe exſtare χρηστομαθείας ἐκ τῆς Φωτίου βιβλιοθήκης, non adſpernandas, quas lucem non vidiſſe putat. ſed forte eaedem fuerint cum Procli aut Helladii Chreſtomathiis ex Photii Bibliotheca excerptis.

tis, ut didici ex commentariis Alexandri Aphrodiſienſis in Ariſtotelis Elenchos. Hic enim non procul ab initio illius commentarii utitur teſtimonio Athenaei Grammatici & Procli in Chreſtomathia. Cum igitur conſtet Alexandrum Aphrodiſienſem diu ante Procli Philoſophi cognomento Diadochi aetatem vixiſſe; Proclum, qui Chreſtomathiam ſcripſit, a Proclo Philoſopho differre neceſſe eſt. Suppetunt etiam alia argumenta, ut Proclum Philoſophum in Criticis exercitatum fuiſſe credamus. Nam quicumque commentarios illius in Timaeum & in Remp. Platonis attente perlegerit, eum Criticum fuiſſe minime dubitabit. Solet enim primo quidem exponere, quod ſit argumentum operis, deinde quis character, & quae forma dicendi, quod Critici munus eſſe nemo eſt qui ignorat. Praeterea cum in libris Theologicis & Myſticis, cujusmodi ſunt Platonis libri, duo fere ſint ſenſus, alter ſimplicior & apertior, qui ex verbis elicitur: alter ſecretior ac profundior, qui vulgo anagogicus & allegoricus vocatur; Proclus quidem hunc ubique ſectari ſe profitetur, & Longinum Philoſophum, aliosque reprehendit interpretes, qui verbis Platonis nimium erant addicti, & res ipſas, ſic enim loqui ſolet, id eſt arcana myſteria negligebant. Idem tamen ſenſum illum verborum exponit diligentiſſime, tametſi illum ſpernere videatur, ac prae altero nihili ducere: & quoties aliqua vox occurrit obſcurior, quae lectorem antiquitatis ignarum poſſit morari, eam ſtudioſe explicat. Argumento ſit quod de Bendidiis & de Apaturiis ac de ſolemnitate, quae κυρεῶτις ab Athenienſibus dicebatur, obſervat in Timaeum.

CAPUT XXI.

Philoſophi caeteri tam Ariſtotelici, quam Platonici Criticae operam dederunt. Andronicus Rhodius inventor & emendator ſcriptorum Ariſtotelis.

SEd quid attinet ſingulos Philoſophos commemorare, cum in univerſum dicere liceat omnes tam Peripateticos, qui poſt Andronicum Rhodium, Adraſtum & Aſpaſium & Aphrodiſienſem Alexandrum ſcripſere, quam Platonicos, qui poſt Eubulum Diadochum aliquid commentati ſunt, nihil aliud paene fuiſſe quam Criticos. Quid enim magis proprium eſt Criticae, quam expoſitio ſeu enarratio, quae Graece ἐξήγησις vocatur. At hi omnes, de quibus modo dixi, enarratores ſunt & interpretes; illi quidem Ariſtotelis, hi autem Platonis. Plus etiam praeſtitit Andronicus Rhodius, quippe qui Ariſtotelis ac Theophraſti libros eo, qui nunc cernitur, ordine digeſſit, ſingulis ejusdem argumenti tractatibus ſimul poſitis, & appoſitis indicibus ſeu titulis, quemadmodum Plutarchus in Sylla & Porphyrius in vita Plotini ſcriptum reliquerunt. Emendatos quoque ab eodem Andronico Ariſtotelis

 codi

codices eſſe credibile eſt, quos Apelliconis (*a*) Teii imperitia corruperat. Hunc Andronicum exactum & diligentem Ariſtotelis librorum iudicem ac repertorem ab antiquis habitum fuiſſe tradit Boethius in Libro I. Commentariorum in librum Ariſtotelis de interpretatione, quem quidem librum Andronicus Ariſtoteli abjudicabat. Ejusdem Andronici liber de diviſione a Plotino & Porphyrio magnopere probatus eſt, quemadmodum tradit idem Boethius in libro de diviſione.

CAPUT XXII.

Inter. Medicos Criticus excellens Galenus. Ejus ſcripta ad Criticam ſpectantia. Sabinus, Metrodorus & Ruffus Epheſius Interpretes antiqui in Hippocratem.

A Philoſophis ad Medicos tranſeamus, quorum princeps Galenus (*b*) duobus potiſſimum adjumentis ad tantam Medicae artis peritiam evaſit, Criticae nimirum & Philoſophiae praeſidio. Et in Criticis quidem peritiam illius abunde teſtantur ii libri, quos in eo genere perſcripſit. Memorat ipſe in indice librorum ſuorum XLVIII. Libros vocabulorum, quae apud Atticos ſcriptores occurrunt, niſi forte corrupti ſunt numeri. Item electa dictionum Atticarum, & de forenſibus vocabulis apud Eupolim, Ariſtophanem & Cratinum; item librum ſingularem de vocabulis, quae ſunt propria Comicorum; & an utilis ſit adoleſcentibus qui erudiuntur veteris Comoediae lectio. Compoſuerat etiam librum de perſpicuitate & obſcuritate orationis. Poſtremum omnium operum ſuorum, recenſet ipſe librum unum, an idem poſſit eſſe Criticus & Grammaticus. Qui quidem liber ſi etiamnum exſtaret, maximo nobis adjumento ad hujus argumenti tractationem eſſe potuiſſet. Quid dicam de libro Gloſſarum Hippocratis? Quid de commentariis illius in libros Hippocratis, in quibus pravas vetuſtiorum Hippocratis interpretum expoſitiones, praetermiſſis ipſorum nominibus, ab ſe rejectas eſſe teſtatur. Quo in numero videtur fuiſſe Sabinus Medicus, qui Hippocratem commodiſſime commentatus eſt, ut ſcribit Agellius in cap. XVI. Libri III. ubi ſcholium ejus integrum refertur in locum quendam ex libro Hippocratis de alimentis. Citatur idem Sabinus non ſemel a Galeno, itemque Sabini diſcipulus Metrodorus, quos quidem optimos ex antiquis & ſinceriſſimos Hippocratis interpretes fuiſſe dicit in commentario primo in

(*a*) Hunc enim, poſtquam a Nelei Scepſii poſteris ſcripta Ariſtotelis emiſſet, ea lacunis non recte aut bona fide ſuppletis, edidiſſe plurimis mendis repleta narrat Strabo Lib. XII. Geograph. pag 609. Vide Politian. Miſcellan. cap. 1. pag. 227.

(*b*) Galeni peritiam in arte Critica praedicat etiam ex merito Mauſſacus Diſſert. Critic. ad Harpocr. pag 399. de Ejus libro, cujus hic Valeſius meminit, *εἰ δύνατόν τις εἶναι Κριτικὸς καὶ Γραμματικός*, vide Wouwer. in Polymath. cap. 16. in initio.

in Librum III. Hippocratis de morbis vulgaribus. Sed & in commentario primo in Librum VI. Hippocratis de morbis vulgaribus eundem Sabinum & Ruffum Epheſium in Libris Hippocratis diligentiſſime verſatum eſſe teſtatur. Idem in illis ſuis commentariis ſaepius inculcat, quodnam ſit boni interpretis ſeu expoſitoris officium. Sed ipſa ejus verba commodius infra adducentur, cum de Criticae partibus agemus.

CAPUT XXIII.

Inter Theologos & Eccleſiaſticos ſcriptores praecipue in Critica excelluit Origenes. Ejus Commentarii exegetici in V. & N. Teſtam. editio LXX. Interpretum ab Origine ſignis Criticis notata. Sarravius laudatus. Origenis Hexapla unde dicta? alia ejusdem ſcripta.

Satis, ut opinor, probavimus celeberrimum quemque ex Philoſophis, Oratoribus ac Medicis Criticae non vulgarem operam dediſſe; ſupereſt ut de Theologis & Eccleſiaſticis ſcriptoribus idem etiam oſtendamus. Ac primus quidem ſe nobis offert Origenes, qui in omnibus diſciplinis apprime verſatus, hanc partem minime omiſit, quippe qui & Grammaticam initio docuiſſe dicitur ab Euſebio. Teſtantur hoc primum quidem libri ἐξηγητικῶν ſeu expoſitionum in Vetus ac Novum Teſtamentum. Nam tametſi allegoricum ſenſum in exponendis ſacris voluminibus, ut plurimum ſectatus eſt, primusque ex Chriſtianis hunc modum expoſitionis invixit, tamen & verborum ſenſum, & orationis ipſius ordinem ſcopumque nequaquam praetermiſit: ſed & Hexapla ab eodem Origene compoſita id ipſum abunde teſtantur. Quid enim magis proprium Critici eſt, quam varias interpretationes inter ſe conferre. Hoc plus etiam in editione Septuaginta Interpretum praeſtitit Origenes, quod obelos & (a) aſteriſcos & lemniſcos ac ſublemniſcos

appo-

(a) De his Criticorum notis omnia vulgaria & a Viris doctis abunde obſervata ſunt. obelo enim ſive obeliſco utebantur, cum aliquid adjectum notabant, aſteriſco vero, cum quid omiſſum deëſſe indicabant. Et ita alias notas habuerunt, quibus loca deſignabant, ut literam L adſcribebant iis quae laudabant. Graeci χ vel χϱ. excerpendis addebant, ut ϑ ſignum illorum erat, quae inprobabant. vide ex innumeris Caſaub. ad Athenaeum Lib VII. cap 8. Eumdemque ad Diogen. Laërt. Lib III. pag m. 36. & Menagium pag. 96. Voſſium Lib. I. de Art. Gram. cap. 6. Nerii Analect. Lib I. cap. 36. Pithoeum Lib. II. Advers. cap. 3. pag 42. b Kuſteri Hiſt Critic: Homer. part. II. Sect. 5 & quos laudat Patruus meus ad Quintilian. Lib. I cap. IV. pag. 31. Sed de his aliquid addere otio abuti, & in levioribus rebus, quae omnibus notiſſimae ſunt, haerere putidum eſſet; praeſertim cum ex profeſſo de his egerit peculiari & eleganti diſſertatione Eſchenbachius, quae inter ceteras ejus Diſſertationes legitur; quae facit ut minus nos tangat deſiderium *Michaelis Meiſneri Diatribes de Adnotamentis Criticorum*, qua procul dubio de his Criticorum notis cenſoriis egit. Ea an in lucem edita ſit neſcio. Meminit ejus Barthius in notis ad Clau-

appoſuit, ut quid additum, quidve omiſſum ab illis foret, lectoribus indicaret, quemadmodum ſcribit Epiphanius & Hieronymus in epiſtola ad Pammachium de optimo genere interpretandi. Hujuſmodi notis ſignatas vidi pagellas aliquot Veteris Teſtamenti apud V. Cl. Claudium Sarravium, qui nuper magno omnium eruditorum damno vita defunctus eſt. Porro Hexapla dicebantur exemplaria, eo quod ſex editiones continerent, duas videlicet Hebraicas, quarum prima Hebraicis literis, ſecunda Graecis erat exarata, idque in duabus paginis e regione ſibi oppoſitis, ut ait Epiphanius; quatuor vero Graecas editiones, Symmachi videlicet, Aquilae, Septuaginta Interpretum, & Theodotionis: quae quidem omnes in una eademque pagina invicem ſibi oppoſitae & per columnas diſtinctae erant, ut tradit Euſebius & Ruffinus. In Pſalterio vero & nonnullis aliis Veteris Teſtamenti libris quaedam etiam ex quinta & ſexta editione interſeruit: quas, quoniam auctorum nomina ignorabat, quintam & ſextam nominavit, praefixis tituli loco notis numeralibus, quae illum, quem dixi, numerum indicarent. Et ita quidem Ruffinus de Hexaplis ſcribit: ſed Euſebius & Epiphanius ſatis indicant ex eo dicta eſſe, quod ſex verſiones Graecas continerent, praeter Hebraicum textum, qui dupliciter erat perſcriptus. Septimam praeterea verſionem in Pſalterio adhibitam fuiſſe tradit Euſebius. Caeterum praeter commentariorum volumina ſcripſerat etiam Origenes ſcholia ſeu σημειώσεις, quas Hieronymus excerpta interpretatur in praefatione commentariorum in Eſaiam & in Ezechielem; ego notas ſeu adnotationes malim vertere. Poſtremo multiplices homilias compoſuerat idem Origenes in utrumque Teſtamentum, ita ut in unum eumdemque librum ſacrae Scripturae triplex illius opus exſtaret, commentariorum ſcilicet volumina, ſcholia & homiliae, teſte ibidem Hieronymo.

CAPUT XXIV.

Gregorium Nazianzenum Criticae peritiſſimum fuiſſe ex ſcriptis illius probatur. Ejus dictum, quod Hieronymus refert, explicatum.

GRegorium quoque Nazianzenum, qui Theologus cognominatus eſt, Criticae peritiſſimum fuiſſe reperio. Certe Hieronymus in explicatione ſacrarum Scriptura-

Claudian. pag. 1364. Sed & nuper plurima de his collegit Eruditiſſimus Trotzius in notis ad Hugon de prima ſcrib. orig. pag 176. & ſeqq. Ceterum quod ſubjungat Valeſius vidiſſe ſe fragmentum Veteris Teſtamenti MS. Sarravianum, quod ſimilibus notis ſignatum erat, quibus LXX. Interpretum editionem notaverat Origenes, dolendum eſt, primas codicis iſtius paginas tantum ſuperfuiſſe. Sed praeſtantiorem & veneranda antiquitate inſignem Codicem, qui ante bis mille annos ſcriptus dicitur, vidiſſe me memini in locupletiſſima illa Leidenſis Academiae Bibliotheca; qui priores Veteris Teſtamenti libros continebat ſcriptos literis Graecis capitalibus in antiquiſſima membrana, in cujus margine paſſim tales aſteriſci, lemniſci, & obeliſci conſpiciuntur adſcripti manu ipſius, ut creditur, Origenis: Vid. Catalog. Bibl. Leid pag 395.

turarum eo ſe praeceptore & Catechiſta uſum eſſe gloriatur. Quin & dictum ejus plenum elegantiae & venuſtatis refert in epiſtola ad Nepotianum. Cum enim ipſe aliquando illum interrogaſſet, quidnam eſſet apud Lucam Sabbatum δευτερόπρωτον, reſpondiſſe ait Gregorium: *hoc*, inquit, *te docebo in Eccleſia, in qua, omni populo mihi acclamante, cogeris ſcire quod neſcis; aut ſi reticueris ſolus, ab omnibus ſtultitiae condemnaberis.* Quo quidem dicto hoc ſignificaſſe mihi videtur Gregorius, in Sabbati illius explicatione magnam eſſe difficultatem, nec ſibi liquido compertum eſſe quid ea voce ſignificaretur. Itaque in concione id docendum eſſe, ubi res non ita ſevere examinantur. Quod ſi forte ſpecimen aliquod Gregorianae Criticae lector a me requirit, exhibebo illi Orationem XLIV. in ſanctam Pentecoſten: quo loco explicans verba ex capite 2. Actuum Apoſtolorum, ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν, duplicem ait ſenſum ex iis elici poſſe, prout hoc aut illo modo interpunxeris. *Utrum enim*, inquit, *audiebant eos ſua quisque lingua, ita ut vox quidem una emitteretur, multae autem audirentur. An potius poſt hoc verbum*, audiebant, *punctum adſcribendum eſt, atque haec verba*, loquentes ſuis linguis, *cum his quae ſequuntur jungenda ſunt; ut ſit ſenſus, loquentes linguis propriis, audientium ſcilicet, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, linguis exoticis; qui quidem ſenſus mihi magis arridet: nam illo quidem modo, eorum potius qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuiſſet* &c. In iis vero quae ad eloquentiam ſpectant κρατικώτατον fuiſſe Gregorium ex ipſius Orationibus ſatis conſtat, & ex eo quod cum Athenis diſceſſurus eſſet, amici ipſum detinere tentaverint, ut eloquentiam publice profiteretur; quemadmodum ipſemet alicubi narrat. Omnes certe ejus Orationes plurimum ingenii & artis oſtendunt: quamquam verborum elegantiam de induſtria videtur ſpreviſſe, poſtquam Euangelicam vivendi rationem amplexus eſt. Certe quae in Epiſtola CCIX. ad Nicobulum de epiſtolico charactere praecipit, eximium quemdam Criticum redolent.

CAPUT XXV.

Baſilii Magni in Criticis peritia. Libellus de arte Grammatica Baſilio abjudicatus. Alia ejus ſcripta. Commentarios in Eſaiam Baſilium habere auctorem. Eraſmus notatus.

NEc minor Criticae artis peritia in Baſilio Magno fuit, ut ſodalis ipſius Gregorius teſtatum reliquit in Oratione funebri, quam de laudibus ejus compoſuit. *Quis*, inquit, *ei comparandus fuit in Grammatica, quae linguam ad Graeciſmum format, hiſtorias colligit, metris praeeſt, carminibus leges praeſcribit.* Exſtat ad calcem operum Baſilii libellus de arte Grammatica. Verum hic tametſi nomen Baſilii Magni praeferat, longe recentioris ſcriptoris eſt, quippe cum & Johannis Chryſoſtomi

ſoſtomi & Gregorii Theologi in eo fiat mentio. Sed ex Sermonibus quos ſcripſit in Hexaëmeron, & ex commentariis in Pſalmos & in Eſaiam, ſatis conjicere poſſumus, quantus in Criticis fuerit Baſilius. Scio quidem Eraſmum magni judicii virum hos in Eſaiam commentarios Magno Baſilio abjudicaſſe: ſed tamen tanto auctore nequaquam indigni mihi videntur, adeo ut qui eos Baſilio Magno adſcripſerit, nullam ipſi injuriam facturus eſſe videatur.

CAPUT XXVI.

Chryſoſtomus Criticis adnumeratus. a Scaligero & Caſaubono diſceſſum. Chryſoſtomi Commentarii in S. S.

SEd & Joannem Chryſoſtomum inter Criticos libens numeraverim. Equidem non ignoro cujuſmodi de illo fuerit judicium duorum ſummorum virorum, Scaligeri atque Caſauboni, qui Chryſoſtomum Philoſophiae ac Philologiae inperitum fuiſſe cenſuerunt; quod ſi verum eſt, ne Criticus quidem ille fuerit. Quae enim Critica eſſe poteſt, ſi Philoſophiae ac Philologiae praeſidio deſtituatur. Quod ſi revera Critici nomen meretur is, non qui verba aut voces nudas conſectatur, (id enim potius Grammaticorum officium eſt,) ſed qui ſenſum ipſum accurate inveſtigat, qui ſcopum, ordinem, totamque orationis οἰκονομίαν optime exponit, qui difficilia quaeque explicare, obſcuris lucem adferre novit; non inmerito hunc titulum Joanni Chryſoſtomo adſcribemus. Nemo enim illo melius methodum atque oeconomiam Euangelii expoſuit, praecipue in Commentariis in Matthaeum. Quid dicam de Commentariis in Epiſtolas Pauli, quas vix abſque illius opera intelligere poſſemus? Fateor quidem virum ſanctiſſimum ad id praecipue collineaſſe, ut auditorum mores ad Euangelicae diſciplinae normam inſtitueret, quemadmodum Photius in Bibliotheca ſua obſervavit. Itaque omnes fere ejus commentarii per ſermones ſeu homilias compoſiti ſunt, ut ſcias non tam ei Viro curae fuiſſe expoſitionem Scripturarum, quam auditorum ſanctitatem atque innocentiam. Verumtamen quisquis eum attente legerit, acerrimum viri judicium in explanandis Scripturis, & ſingularem doctrinam profecto mirabitur. Equidem illum unum prae caeteris patribus lectu digniſſimum eſſe judico. Quippe qui & propter eloquentiam jucundiſſimus, & propter ritus antiquos, propter ſententias ac praecepta utiliſſimus ſit.

CAPUT XXVII.

Syneſium Criticum agere in Oratione, quae Dio inſcribitur.

SYneſium inter Theologos an potius inter Philoſophos recenſere oporteat, equidem dubito. Vix enim quidquam ex ejus operibus ad nos pervenit, quod ad Theologiam poſſit referri. Sed quando Epiſcopalem apicem obtinuit, multaeque ejus epiſtolae de rebus Eccleſiaſticis ad Theophilum ſcriptae leguntur, ac ſaepe in ſuis libris repentinos Theologos heri atque hodie natos perſtringit, quos σπαρτοὺς θεολόγους nominat, ipſum quoque veris ſincerisque Theologis accenſere par eſt. Is ergo quantus fuerit Criticus, apparet ex ejus Oratione, quae Dio inſcribitur: in qua de Dionis Chryſoſtomi Orationibus egregrie judicat; & cujusmodi ſit judicium ſuum de ſingulis ſcriptoribus, filio ſuo nondum in lucem edito traditurum ſe eſſe promittit. Judicare autem de antiquis ſcriptoribus proprium ait eſſe Philoſophi, non qualiſcumque, ſed ejus, qui in Grammatica, Poëtica ac Rhetorica ſeſe diligenter exercuerit, antequam ad Philoſophiae ſtudium accederet, & qui intermiſſo aliquantisper ſublimioris ſapientiae ſtudio, divertere interdum ad humaniores diſciplinas conſueverit. Praeterea de emendatione librorum & de legendi ratione ſub finem Orationis diſputat, quae infra ſuo loco ſuſius exponemus. Nunc digito commonſtraſſe atque indicaſſe contenti: notentur interim haec illius verba pag. 47. καὶ γὰρ τὸ κρῖναι καὶ συνθεῖναι λόγον, ἢ ποίησιν, οὐκ ἔξω νοῦ καὶ τὸ λέξιν καθῆραι, καὶ τὸ κεφάλαιον ἐξευρεῖν τε καὶ τάξαι, καὶ ἑτέρου τάξαντος, αὐτὸν ἐπιγνῶναι, πῶς ταῦτα καὶ σπουδάσματα καὶ παίγνια; id eſt, *Etenim orationem ac poema componere aut de iisdem judicium ferre a mente alienum non eſt. Dictionem autem caſtigare, argumentorumque caput inveſtigare ac diſponere, ſive ab alio diſpoſitum agnoſcere, haec quomodo minime ſeria aut ludicra eſſe poſſunt?*

CAPUT XXVIII.

Theodoritus S. S. optimus interpres.

DE Theodorito quidem omnes conſentiunt, illum ex iis, qui Sacrae Scripturae literalem, ut vocant, ſenſum expoſuerunt, optimum ſine controverſia interpretem eſſe. Nam & antiquiores omnes diligenter perlegerat, & praeter ſex illas verſiones ab Origene compoſitas atque inter ſe comparatas, Syriacam quoque adjunxit, quam quidem in commentariis ſuis non ſemel nominat. Poſtremo in explicando brevis eſt & apertus. Quae duo maxime in Critico ſeu interprete deſiderantur.

CA-

CAPUT XXIX.

Photius egregius Criticus. Ejus Bibliotheca; ex qua producta eſt Philoſtorgii Hiſtoria Eccleſiaſtica.

LOngo poſt intervallo vixit Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem quidem eximium Criticum fuiſſe nemo, ut opinor, inficiabitur. Ejus certe Bibliotheca praeſtantiſſimi Critici ſpecimen eſt. Adeo enim accurate ac perite de Grammaticis, Oratoribus atque Hiſtoricis, de Philoſophis quoque ac Theologis judicat, ut nihil in eo genere poſſit eſſe praeſtantius. Nec vero ſolum de antiquis ſcriptoribus judicium ſuum profert Photius, quod ipſum per ſe maximum eſt, ſed etiam argumenta librorum, & breviaria quaedam atque excerpta ſolet adjungere. Quod licet ipſe in epiſtola ad Taraſium praeſtitum a ſe memoriter affirmet, vix tamen ipſi poſſum credere, tantam, tamque incredibilem rerum copiam in ipſius memoria adeo tenaciter inhaerere potuiſſe. Sed dolendum eſt pleraque hujuſmodi breviaria ſeu excerpta hodie deſiderari. Quae ſi ſupereſſent, prout a Photio confecta fuerant, tot veterum ſcriptorum jacturam facilius ferremus. Talis eſt epitome illa Hiſtoriae Eccleſiaſticae Philoſtorgii, quam nuper edidit Dionyſius Gothofredus. Hanc enim ex Photii Bibliotheca deſumtam fuiſſe ipſe operis titulus indicat.

CAPUT XXX.

Hieronymus inter Latinos Theologos Criticus excellens. Ejus ſcripta.

A Graecis transeamus ad Latinos Theologos, inter quos primus ac paene ſolus eſt Hieronymus qui nomen Critici mereatur. Teſtantur hoc complura ejus volumina in Vetus ac Novum Teſtamentum. Nam Novum quidem ad Graecorum exemplarium fidem pleriſque in locis emendavit: Vetus vero ad Hebraicam veritatem Latino ſermone interpretatus eſt. Quod quidem opus plurimos ei obtrectatores atque aemulos conciliavit, cum dicerent ad injuriam ac reprehenſionem editionis Septuaginta Interpretum, quam ab Apoſtolis traditam acceperant, id ab illo factum fuiſſe. Itaque coactus eſt Hieronymus illorum objectionibus ac calumniis pluribis in locis reſpondere: Sed & Septuaginta Interpretum editionem pluribus locis ab ſe emendatam eſſe teſtatur. Scripſit praeterea explanationes ſeu commentarios in Vetus ac Novum Teſtamentum, in quibus multa de Origene & Euſebio, multa de Apollinario & Didymo mutuatus eſt, more eorum, qui commen-

mentarios ſcribunt, ut ſequente libro dicetur. Interpretatus eſt etiam multos Origenis tractatus, & Euſebii ac Didymi. Denique exſtat ejus ad Pammachium epiſtola de optimo genere interpretandi, quae diſputatio proprie ad Criticum pertinet. Quod ſi de antiquis ſcriptoribus judicium ferre Critici eſt, Hieronymum κριτικώτατον fuiſſe nemo dubitabit, qui librum illius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & epiſtolam ad Paulinum de inſtitutione Monachi perlegerit.

CAPUT XXXI.

Inter Reges ac Principes in Critica ſe exercuiſſe Ptolemaeum Euergetem & Jubam Mauritaniae Regem, quorum ſcripta recenſentur.

CUm igitur non ſolum praeſtantiſſimos quosque Philoſophos & Oratores & Juris peritos ac Medicos, ſed etiam Eccleſiaſticos ac Theologos Criticae peritiſſimos fuiſſe certiſſimis argumentis oſtenderim, conſequens eſt, ut ſummam ejus artis dignitatem agnoſcamus, quam tot ac tanti viri tamque ſublimibus ſtudiis occupati ſibi excolendam eſſe cenſuerunt. Et his quidem teſtimoniis contenti eſſe poteramus. Sed tamen ne quis fortaſſe adhuc obloqui nobis audeat, Regum quoque ac Principum ingenia in hac arte elaboraviſſe monſtrabo. Primus igitur in hunc cenſum veniet Ptolemaeus Aegypti Rex, qui Euergetes Secundus eſt appellatus. Hunc Ariſtarchi Grammatici diſcipulum fuiſſe, & viginti quatuor commentariorum libros conſcripſiſſe docet Athenaeus: in quibus, quantum ex fragmentis colligere eſt, rerum memorabilium, quas ipſe viderat, texebat hiſtoriam, multis quoque quae ad Philologiam ſpectabant inſertis. Secundus hic nominabitur Juba Rex Mauritaniae, filius Jubae illius, qui cum Scipione adverſus Caium Caeſarem in Africa infeliciter pugnaverat. Ipſe admodum juvenis in eo proelio captus in triumpho Caii Caeſaris inter captivos ductus eſt, ut ſcribit Plutarchus in Caeſaris vita, & Appianus in Lib. II. Civilium: eamque calamitatem maximorum bonorum Jubae cauſam praeſtitiſſe Plutarchus obſervat. Nam ex barbaro & Numida doctiſſimus & clariſſimis apud Graecos hiſtoriarum ſcriptoribus comparandus evaſit. Et Plutarchus quidem πολυμαθέστατον & ἱστορικώτατον & χαριέστατον πάντων τῶν βασιλέων eum appellat in vita Sertorii & Caeſaris & Antonii. Eumdem vero Criticum & Philologum fuiſſe ex eo apparet, quod plurima ad eam artem pertinentia conſcripſit. Nam & librum περὶ ὁμοιοτήτων elucubraverat, in quo Graecorum vocabula cum Latinis comparaverat, quemadmodum ex Athenaeo colligimus. Scripſerat etiam de theatrali Hiſtoria libros, in quibus omnia quae ad ſcenam & Dramaticos poë-

poëtas pertinebant, complexus fuerat, cujus libri meminit etiam Athenaeus. Memorantur ab antiquis ejusdem de pictura libri, quos Sopater quidam excerpſerat teſte Photio. Adverſus hunc plures libros compoſuiſſe Didymum Grammaticum refert Suidas, ſolemni ſcilicet inter ejusdum artis opifices aemulatione: quamquam hic ſalſamentarii filius, ille Rex & Auguſti amicus, & Divi Julii gener, ſi Suidae credimus. Plutarchus certe non Divo Julio ſed Marco Antonio genitam Cleopatram Jubae noſtro nupſiſſe, auctor eſt.

CAPUT XXXII.

Jul. Caeſaris & Germanici ſcripta ad Criticam facientia. Adrianus Imp. Criticae & Grammaticae ſtudioſus.

INter Latinos vero Julius Caeſar vir ad ſumma quaeque natus, hujus artis gloriam minime ſprevit. Scripſit hic libros de Analogia ad Marcum Ciceronem, qui, ut Quintilianus ait, vim ingenii ejus non fregerunt: ex iis aliquot fragmenta adducit Agellius in clariſſimis ſuis Noctibus. Caeſar quoque Germanicus hac quoque in parte avum ſuum aemulatus eſt, qui non contentus Aratum in Latinum ſermonem convertiſſe, commentarios etiam doctiſſimos adjecit, qui etiamnum ſuperſunt. Verſus quoque ejusdem, in quibus de Terentio Comico judicat, notiſſimi ſunt omnibus. Adeo ut non ſine cauſa Ovidius, cum Faſtos ſuos ei nuncuparet, doctum judicem illum appellaverit, quod nihil aliud quam Criticum ſignificat. Sed & Caeſares omnes usque ad Neronem Criticae ac Philologiae ſtudioſos fuiſſe ſatis indicat Suetonius. Quid de Adriano (a) Auguſto dicemus, qui cum Grammaticis & Sophiſtis ac Philoſophis quaſi cum juſtis hoſtibus certamina exercuit, ut principatum in omnibus ſibi vindicaret.

CAPUT XXXIII.

Terentius Varro, & Valerius Meſſala Corvinus inter Viros principes fuerunt Critici. Eorum ſcripta.

INter principes viros minime praetereundus eſt Terentius Varro vir Praetorius, & in Piratico bello legatus Cnei Pompei ab eodem ob egregiam navatam operam navali corona donatus. Hic vir quantus in omni genere doctrinae fuerit, teſtimo-

nio

(a) Vide Spartianum in Adrian. cap. XX. & ibi Caſaub. ac Salmaſii notas. & de Ejus favore erga Viros doctos Jonſium Lib. III. de Script. Hiſt. Philos. cap. 7. pag. 243.

Digitized by Google

nio ſunt libri; quos ſcripſit pene innumerabiles, quorum indicem retulerat Hieronymus, cum ei Origenem Adamantium conferre vellet, quemadmodum ſcribit Rufinus in apologia Adverſus Hieronymum. Quantus vero in Criticis idem vir fuerit, ſatis ſuperque declarant ejus libri de lingua Latina, in quibus Ariſtophanem & Ariſtarchum, & Cratetem Grammaticos ſaepius nominat, praecipue in libro octavo, ubi de Analogia diſputat. Atque utinam tres priores libri exſtarent, quos de diſciplina ſeu ratione etymologica ſcripſerat. Secundo loco dicetur M. Valerius Meſſala Corvinus, qui, victis Bruto & Caſſio, cum milites, qui cladi ſuperfuerant, ducem illum optarent, Caeſaris fortunam ſequi maluit, quem fulgentiſſimum juvenem Velleius appellat. Conſulatum geſſit cum Caeſare Auguſto eo anno, quo Marcus Antonius ad Actium ſuperatus eſt. Nec minus eloquentiae gloria quam armis illuſtris, ut teſtatur Quintilianus in Inſtitutionum libris. Hic tamen talis tantusque vir Criticam non leviter nec perfunctorie attigit. Scripſit enim non de verbis modo, ſed etiam de ſingulis paene literis integros libellos, ut refertur a Quintiliano in libro primo.

CAPUT XXXIV.

Viri Inluſtres apud Romanos interpretandis & emendandis libris operam dabant. Nomina libris a ſe emendatis ſubſcribebant. Emendatorum ſubſcriptiones in MSS. Livii, Horatii, & Virgilii Codicibus. Nicolai Heinſii laus. Ruſticus Julianus & Vettius Praetextatus interpretationi Ariſtotelis incubuerunt. Boëthii varia ſcripta, quibus multa ex Ariſtotele & Platone interpretatus eſt. Ejus Commentarii in Topica Ciceronis. Macrobii in Criticis doctrina. Chriſtinae Suecicae laus.

SEd quid diutius moror, cum haec fere fuerit conſuetudo ſummorum virorum imperii Romani, ut poſt adminiſtratas provincias, poſt Conſulatus & Praefecturas ſenectutem ſuam hujusmodi ſtudiis oblectarent, & partim interpretandis, partim emendandis illuſtrium ſcriptorum libris operam darent, in gratiam maxime filiorum vel amicorum ſuorum, nec infra dignitatem ſuam putabant libris a ſe emenda-

datis (*a*) nomen ſuum ſubſcribere. Sic Flavianus Nicomachus V. C. Praefectus urbis apud Hennam urbem Siciliae Livii hiſtorias emendaſſe dicitur in MSS. exemplaribus: idque in gratiam Symmachorum, quod etiam in editionibus Frobenianis adſcriptum in calce Liviani operis inveni. Sic Mavortius, qui Conſul fuit eo anno, quo Juſtinianus a Juſtino Auguſtus renunciatus eſt, Horatii carmina emendavit.

(*a*) *Libris a ſe emendatis nomen ſuum ſubſcribere*] Haec in antiquioribus veterum auctorum Codicibus ſaepius inveniuntur. Iis autem, quae de hac re habet hic Valeſius, lubet quaedam, licet forte prolixiora, addere, bona cum Lectoris venia, & de hoc Grammaticorum more nonnulla uberius commentari. Veteres autem ipſos in codices inemendatos & corrupte ſcriptos incidiſſe, notum ſatis eſſe opinor illis, qui querelas ipſorum ſuper hac re non ignorant. Ex multis auctorum locis ſufficiat Cic. III. ad Quint. Fratr. Epiſt. 5. in fine; *De Latinis libris quo me vertam neſcio, ita mendoſe & ſcribuntur & veneunt.* Gellius Lib. VII. c. 20. in fine. *Qui* ebrios *Catullum dixiſſe putant aut* ebrioſos (*nam id quoque temere ſcriptum invenitur*) *in libros ſcilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt.* & Seneca Lib. II. de Ira cap. 26. *Ex prioribus quaedam ſine ſenſu ſunt; ut librum quem minutioribus literis ſcriptum ſaepe projecimus & mendoſum laceravimus.* ubi Lipſius in notis adſert Auguſtini locum egregie huc facientem. Ne plura auctorum loca cumulem, adeat Lector Juretum ad Symmach. Lib. I. Epiſt. 18. pag. 21. & Perizon. Anim. Hiſtor. cap 10. pag. 417. & ſeqq. Hos autem libros ita mendoſos & corruptos relegebant ipſi veteres, & emendabant aliquo contra legente, quam Grammaticorum operam ne ipſi quidem Viri Nobiles & Inluſtres ſuſcipere dedignati ſunt. Ut patet ex illis exemplis, quae hic adſert Valeſius, item ex Sirmondi ad Ennodium praefatione; quibus addi poteſt exemplum ipſius Alexandri & Caſſandri Regum, quos Homerum emendaſſe ſupra notavimus: tum etiam Caroli Magni, quem otioſum nihil aliud fere egiſſe, quam libros correxiſſe, ex ſcriptore quodam aevi illius tradit Barthius Lib XXIX. Advers cap. 11. neque etiam facile inluſtrium ſcriptorum opera a librariis edebantur, niſi antea a Viris in dignitate conſtitutis correcta & recognita eſſent, cujus rei exempla aliquot ſe dediſſe in Vindiciis Antiquorum Diplomatum pag. 36. dicit Fontanini in Lib. II. de Antiq. Hortae cap. 3. pag. 231. Dicebatur autem ille *contra legens*, qui dum libros ex meliorum codicum collatione emendabat alius, ſocius adhibebatur ad legendum, dum alter codicem unum inſpiciebat. Teſtis eſt luculentus Sidonii Apollinaris locus Lib. V. Epiſt. 15. quem totum hic adſcribam, quia adpoſitus valde eſt: *Officii ſermone praefato, bibliopolam veſtrum non gratioſo, ſed judicialiter expertus inſinuo. Cujus ut fidem in pectore, ſic in opere celeritatem, circa dominum te mihi ſibique communem ſatis abunde probavi. Librum igitur hic ipſe deportas Heptateuchi, ſcriptum velocitate ſumma, ſummo nitore, quamquam & a nobis relectum & retractatum. Defert & volumen Prophetarum, licet me abſente decurſum, ſua tamen cura manuque de ſupervacuis ſententiis eruderatum, nec ſemper illo contra legente, qui promiſerat operam ſuam.* Unde patet antiquos Grammaticos auctorum vetuſtiora exemplaria inter ſe contuliſſe, ut ex corruptis emendatos redderent, id quod ἀντιβάλλειν vocat Strabo Lib. XIII. pag. 609. Ed. Par. loco notabili: *βιβλιοπῶλαί τινες γραφεῦσι φαύλοις χρώμενοι, καὶ οὐκ ἀντιβάλλοντες. librorum venditores quidam ineptis uſi ſcribis neque cum exemplari deſcripta comparantes.* Solebant autem nomen ſuum in ejus rei fidem Codicibus adponere, ut patet exemplo Nicomachi in Livio, & Vettii Agerii Baſilii in Horatio, de quibus hic Valeſius. De priore eadem habet Sirmondus ad Sidonii Lib. VIII. Epiſt. 3. pag 81. ubi adfert Livii exemplaria, in quorum fine Nicomachum hunc cum Victoriano talem operam auctori iſti adhibuiſſe adſcriptum erat his verbis: *Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani ab urbe condita. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis.* & in alio: *Emendavi Nicomachus Flavianus V. C. Praefectus urbi apud Hennam, ab urbe condita. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis.* quam priorem ſubſcriptionem etiam poſt teſtimonia veterum de Symmacho exhibuit Juretus. De Vettio Agerio etiam Baſilio, qui Horatium ita recenſuit, idem notavit Lindenbrogius ad Terent. p. m. 596. & 597. & ex vetuſtis codicibus haec verba profert: *Vettius Agorius Baſilius Mavortius V. C. & Inl. ex Comment. Dom. & excons. ord. legi & ut potui emendavi.* vide illic plura huc facientia apud Lindenbrogium, & Bentlejum in praefatione ante Horatium. Sic Julii Caeſaris commentariis in fine adſcriptum fuit: *Jul. Celſus Conſtantinus V. C. emendavi.*

davit. Ita enim in MSS. Horatii Codicibus ſcriptum reperitur: *Vettius Agerius Baſilius Mavortius V. C. & inluſtris ex Comite Domeſticorum ex Conſ. ordinario, legi & ut potui emendavi.* Quin etiam Turcius Rufius Apronianus Aſterius V. C. & inluſtris ex Comite Domeſticorum ex Magiſtro militiae & ex Conſ. ordinario, Virgilii carmina recenſuit in gratiam fratris ſui Macarii, ut ex codice Florentino obſervavit (*b*) Nicolaus Heinſius, doctiſſimus vir ac diligentiſſimus, & arctiſſima mecum fami-

davi. unde plurimi erraverunt, qui Jul. Caeſaris Commentarios ſub nomine Julii Celſi citaverunt & ediderunt, cum Celſus ille fuerit vel librarius vel emendator. Vid. Salmaſ. Prolegom. ad Solin. ſub finem. Voſſium Lib. V. Inſtitut. Orat. cap. 3. § 10. & Delr. ad Senec. Hippolyt v 65. Neque tantum nomina ſua in finem codicum a ſe correctorum conjiciebant, ſed & pleruṁque etiam Conſulum illorum, ſub quibus emendandum Auctorem iſtum ſuſcepiſſent. Exemplis aliquot rem confirmabo. Sic Franciſcus Juretus ad Symmachum Lib. X. Epiſt. 17. pag 269. in vetuſtis Priſciani exemplaribus manu exaratis ſequentia legi tradit: *Flavius Theodorus D. V. memorialis ſacri ſcrinii Epiſtolarum & adjutor V. M. Quaeſtoris ſacri palatii, ſcripſi manu mea in urbe Roma Conſtantinopolitana. III. Kal. Junii. Mavortio V. C. Cos. Juſtino & Juſtiniano Impp.* Jacobus Sirmondus Notis ad Sidon. Apollinar. Lib. IV. Epiſt. 8. pag 44. in vetuſto Bibliothecae Vaticanae Apuleji MSo. talem ſubſcriptionem legi teſtatur: *Ego Saluſtius legi & emendavi Romae feliciter, Olybrio & Probino Coſſ. in foro Martis controverſiam declamans oratori Endelechio, rurſus Conſtantinopoli recognovi Caeſario & Attico Coſſ.* quae conferenda ſunt cum iis, quae habet Alex. Wilthemius in Adpendice ad Diptychon pag. 4 & 5. in ea autem ſubſcriptione *Endelechium* Rhetorem eumdem eſſe cum eo, qui Paulino in Epiſt. VI. prope finem memoratur, & cujus de mortibus boum extat carmen, cenſet Rolweidus in notis ad Paulin. pag. 776. Idem Sirmondus ad Lib. V. Epiſt. 15. pag. 61. in vetuſto Macrobii Codice talem ſubſcriptionem dicit ſe inveniſſe: *Aurelius Memmius Symmachus V. C. emendavi Ravennae cum Macrobio Plotino Eudoxio.* Eudoxio nempe contra legente. Idem denuo in notis ad Ennodii Lib. I. Epiſt. 19. & ad eumd. Sidonium pag. 61. in vetuſto Parmenſi codice Martiani Capellae ſic adfirmat legi: *Securus Memor Felix V. Sp. Com. Conſiſt. Rhetor R. ex mendoſiſſimis exemplaribus emendabam contra legente Deuterio ſcholaſtico diſcipulo meo Romae ad portam Capenam Cos. Paulini VC. ſub D. non. Martiarum Chriſto adjuvante.* quae conveniunt cum iis, quae ex eodem Parmenſi libro adfert Pricaeus ad Apulej. Apolog. pag. 177. & quae ex Patris ſui codice adducit Grotius in praefat. ad Martian. Capellam: ad quam ſubſcriptionem hoc in tranſcurſu monendum arbitror, admittendam eſſe correctionem Petri Nannii Libro Miſcellaneor. X. cap. 4. ubi ex veſtigiis ſcripturae veteris compendiariae codicis Bibliothecae Egmondanae, in quo hunc eumdem titulum inveniſſe ſe Martiano praefixum tradit, legendum conjicit, *Felix Aſper, comes Conſiſtorii, Rhetor urbis Romanae &c. contralegente Eleuterio.* Recte etiam Eruditiſſimus Fontanini Lib. II. de Antiq. Hortae cap. 3. pag. 231. produxit hunc in modum, *Securus Melior Felix Aſper* &c., nam perperam Sirmondus ad Ennodium exhibet, *ſecurus Memor felix V. Sp.* quaſi *vir Spectabilis.* An autem hic Felix, Rhetor urbis Romae, idem forte ſit cum *Magiſtro Felice, oratore urbis Romae*, in ſubſcriptione codicum Horatii, definire vix audeo, praeſertim cum ipſe Bentlejus fateatur ſe neſcire, quis fuerit ille Magiſter Felix. Plura huc pertinentia producere in promtu foret, ſed ſufficiant haec, ne nimius ſim, aut Lectoris otio abuti velle videar.

(*b*) *Obſervavit Nicolaus Heinſius*] innuit ſine dubio Heinſii obſervationem bene longam de praeſtantiſſimo Virgilii Codice Mediceo, ubi multa commentatus eſt de hoc *Turcio Rufio Aſterio*, qui Virgilii codicem diſtinxit & emendavit, & Sedulii carminibus a ſe collectis praefixit Epigramma illud, quod habetur ante editionem Sedulii a Cellario curatam; illa autem Heinſius in ſchedas ſeparatas (quas cum Valeſio forte communicavit) conjecerat, ex quibus ea vulgavit optimus Patruus meus in Tom V. Syllog Epiſt. pag. 193 & ſeqq. quibus multa addi poſſent ex antiquis Inſcriptionibus, ubi *Turcii Aſterii Aproniani* mentio fit. Ita ex Grutero *Turci Aproniani* inſcriptionem profert Salmaſius ad Hiſt. Aug. pag. 485 quemadmodum in vaſto illo opere plures ſimiles occurrunt inſcriptiones. ex multis paucae ſufficiant. *Turcius Apronianus V. C.* memoratur pag DCXLVII. inſc 6. & 7. pag. MLXXX. 8. *L. Turcius Apronianus V. C.* pag. CLXV. 2. pag. CCCCLXXVI. 7. pag. MLXXIX. 1. & *L. Turcius Secundus Aſterius*

ſamiliaritate conjunctus. Idem de Symmacho & de Sidonio Apollinare obſervavit Jacobus Sirmundus ὁ μακαρίτης in notis ad librum octavum Sidonii. Et haec quidem exempla ſunt, quibus viros Romani Imperii Proceres, emendationi librorum incubuiſſe oſtendimus. Quod vero ad interpretationem attinet, quae & ipſa pars Criticae eſt, multa quoque ejus generis exempla ſuppetunt. Primum enim Ruſticus Julianus, ex Magiſtro Memoriae & ex Proconſule Africae, quem inter Romanae Curiae Proceres recenſet Symmachus, & quem Ammianus Marcellinus obſcuris quorundam ſuſurris Imperatorem poſtulatum eſſe ſcribit, cum Valentinianus graviſſimo morbo aegrotaret, Ariſtotelis libros περὶ πολιτειῶν in Latinum ſermonem converterat. Neque enim aliud ſibi volunt haec Symmachi verba in Lib. III. Epiſtolarum. *Non ſilebo alterum munus opuſculi tui, quo priſcum Reipublicae cujusque jus ex libro Graeco in Latium tranſtuliſti.* Et paulo poſt, *tuus nobis poſt haec addidit labor peregrina monumenta quae jam ſui neſciunt. Nunc vero civitas noſtra populorum omnium parens facta eſt; docere poteſt ſingulas antiquitates ſuorum.* Vettius quoque Praetextatus praecipuum Romanae togae decus priores & poſteriores Analyticorum Ariſtotelis libros, ſeu potius Themiſtii paraphraſin, Latino ſermone tranſtulit, ut teſtatur Boethius in Commentariis ad librum Ariſtotelis de interpretatione. Quid Boethius ipſe V. C. & inluſtris ex Patricio & ex Conſule ordinario? nonne multiplici Philoſophicorum librorum interpretatione & commentatione nobilior atque illuſtrior eſt, quam eo, quem geſſit, conſulatu? Primo enim introductionem Porphyrii, deinde Ariſtotelis omnes paene libros qui ad Logicam pertinent, in Latinam linguam convertit. Eratque ei propoſitum, ſi vita longior ſup-

pe-

Aſterius pag. CXCII. 3. & pag. CLXV. inſcr. 2. *Aſterii* etiam mentio eſt in veteri quadam Inſcriptione, quam cum inter chartas nonnullas nuper invenirem, eam hic inſerere operae pretium viſum fuit, quia dubito an edita ſit:

IMPP. CAESS. VALER
IO DIOCLETIANO. ET.
AVRELIO. VALERIO.
MAXIMIANO. PIISS. FE
LICIB. SEMPER. AUGG.
ET. FLAVIO. VALERIO.
CONSTANTIO. GALERI
O VAL. MAXIMIANO.

CVRANTE. L. TVRCIO. APRO
NIANO. V. C. PRAEF. URB.
FIL. ASTERIO CORR. FLAM
ET. PICENI.

Sed quid juvat operam inſumere in iis, quae ſatis collegerunt Viri docti. Conferenda enim cum iſtis Heinſianis ſunt, quae notaverunt Sirmond. ad Ennodium pag. 7. Fontanin. de Antiquit. Hortae Lib II. Cap. 3. §. 5. & 6. & quae leguntur in Orthographia Noriſiana poſt Schurzfleiſch. Orthogr. Rom. cap. 2. a pag 17. uſque ad pag. 49. ubi multa de Aſterio, & carmine illo Codicibus Virgilii & Sedulii ab eo praefixo, habentur.

petiſſet, morales quoque Ariſtotelis libros & naturalem Philoſophiam Romano eloquio transferre: ad haec Platonis dialogos interpretari & Platonicae ac Peripateticae Philoſophiae concordiam Romanis aperire, ut ipſemet teſtatur in libro primo commentariorum majorum ad librum de interpretatione. Quod utinam opus ad exitum usque perduxiſſet. Idem in Topica Ciceronis commentarios ſcripſit, ex quibus ſatis apparet, virum ſummum in omni genere ſtudiorum, hanc etiam Criticae diſciplinam ſtudioſe exercuiſſe. Quid dicam de Aurelio Macrobio Ambroſio Theodoſio V. C. & inluſtri, cujus libri Saturnalium & in Somnium Scipionis commentarii non vulgarem doctrinam Criticaeque artis peritiam oſtendunt. Nec immerito Feſtus Avienus in epiſtola, qua Aeſopi fabulas ei nuncupat, Graece Latineque doctiſſimum fuiſſe teſtatur. *Quis enim tecum*, ait Avienus, *de oratione, quis de poëmate loqueretur? cum in utroque literarum genere & Atticos Graeca eruditione ſuperes, & Latinitate Romanos.* Sed quid opus eſt Regum ac Principum nomina ab ultima usque vetuſtate repetere, ut illorum auctoritate hujus artis dignitas adſtruatur, cum regnet hodie apud Suecos Chriſtina, quae non ſolum favore ac judicio ſuo, ſed etiam ſtudio ac labore hanc diſciplinam nobilitavit.

Digitized by Google

HENRICI VALESII
DE CRITICA
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Criticae artis definitio & partes.

SUperiore Libro de iis, qui apud veteres Critici ſunt dicti, & de Criticae praeſtantia abunde diſſerui. Ex quibus apparet longe opinione falli eos, qui hanc artem tanquam vilem & abjectam non ſolum faſtidio, ſed etiam contemtu dignam eſſe arbitrantur. Nunc quid ſit, & quot quasque in partes dividatur, accuratius dicendum eſt. Ac primum Criticam ita definitio, artem judicandi de ſcriptis tam veterum quam recentiorum. Hic enim praecipue ſcopus eſt hujus artis, ut tam de poëmatis quam de Orationibus, Hiſtoriis, dialogis, omni denique genere ſcriptionis recte judicare valeamus. Partes ejus quatuor ſunt. Prima eſt expoſitio ſeu enarratio, quae Graece ἐξηγητικὴ dicitur. Secunda emendatio, Graece διορθωτική. Tertia obſervatio. Quarto judicium ſeu cenſura. Nunc de ſingulis agendum.

CAPUT II.

Expoſitionis duo genera, ſcholia & Commentarii. Procli, Hieronymi & Origenis Commentarii, & ſcholia. Commentarii pro ſcholiis apud Hieronymum.

QUid ſit expoſitio, manifeſtius eſt, quam ut a nobis debeat exponi. Cuivis enim perſpicuum eſt, expoſitionem nihil aliud eſſe, quam obſcuriorum dictionum ac ſententiarum explanationem. Porro cum libri veteres duobis modis explanari poſſint, aut fuſiore genere interpretandi, quod κατὰ πόδα dici ſolet, cum nulla periodus absque explicatione praetermittitur: aut ſtrictiore, quoties obſcuriora tan-

Digitized by Google

tantum loca enarrantur, inde fit, ut duo ſint genera expoſitionis, quorum alterum Graeci σχόλια appellant, nos annotationes vocare poſſumus, alterum proprie ἐξηγητικὸν vocatur a Graecis, nos vulgo commentarios vocamus. Multum autem intereſt inter utrumque hoc genus. Nam σχόλια praeterquam quod breviora ſunt, plerumque nihil niſi dictiones obſcuras explicant. In commentariis vero praecipue ſenſus ἀκολουθία, & ordo ac diſpoſitio ſcriptionis aperitur. Et ſcholia quidem fere ad latus libri adſcribebantur: commentarii vero ſeorſim edebantur, iique in libros ſeu τόμους diſtributi. Tales ſunt hodie commentarii Procli in Timaeum Platonis, & alii ejusdem Procli in Parmenidem nondum editi. Utrumque hoc interpretationis genus diſtinxit Hieronymus in praefatione commentariorum in Danielem his verbis. *Verum jam tempus eſt, ut ipſius Prophetae verba texamus, non juxta conſuetudinem noſtram proponentes omnia, & omnia diſſerentes, ut in XII. Prophetis fecimus: ſed breviter & per intervalla ea tantum quae obſcura ſunt explanantes.* Ubi notandum eſt Hieronymum annotationes ſuas in Danielem commentarios nihilominus inſcripſiſſe, cum tamen proprie eſſent σχόλια, ut jam dixi. Sed quia longiora ſunt, ideo commentarii ab Hieronymo dicuntur. Verum hoc diſcrimen ex Origenis lucubrationibus in Sacram Scripturam apertiſſime declaratur. Triplex enim fuit opus Origenis in libros Sacrae Scripturae. Primum opus ejus excerpta, quae Graece σχόλια nuncupantur, in quibus ea quae ſibi videbantur obſcura, atque habere aliquid difficultatis, ſummatim breviterque perſtrinxit. Secundum Homiliaticum genus, de quo & praeſens interpretatio eſt. Tertium quod ipſe inſcripſit τόμους, nos volumina poſſumus nuncupare, in quo opere tota ingenii ſui vela ſpirantibus ventis dedit, ut loquitur Hieronymus in praefatione interpretationum Origenis Homiliarum in Ezechielem. Idem Hieronymus alibi σημειώσεις appellat, quae hic σχόλια vocaverat. Ita enim in praefatione commentariorum in Eſaiam ſcribit de Origene: *feruntur & viginti quinque Homiliae & σημειώσεις, quas nos excerpta poſſumus appellare.* Ego annotationes dicere maluiſſem. In praefatione autem commentariorum ſuorum in Matthaeum, haec σχόλια ſeu σημειώσεις Origenis vocat commaticum interpretationis genus, opponitque fuſiori illi explanationi, quae in τόμοις ἐξηγητικῶν legebatur. Et ſcholia quidem Origenis ad latus, ſeu ut vulgo dicitur, ad marginem libri appoſita fuiſſe docet annotatio illa, quae in vetuſtiſſimo Codice R. Marchali legitur ad calcem Hieremiae: Διωρθώθη ἀπὸ τῶν Ὠριγένους αὐτοῦ τετραπλῶν, ἅ τινα καὶ αὐτοῦ χειρὶ διώρθωτο, καὶ ἐσχολιογράφητο: ὅθεν ὁ Εὐσέβιος ἐγὼ σχόλια παρέθηκα. Eodem refero quod ſcribit Hieronymus in praefatione commentariorum in Pſalterium. *Proxime cum Origenis Pſalterium, quod Enchiridion ille vocabat, ſtrictis & neceſſariis interpretationibus adnotatum, in commune legeremus ſimul, uterque deprehendimus, nonnulla eum vel perſtrinxiſſe leviter, vel intacta penitus reliquiſſe, de quibus in alio opere latiſſime diſputavit.* Per ſtrictas interpretationes Hieronymus intelligit ſcholia ſeu σημειώσεις Origenis in Pſalmos: quae breves erant & ſtrictae annotationes in locis duntaxat ac verbis difficilioribus. Reliqua in alio opere latiſſime explanaverat idem Origenes, in Homiliis videlicet & in tomis ἐξηγητικῶν in Pſalmos, ſicut teſtatur Hieronymus in fine ejuſdem praefationis in Pſalmos. Triplex hoc opus Origenis aperte diſtin-

guit Rufinus in praefatione interpretationis ſuae in librum Numerorum, ubi excerpta vocat perinde ac Hieronymus σημειώσεις illas Origenis. Hieronymus in dicta praefatione vocat ſigna: *Studioſe & ſedulo poſtulaſti, ut quaecunque mihi digna memoria videbantur, ſignis quibusdam, potius quam interpretationibus, adnotarem.* In Apologia autem adverſus Rufinum, hoc ſuum in Pſalmos opus commentariolos appellat. Et haec quidem de ſcholiis Origenis. Quod autem ſpectat ad tomos ἐξηγητικῶν ſive explanationum, commentarios illos vocat Beatus Hieronymus in epiſtola ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis. *Mille*, inquit, *& eo amplius tractatus in Eccleſia locutus eſt: edidit innumerabiles praeterea commentarios, quos ipſe appellat τόμους.* Porro illud monendum eſt, licet Hieronymus hoc loco commentarios pro fuſioribus explanationibus poſuerit, interdum tamen commentarios ab illo ſumi pro ſtrictori genere interpretandi. Sic in caput primum Hoſeae: *& quia commentarios, non lata volumina ſcribimus, ſingulis capitibus explanationes proprias in ſuis locis reſervantes* &c. Et in caput undecimum Hoſeae: *haec*, inquit, *breviter, ut in commentariis diximus: nunc ad reliqua recurramus.*

CAPUT III.

De boni Commentatoris officio.[1]

JAm vero de commentariis & de boni commentatoris officio pauca dicenda ſunt. Quis autem melius ac certius de hac re pronunciare poſſit, quam is, qui in hoc opere maxime deſudavit, & qui omnium judicio ſummam ex eo laudem & gloriam eſt conſecutus. Hic eſt Hieronymus, qui in Apologetico adverſus Rufinum de commentariis ita pronunciat: *Commentarii quid operis habent, alterius dicta ediſſerunt: quae obſcure ſcripta ſunt, plano ſermone manifeſtant: multorum ſententias replicant & dicunt: hunc locum quidam ſic ediſſerunt: alii ſic interpretantur: illi ſenſum ſuum & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector cum diverſas explanationes legerit, & multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita adulterinae monetae pecuniam reprobet.* Porro expoſitio ſimplex eſſe debet atque aperta, ne interpretatio ipſa alio rurſus interprete indigeat. Quod pleriſque nimium diſertis accidere ſolet, ut major ſit intelligentiae difficultas in eorum explanationibus, quam in iis, quae explanare conantur: ut ait Hieronymus in Epiſtola CXXXIX ad Cyprianum.

CAPUT IV.

Quid in bona interpretatione exigatur.

EXpoſitionis non minima pars eſt interpretatio, quam Graeci ἑρμηνείαν vocant. Itaque ſaepenumero dicere ſoleo, bonam interpretationem ſeu verſionem commentarii vicem obtinere. Ut autem bona exiſtat, tres praecipue dotes exiguntur. Primum enim fidelis eſſe debet: deinde perſpicua: poſtremo elegans, ne lectori moleſtiam pariat. Proinde utriusque linguae non vulgarem peritiam habeat oportet, quisquis Graecum ſcriptorem Latino ſermone interpretandum ſuſcepit: Recte igitur Hieronymus in Epiſtola ad Huniam & Fretelam: *& ſciendum, quod ſi voluerimus dicere*, Domine quis incolet tabernaculum tuum? *vel illud de quinto*, neque incolet juxta te malignus, *perdet euphoniam, & dum interpretationis κακοζηλίαν ſequimur, omnem decorem amittimus. Et hanc eſſe regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguae, linguae ſuae exprimat proprietate. Quod quidem & Tullium in Protagora Platonis, & in Oeconomico Xenophontis, & in Demoſthenis contra Aeſchinem oratione feciſſe convincimus: & Plautum, Terentium, Caeciliumque eruditiſſimos viros in Graecis comoediis transferendis. Neque ex eo quis Latinam linguam anguſtiſſimam putet, quod non poſſit verbum de verbo transferre; cum etiam Graeci pleraque noſtra per circuitus transferant, & verba Hebraica non interpretationis fide, ſed linguae ſuae proprietatibus nitantur exprimere.*

Caetera deſiderantur.

Digitized by Google

CLARISSIMORUM VIRORUM
NICOLAI RIGALTII
ISMAELIS BULLIALDI
ET
HENRICI VALESII
OBSERVATIONES
DE
POPULIS FUNDIS.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

ETSI mei non ſit inſtituti has Obſervationes commendare, quae legentium, quotquot erunt, merebuntur calculum, cum certe Lectiſſimorum Triumvirorum, qui eas ſcripſere, gloriae aut pretio tenuitas mea quidquam addere non valeat; ſatis e re duxi, LECTOR, *Te monuiſſe CLL. VV. Rigaltii, Valeſii, & Bullialdi de Populis fundis eſſe judicium: eos ſcilicet nominaſſe, laudaſſe eſt: Nibil ab illis ad eruditionem ornatumque omiſſum. Jurisperitiam politioris Literaturae, Hiſtoriae & Antiquitatis acceſſione conſpicuam, aut firma argumentorum momenta deſideras? tot dotes felici vi & praeſtantia ingeniorum liberaliter effuſas hae Obſervationes complectuntur. Quid igitur hic neceſſe fuerit praefari, miraberis. Operis inſcriptio quid intus lateat abunde prodit. Ego tecum ſentiebam,* LECTOR, *niſi, ne pagellae aliquot Typographicae vacarent, quaedam apponere e re putaſſem, hoc eſt, ut verba exararem: nullum quippe doctiſſimi Viri reliquere ſpicilegium: haec itaque habe.*

Non eſt igitur cur verear, ne prologus enormior ſit quam fabula; cum tamen ex Chryſoſtomi ſententia praefatio ad propoſitam materiam libentius perducat, evidentioremque ejus praeſtet intellectum, non inutilem forte hanc exiſtimabis, LECTOR, *ſi noveris difficillimum Ciceronis locum in Oratione pro Cornelio Balbo his Obſervationibus expendi, in quo id agitur; ex foederato populo civem Romanum fieri non potuiſſe, niſi is populus fundus factus fuiſſet. Tota vertitur controverſia in explicatione hujus vocis,* fundus; *natum inde literatum eruditiſſimorum in re tenui, ut videtur, diſſidium: propter quod tamen ne ſummos Viros Philonis in Eſſenos reprehenſioni obnoxios* λογοθήρας *arbitreris. Antiſtius Labeo veterum Juriscon-*

conſultorum Princeps, Pomponio L. 2. de Orig. Jur. & Papiniano Lib. V. Quaeſtionum, Latinarum vocum origines rationesque percallens hac praecipue ſcientia ad enodandos Juris laqueos, Gellio teſte Lib. XIII. cap. 10. utebatur: unde tantum ſibi paravit nomen, ut ex ejus Poſteriorum libris, trigeſimo ſeptimo videlicet Ulpianus, & trigeſimo octavo Paullus dubiorum ex facto propoſitorum ſolutionem hauſerint. Quare non immerito Diodotus apud Thucydidem pronuntiavit, τὺς λόγους ὅςις διαμάχεται, μὴ διδασκάλυς τῶν πραγμάτων γίγνεσθαι, ἀξύνετός ἐςιν. Qui verba rerum doctores eſſe negat, amens eſt. *Verbum* fundus *Diodoti ſententiam nonne probat; dum tot eruditis Diſſertationibus locum dedit. In ſua nempe CL. Rigaltius Petri Pithoei* τῦ πάνυ, *de cujus gloria quidquam dicere, minuere eſt, impugnat ſententiam, quam capiti octavo Libertatum Eccleſiae Gallicanae inſeruit his verbis.* „ Reges Chriſtianiſſimos ſanctitatem Apoſtolicae ſedis ſic comiter „ conſervare, quemadmodnm Principes liberos dicet, ſi non aequo jure, „ certe non ut dediticios, aut fundos. *Ita ut Petrus Pithoeus totius velitationis* fundus *merito ſit appellandus. Doctiſſimus Bullialdus Pithoei ſenſum apte & acute tuetur. Henricus Valeſius aeque Conciliorum Gallicanorum aſſertor acerrimus, ac Cl. Hadrianus ejus frater, Monarchiae noſtrae digniſſimus vindex, a Pithoei partibus ſtat, licet in aliquibus a Bullialdo parumper diſſentiat. Haec Obſervationum ſumma, quibus ſymbolam afferre an audebo?*

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως, καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.

Immo non audebo, ſed liceat cum tantorum virorum bona venia, ut, me Principibus permixtum agnoſcens Achivis, non inglorius χάλκεα χρυσοῖς *miſceam.*

Populus fundus *factus dicitur, dum alterius Populi legibus, quas adſciſcit,*

ſciſcit, ſe adſtringit. De hac deſcriptione populi fundi apud Auctores conſtat, unde Cl. Pithoei ſenſum ſic eruo, ut velit; Reges Chriſtianiſſimos nullius Pontificiae legis, aut decreti adſcitores aut fundos, (ut ex capitis VIII. contextu liquet) immo nec obedientiae filialis, quam non neceſſario, ſed ſponte, & ſecundum Canonem XLI. Synodi Meldenſis libera libertate *praeſtant, mera gratia & pietatis intuitu, quo Reipublicae Chriſtianae caput ſummum Pontificem agnoſcunt, nullo obligationis aut pactionis nexu mancipati. Quod enim ad illa verba ſpectat,* comiter Apoſtolicae ſedis majeſtatem conſervantes, *etſi Cujacius Obſervationum Libro XL. cap. 23. Aelii Galli locum de Poſtliminio apud Feſtum reſtituens,* Quae nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt, *ſcribat. Nam & hi foederati ſunt, & ii, opinor, qui majeſtatem noſtram conſervare juſſi ſunt; numquam tamen adducar, ut credam in eo ſenſu rerum noſtrarum peritiſſimum Pithoeum haec verba uſurpaſſe: Liceat ſanius ominari, Reges quippe noſtri, ut cum Floro loquar, immunes imperii ſunt, & reverentiam ſedis Apoſtolicae tuentur ſolum & retinent, quam ut exprimeret Pithoeus, dum ejus ſanctitatem comiter conſervare dixit Reges noſtros, hoc unum innuere voluit, quod Memmius in Oratione apud Salluſtium, Reges noſtros ſedis Apoſtolicae majeſtatem conſtituere, id eſt, labantem confirmare dignitatis venerationem, atque amplitudinis exiſtimationem, quae quidem tot Hiſtoriarum monumentis in confeſſo ſunt, ut probationibus non egeant. Quare in his verbis nullam ineſſe reprehenſionis cauſſam, omnes aequi judices arbitrabuntur; cum praecipue, ſi de Pontificiis legibus haec verba intelligas, Pithoeus in praefatione Collationis legum Moſaicarum Ill. Chriſtophoro Thuano dicata, ſui ipſius interpres, mentem dilucide explicans ſcripſerit:*

„ Nos Romanarum legum majeſtatem ſic comiter conſervare, ut tamen
„ illis nihil in nos licere patiamur, niſi quod earum rationi & aequitati,
„ non auctoritati & ſanctioni concedimus.

Super-

Supereſt ut fundi *nomen excutiamus, an quid infauſtum portendat, (licet in explanando Ciceronis loco ſubtiles adeo fuerint viri doctiſſimi, ut multijugam eorum lectionem nihil fugerit, aut, ſi quid eſt, fatendum conſulto omiſiſſe.) Cujacius ad Legem* 211. *de Verbor. Signif. notat leges, quae loquuntur de fundo, ſaepe porrigi ad aedes, quae tamen in lege non appellantur*, fundique *appellatione contineri omne praedium, ut in legibus* XII. *Tabularum, additque id fieri, quia augemus ſignificationem, qui mos eſt Juriſconſultorum. Hinc quoque apud Plautum, Feſtum, Gelliumque, fundus auctorem deſignat; & apud Graecos numeri* πυθμένες *dicuntur in Arithmeticis minimi eorum, qui ſunt in eodem* λόγῳ, *ex quibus ceteri* λόγοι *oriuntur. Hos Latine vertit Bullialdus* fundos *in Theone Smyrnaeo, quem publico donavit* τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν.

A varia fundi *ſignificatione ad ejus notationem procedo. Si Grammaticorum adimus promptuaria, Eutychi Lib. II. de diſcern. conjug. a verbo* fundo *nomen* fundus, *id eſt, ager, derivatur; quod fundit nobis fructus. Varroni ager, quod videbatur pecudum ac pecuniae fundamentum*, fundus *dictus; aut quod* fundat *quotannis multa. Auctores vero finium regundorum* fundum *deſcribunt, quod in eo* fundatur *ac ſtabilitur patrimonium. Nova inde ſubit animum cogitatio, novam e Pithoei verbis haurire explicationem. Cum afferat ſcilicet Reges noſtros majeſtatem Sanctae Sedis comiter conſervare, non ut dediticios, aut fundos, his inſinuaſſe, Sedem Apoſtolicam ita coli a Regibus noſtris, ut hinc eos dediticios, aut vectigales ſedis Apoſtolicae quis autumare non debeat. Fundos enim recte conjunxit dediticiis, ut ſervile quidquam omnino amoliretur. Dediticiorum quippe conditionem peſſimam nemo neſcit; vectigalium populorum & provinciarum triſtem & indecoram agnoſcet, quisquis Hiſtoriae & antiquitatis ſciens. Reſtat ut firmandae ſententiae fidejuſſores advocem, ne nimium mihi vi-*

dear adſcribere. Alciatus Litteratiſſimus Jureconſultus Parergōn Lib. I. cap. 14. fundos populos pro vectigalibus dici cenſet. „ Ex foederatis, „ inquit, quorum ager juris Romani cenſebatur, populi fundi ideo di- „ cuntur, ut Cicero Oratione pro Cornelio Balbo declarat. Opinioni no- ſtrae adſtipuletur ſolus Alciatus; tanti viri tamen auctoritate fretus, ejus ſectatorem me profitebor. Habita nempe ad nominis fundi *notationem ra- tione ſic opinatus eſt, ut & in eo etiam ſenſu Plautum in Truculento Act. IV. Sc. 2. v. 15.* fundi *verbum accepiſſe non dubito. In ea ſcena Poëta Aſtaphium ancillam meretricis Phroneſii Dinarcho ejus amaſio loquentem inducit, cui reſtitrix ſit, ne intromittatur. Cauſas repulſae dum ſtupens Dinarchus opperitur, unam & decretoriam quidem ſubdit Aſtaphium; ſi qui haud nobis uſui eſt, nobis moleſtus, unde cum Phroneſium integrum & plenum adorta eſt theſaurum, Strabacem ſcilicet ruſticum adoleſcentem, qui refert nummos & intus bolos dat, quapropter aliis fores occludit, nam*

Solus ſummam habet hic apud nos, nunc is eſt fundus nobis.

Non aliter verſum hunc explicabis, niſi fundus *vectigal, ſeu* πρόσοδον *ſonet. Egebat nempe Phroneſium, quae follem Strabacis excutiendo cum* fundo, *qui tributum pendit, comparat; quia e Strabace pecunias largiente, ut e fundo, penſitationem colligit: quam loquendi formulam Romanae lin- guae lex Plautus ſynecdochice uſurpavit. Pithoeus itaque Reges noſtros non ut fundos, recte dixit, id eſt, non ut tributarios ſtipendiariosque, de quibus Caeſar Lib. I. de bello Gallico, & Cicero Libro III. de Legibus.*

Manum jam de tabula; nimis auſus in his excurrere: ſed audaciam Typographo condonabis, LECTOR, fatenti fundum non eſſe rebus tam eru- ditis. Par eſt igitur, ut Petri Pithoei locum, qui Doctiſſimorum Rigal- tii, Bullialdi, & Valeſii Obſervationes formavit, tibi exhibeamus. En lege, perlege.

M. Pier-

M. Pierre Pithou au Traité des Libertez de l'Egliſe Gallicane, Chap. VIII.

„ LES Rois Tres Chretiens ayants expoſé, non ſeulement leurs moyens,
„ mais auſſi leurs propres perſonnes, pour mettre, retablir, & maintenir
„ les Papes en leur Siege, accroître leur Patrimoine de très grands biens
„ Temporels, & conſerver leurs droits & autorité par tout, les ont tou-
„ jours reconnus pour Peres Spirituels, leur rendant de franche volonté
„ une obëiſſance non ſervile, mais vraiment filiale, & (comme diſoient les
„ anciens Romains en choſe non du tout diſſemblable) *Sanctitatem Apo-*
„ *ſtolicae ſedis ſic comiter conſervantes; quemadmodum Principes liberos*
„ *decet; ſi non aequo jure*, (comme il faut confeſſer, qu'és choſes Spiri-
„ tuelles il y a preeminence & ſuperiorité de la part du Saint Siege Apoſto-
„ lique) *certe non ut dediticios, aut fundos.*

OBSERVATIO
DE POPULIS FUNDIS.

De ſtatu ſive conditione populorum, qui fundi facti eſſe dicebantur Lege Julia de civitate Romana.

NICOLAUS RIGALTIUS
EXIMIO FRATRUM PARI
PETRO ET JACOBO PUTEANIS
S. D.

NON ſeparabo quos ejuſdem ſanguinis honos, idem virtutis amor, eadem ſtudia tam bene junxere; quibus cum ego ab iſtius ſaeculi fere principio conjunctiſſime vixi. De Petro Pithoeo ſcripturus aliquid, quod ab tanti viri ſententia vel minimum recedere videatur: non potui fidelius aut innocentius tradere poſteris, quam veſtro prius examini permiſſum. Et juvat meminiſſe dictorum, quae nos inter olim ſuper hiſce rebus familiari colloquio miſcebamus. Etenim, Pithoei quidem aetate, nemo Regnorum jura, nemo veteres Eccleſiae ritus, nemo Gallicana Romanos erga Pontifices ſtudia, Pithoeo curioſius collegit, nemo prudentius oſtendit; nemo proinde Thuani auguſtiſſimi ſuffragia magnificentiora commeruit. Hodie vero, nullibi ſuavius, quam apud vos Pithoei genius adquieſcit: nullibi tam praeſentes quam in veſtra Bibliotheca ſummi viri manes obſervantur. Itaque, pace inprimis Thuani, nam alias neque veſtram, neque ipſius adeo Pithoei ſperarem; pace inquam veſtra, pace Pithoei dixerim, apparet in opuſculo ſane pulcerrimo naevus. Catalogo ſcilicet Libertatum Eccleſiae Gallicanae, lingua noſtra vulgari compoſito, poſteaquam Regum noſtrorum erga Romanae ſedis Antiſtites pietatem & beneficia maxima laudavit, Latina quaedam de Ciceronis oratione pro Balbo, ſic ad Eccleſiae Romanae praeſtantiam aptata citat, ut ſignificet Eccleſiae Gallicanae Reges Sanctitatem ſedis Apoſtolicae comiter conſervare, quemadmo-

dum

dum Principes liberos decet; ſi non aequo jure; (nam divina praeferri debere fatetur humanis) certe, non ut dediticios, inquit, aut fundos. Fundos ecce populos dedítiis adjungit; triſte aliquid deprecaturus ac ſervile; contrarium libertati. Et dediticiorum quidem conditionem peſſimam fuiſſe tradunt Juris Auctores; haud meliorem illa ſtigmaticorum, malae mentis hominum, qui ſunt aliquid auſi tyrannicum. Dicemus ne ab dediticiis iſtis deſcenſionem fieri ad populos fundos, quaſi ad deterrimae tandem ſortis mortales? Atqui tota illa pro Balbo Tullius hoc pertendit, ut populos fundos commune vocabulum eſſe doceat omnium Populorum Romani Populi amicorum, foederatorum, & nihilominus Liberorum. Et Noctium Atticarum Commentarius decimus ſextus apertiſſime declarat fundos populos eſſe municipes, cives Romanos in mnnicipiis legibus ſuis viventes, & ſuo jure utentes; muneris tantum cum Populo Romano honorarii participes; ab eoque munere capeſſendo appellari Municipes: nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla Populi Romani lege adſtrictos, ni in quam populus eorum fundus factus eſt. Sic habentur extrema iſta Gellii verba in libro Carrionis rectiſſime; cum eoque libro facit alter ille, qnem Vos nuper in Bibliotheca Regia, me rogante, officioſiſſime inſpexiſtis. Erant igitur in Romana ditione municipes liberi, nullis Populi Romani legibus alligati; niſi in aliquam forte legem Romanam populus eorum fundum ſe fecerat. Tunc enim dicebatur fundus ei legi, ſive in eam legem, quam adſumpſerat, quam ſententia ſua comprobaverat. Etenim leges habebat ſuas & propria ſibi jura, quae cognata & coorta ſecum, in ipſis municipum mentibus tamquam in fundo reſederant, & ipſa radicibus nitebantur ſuis; & ſi quaedam certe illorum eſſent conſimilia Romanis, non de Romanis tamen, ſed de publico ſenſu, ſumta: adeoque ipſe populus erat legum ſuarum fundus. Nam & ager, in quo pedem poſuerat exoriens Populus, quia videbatur pecudum ac pecuniae eſſe fundamentum, fundus eſt appellatus. Hoc adſerit Varro, & legis auctorem alicujus, ſive ſententiae ſubſcriptorem Cornelius Fronto factum eſſe dicit legis & ſententiae fundum. Ut jam hinc tota iſta quaeſtio de ſchemate veniat, ſive formula loquendi figurata paulatim ſeſe ad populi arbitrium flectente. Sic populos fundos fieri ait Feſtus rei quam ſe alienare teſtantur; & in Plautina fabula Trinummo, filio ſpondenti pater accedit fundus potior, cui nimirum, ut majori domino, tutius credatur, quam filio. Tale autem forte an fuerit legis Juliae de Romana civitate caput, quantum ex Marco Tullio colligimus: *Ex foederato populo quemquam fieri civem Romanum, niſi is populus fundus factus fuerit, non placere.* Vel potius in hunc modum: *Qui fundi populi facti non erunt, civitatem ne habeant.* Qua certe formula, legis iſtius latorem fundi vocabulo ſervile quicquam, vel indignum liberis cervicibus jugum induere voluiſſe, non eſt putandum. Hoc vero tantum caviſſe, ne quis ex municipio ſingulatim civitate Romana donaretur, niſi municipalis ille populus alienandi municipis ſui fundus, id eſt, auctor fieret, confectisque ſuper ea re tabulis ſubſcriberet; non aliqua pactione fidejuſſoria nexus, quod Pithoeus exiſtimaſſe videtur, ſed, quemadmodum diximus, tamquam auctor & moderator; beneficii, ſive honoris aliunde

col-

collati, ſi non diſpenſator, certe arbiter & comprobator. Adverſus hanc legem fecisſe Pompejum criminabantur accuſatores Balbi, donata civitate Cornelio Balbo Gaditano de conſilii ſive Senatus Pompeiani ſententia. Itaque objiciebant, Balbum vitio factum fuiſſe civem Romanum, populo Gaditano non poſtulante: exceptum fuiſſe foedere, ne quis e Gadibus civitatem mutaret: populum Gaditanum non fuiſſe fundum; non laudatorem, non procuratorem adipiſcendae civitatis Romanae: eoque facto violatam fuiſſe Populi Romani majeſtatem, neglectas foederis Gaditani leges. Refellit objectionem Cicero: negat ullo foedere impediri jus civitatis mutandae. Haec enim eſſe fundamenta firmiſſima libertatis, ire quo libeat: ſui quemque juris, & retinendi & dimittendi eſſe dominum: Gaditanos multis annis, antequam Balbus in judicium ob civitatis mutationem vocaretur, hoſpitium cum ipſo Balbo feciſſe publice: denique, re multo ante hoc judicium Gadibus audita, fore ut Balbo periculum crearetur, graviſſima in civem ſuum accuſatorem Balbi ſenatusconſulta feciſſe; deprecatores pro ipſo miſiſſe Romam. Poſt haec omnia concludit Tullius interrogando; *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, ſi tum ſit fundus, cum ſcita ac juſſa noſtra ſua ſententia comprobat, quam cum hoſpitium facit?* haec procul dubio monſtrant fundorum populorum ſtatum, nullatenus aequiparandum eſſe dediticiis. Immo fundorum appellatione populorum ſignificari liberos, cives ſui juris, Suaeque ſpontis, cum in plerisque hujuscemodi conditionis civitatibus magna pars ſui juris libertatem civitati Romanae anteferret. Sic apud Livium tribus Hernicorum populis, quia maluerant, quam civitatem, ſuae leges redditae; & Praeneſtini civitate ob virtutem donati, non mutavere. Hoc igitur exemplo ſapiunt Galli, qui, ſalva ſemper Sedis Apoſtolicae ſanctitate, adverſus ambitioſas Monarchiae Romanae molitiones opponunt Eccleſiae Gallicanae priſtina ſcita ſua, ſive jura, ſive juſſa. Sic fundi populi ſumus, non dediticii, ſed liberi, ſed foederati, ſed amici; *Chriſtianae libertatis municipes.* Quod ad conſervandam Populi Romani majeſtatem attinet, praeclare Tullius ait, legis latoris verba jubentia magis eſſe quam ſpondentia fecialis; & in ſuperiori conditione cauſſaque poni, cujus majeſtas foederis ſanctione defenditur. Atque hoc foederibus adjici docet Proculus; ut intelligatur, alterum Populum ſuperiorem eſſe; non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum; probatque exemplo clientium, quos etſi habeamus in clientela noſtra, liberos tamen eſſe haud infitiamur. Sic eos, qui majeſtatem comiter conſervare debent, nihilominus liberos eſſe pronunciamus. Sane, quotquot ubicumque degimus vere Chriſtiani, religioni ducimus iſthaec Romae profanae ſcita rebus accommodare Chriſtianis. Et Pithoeus noſter hoc ipſo de Libertatibus Eccleſiae Tractatu, majeſtatem Regibus ſic ſervat, ut non alteri communicet poteſtati, ſed Apoſtolicae ſedis ſanctitatem, pro majeſtate, comiter ab ipſis etiam Regibus conſervandam eſſe ſuadeat. Verum Eccleſia ſeſe ab ſaeculo ſpernit procul. Hoſpitium habet in ſaeculo, ſubjecta ſaecularibus tantiſper. At municipatum ſuum in coelis eſſe didicit & ſperat, & magiſterio Pauli ſecura credit; praeſaga futurorum, majeſtatem Domini protegentis fideliſſime conſervat.

Haec

Digitized by Google

Haec de populis fundis obſervanti mihi ſunt intervifa quaedam non injucunda ſcitu; ſed in hunc dilata locum, ne propoſiti ſeries turbaretur interjectis. Primum illud fuit, hoc de civitate Romana judicio Balbum ſibi grave ſenſiſſe periculum, cui propulſando tam graves adhibuerit defenſores, Pompeium quidem, adeoque ipſum Ciceronem. Noſtis elogium: Hominem occiderit oportet, qui te patrono utatur. Pompeius certe Balbum de fortunis omnibus ita dimicaſſe ait, ut nullius in delicti crimen vocaretur. Enim vero grave fuit praeſtanti viro cauſſam dicere de jure virgarum, & ſervavit Cicero, quem Pompeius fecerat, civem; cujus nepoti triumphum fata ſervabant. Magni ergo ponderis fuit iſtud conſervandae civitatis judicium, quo ſcilicet agebatur de beneficio Porciae Legis, quae virgas a corpore civium Romanorum, teſte ipſo in Rabiriana Tullio, amoverat, in Gaditani municipii Virum excellentem collato: quod beneficium pro ſcapulis & tergo fuiſſe dicit Cato in Oratione contra M. Coelium, ubi ſe multos cives prohibuiſſe injuria verberum gloriatur. Ideoque Plinius Secundus, Naturalis Hiſtoriae volumine ſeptimo, (cap. 43.) inter exempla varietatis fortunae poſuit Balbum huncce Gaditanum. Qui Plinii locus alterum hic conſtituet articulum praetermiſſorum obſervatione ſupra currente. Haec vero ſunt Auctoris doctiſſimi verba in editione illa Pariſienſi, ſtudio Petri Daneſii, quem ſub Bellocirii nomine latere monuit Aemarus Ranconetus, emendata. *Fuit & Balbus Cornelius major, Conſul; ſed accuſatus; atque de jure virgarum in Judicum conſilium miſſus; primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum, uſus illo bonore, quem majores noſtri Latio quoque negaverunt.* Accuſatum fuiſſe ait Plinius, non quaſi civitatem ſuffuratus eſſet, verum quia Gaditanus, & ad ſuos Gaditanos reportandus, miſſum vero in Judicum conſilium, & eſt pro ipſo Ciceronis oratio ad Judices. Majorem praeterea dicit, quia patruus erat alterius Cornelii Balbi, qui aliquot annis poſt accuſationem, de Garamantibus triumphavit. De quo etiam Strabo: ΒΑΛΒΟΣ Ο ΤΡΙΑΜΒΕΥΣΑΣ. Et ipſe Plinius, volumine quinto: *Uno omnium externorum curru & Quiritium jure donato.* Currum dicit triumphalem. Quiritium jure, quia cum Balbo majore, patruo, in civitatem venerat. Hujuſce Balbi Junioris ſupra fidem humanam temeritate notata, Velleius appoſuit: (Lib. II. cap. 51.) *Illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpaniae ſuae natus, ſed Hiſpanus, in triumphum & Pontificatum adſurgeret.* Sic edidit Lipſius. At in editione Rhenani: *quibus non Hiſpaniae Gadibus natus, ſed Hiſpanus.* Unde facilis emendatio, repoſitis, quae transpoſita fuerant: *Illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpanus, ſed Hiſpaniae Gadibus natus, in triumphum & Pontificatum adſurgeret.* Quod certe indignationem augebat, honoris in exteros collati: quia magis extranei videbantur, qui non in Hiſpania geniti, ſed in Oceano, ut ait Plinius VII. 43. Gadibus extra orbem conditis Lib. V. 19. Quod explicat Velleius, ubi de Gadibus: *Tyria claſſis*, inquit, *plurimum pollens mari, in ultimo Hiſpaniae tractu, in extremo noſtri orbis termino, inſulam circumfuſam Oceano, perexiguo a continenti diviſam freto, Gades condidit.*

Valete ſuaviſſimi Puteani. Faventibus vobis, haec appendicula Gadibus etiam lega-

Digitized by Google

legatur. Gaditani gaudete. Habete poſt haec, populi fundi, aequiorem & placatiorem Pithoeum. Hadrianus quoque noſter ille Turnebus, quae ſunt a Cicerone ad Judices dicta pro vobis, omnium optime percepit. Quod etiam, pace clariſſimi Auguſtini veſtri Antonii, proditum velim. Dicite autem Puteanis gratias tantas, quanti plurimi vobis iſthaec Obſervatio noſtra videbitur. Satis equidem mihi feciſſe arbitror, quod amicorum bene merentium deſiderio ſum obſecutus. Tulli Leucorum. MDCLI. Kalend. Februar.

A M-

Digitized by Google

AMPLISSIMO AC ERUDITISSIMO VIRO NICOLAO RIGALTIO IN SUPREMA METENSI CURIA CONSILIARIO REGIO ISMAEL BULLIALDUS S. P. D.

PERPOLITAM ac eruditam Obſervationem tuam de populis fundis nuperrime ad nos miſſam avidiſſime legi, ac relegi: cumque Auctores tam antiquos, quam ſaeculo noſtro proximos, qui de illis ſcripſerunt, adiiſſem, quaedam mentem ſubierunt, quae ſcriptis mandare mihi viſum eſt, & ad te transmittere, ut de illis ſententiam feras. Eo animo ſcripſi ut rem variantibus opinionibus obſcuriorem factam, mihi clariorem redderem, ſimulque Petri Pithoei verborum ſenſum cognoſcerem; non vero ut gloriolam ex ſummis viris cuiquam contradicendo, mihi quaererem. Id qualecumque eſt, ut aequi bonique facias, & me ſemper ames, rogo. Vale. Scrib. Luteciae Pariſiorum Maji xv. Anno MDCLI.

LUCIUS CORNELIUS BALBUS Civis Gaditanus, a Cn. Pompeio civitate Romana donatus, Civis Romanus factus fuerat. Legem enim tulerant L. Gellius, Cn. Cornelius Conſules ex Senatus ſententia, qua ſancitum fuit, ut Cives Romani ii eſſent, quos Cn. Pompeius, de conſilii ſententia, ſigillatim civitate donaſſet. Accuſatus fuit Balbus & in judicium vocatus, quod Gadibus cum natus eſſet, Romanus Civis a Cn. Pompeio factus fuiſſet: negabat etenim accuſator ex foederato populo, niſi is populus fundus factus eſſet, quemquam potuiſſe in Civitatem Romanam venire. Ridet Cicero hunc accuſatorem, jurisque imperitum interpretem appellat, quod iſte hanc poenam foederibus Romanis adſcriberet, & praemiorum beneficiorumque a Populo Romano conferri ſolitorum expertes faceret foederatos. Quamobrem M. Tullius in haec verba prorumpit. *Quid enim dici potuit imperitius, quam foederatos populos fieri fundos oportere? nam non id magis eſt proprium foederatorum, quam omnium liberorum.* Quae periodus ſic intelligenda eſt, nihil imperitius dici

poſſe,

poſſe, quam foederatos populos fieri fundos oportere, ut civitate Romana ex illis populis quiſpiam donaretur. Nam non id magis eſt proprium foederatorum, quam omnium liberorum: id eſt, ea conditione ac lege non tenentur magis foederati quam liberi, quos populos fundos fieri haud neceſſe eſt, ut ex ipſis aliqui civitate Romana donentur. Explicat deinceps Tullius quinam ſint populi fundi, ut falſam juris interpretationem ſubmoveret. *Sed totum hoc, Judices, in ea fuit poſitum ſemper ratione atque ſententia, ut cum juſſiſſet Populus Romanus aliquid, ſi id adſciviſſent ſocii populi ac Latini, & ſi ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo reſediſſet, ut tum lege eadem is populus teneretur, non ut de noſtro jure aliquid minueretur.* &c. Ex quibus verbis liquido conſtat, fundos populos factos fuiſſe ſocios vel foederatos populi Romani, qui legibus Romanis, quas adſciverant, parebant, iisque utebantur. Quod accidere potuit duabus de cauſis, cum ſcilicet apud populos illos foederatos vel ſocios nulla lex de re quapiam lata eſſet. Vel cum ob utilitatem aliquam, patriam legem abrogabant ſocii, Romanamque adſciſcebant. Cujus exemplum affert ſtatim Tullius, Latinorum videlicet, qui leges Rom. voluerunt, adſciverunt. Caput deinde legis Juliae recitat, qua civitas eſt ſociis & Latinis data: *Qui fundi populi facti non eſſent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit: cum magna pars in iis civitatibus juris ſui libertatem civitati anteferret.* Quo quidem capite legiſlator ad univerſitatem, non ad ſingulos reſpexit. Praeterea Civitatis Rom. jus illa formula ad pauciores reſtrinxit, ad populos nimirum fundos: ne forte in omnes promiſcue collocato beneficio praemia vileſcerent, quae ſolis benemeritis debentur. Et quidem de populo Rom. benemeriti erant, qui leges ipſius adſciſcendo obnoxios ſe tanto magis reddebant, earumque obſervatione in fide conſtantius manebant. Ad univerſitatem vero reſpexiſſe legis Juliae caput, clariſſime probant exempla a Tullio allata. In commune ſiquidem conſultarunt Heraclienſes & Neapolitani in ſuis civitatibus, conduceretne ſuis rebus, ut civitatem Rom. conſequerentur, populos fundos fieri: dumque deliberant, in contrarias ſententias diſcedunt, pleriſque juris ſui libertatem Romanae civitati anteponentibus. Non diſputarunt autem, num alicui privato ſingularique civi in Romanam civitatem tranſire permitterent. Unde patet *populos fundos factos fuiſſe juris ſui libertatis*, id eſt, αὐτονομίας amiſſione, & quaſi alienatione, mutatis ſcilicet legibus propriis, adſcitisque Romanis. Pergit Cicero, ut vim formulae iſtius notam faciat. *Poſtremo haec vis eſt iſtius & juris & verbi, ut fundi populi beneficio noſtro non ſuo jure fiant* &c.* Docemur itaque in populi Rom. poteſtate fuiſſe alii populo concedere ac permittere ut fundus fieret, & beneficii loco habitum. Extat certe apud Livium lib. 40. anno ab V. C. 573. exemplum conceſſi uſus Latinae linguae Cumanis, Poſthumio Albino, Calpurnio Piſone Coſſ. *Cumanis eo anno petentibus permiſſum, ut publice Latine loquerentur, & praeconibus Latine vendendi jus eſſet.* Hi autem jam Municipes facti erant anno ab V. C. 538. L. Poſthumio III. Tiberio Sempronio Graccho Coſſ. Si hunc Latinae linguae uſum petere, a Rep. Romana neceſſe fuit: ſique petentibus conceſſus eſt: multo magis juris alicujus Romani uſus petendus erat, quod ipſis utilius foret foederatis. Eo porro jure, quod adſciverant,

Digitized by Google

rant, utebantur, ut de ſuis non de Populi Rom. rebus ſtatuerent. Demum aſſerit Tullius, quaerendum eſſe utrum fundi facti ſint populi, ſi nimirum ſecundum Rom. legem vivere elegerint, num etiam hoc ipſis permiſſum ſit. Noluerunt vero illi populi fundi facti, nec ſibi propoſuerunt de Reipublicae Rom. rebus quicquam ſtatuere: Ut vero oſtendat accuſatorem ignorare jus mutandae civitatis, aſſerit. *non ſolum in legibus publicis poſitum, ſed etiam in privatorum voluntate. Jure enim noſtro* inquit, *neque mutare civitatem quiſquam invitus poteſt; neque ſi velit mutare non poteſt, modo adſciſcatur ab ea civitate, cujus eſſe ſe civitatis velit.* Haec igitur fuit Ciceronis ſententia, atque populi fundi appellatio eo ſenſu intelligenda ac ipſe interpretatur. Accuſator autem Balbi legi Juliae fraudem faciebat: cum ad ſingulos referendo, quae ad univerſitatem ſpectabant tum Romanae Reip. poteſtatem, in donanda civitate privatis hominibus, reſtringendo ad illas civitates & populos, qui fundi facti fuiſſent, & civi in aliam civitatem tranſeundi auctores, quomodo leges ſuas adſcitis Romanis commutarant. Mens ſiquidem legis Juliae fuit, ut ſociis & Latinis civitas daretur; & civitates eorum in Rom. civitatem tranſcriberentur. Ceteris vero vel liberis populis foederatiſve Romana civitas negaretur, niſi populi fundi facti fuiſſent. Verum tamen, ut Tullius optime diſſerit, ea lege populus Rom. ex civitatibus ſociorum atque amicorum fortiſſimos, propoſitis praemiis, eliciendi facultatem ſibi non ademit, neque illius legis ſenſus fuit, ut nullum civitatis externae civem in Romanam adſciſcere poſſet populus civitatem, niſi populus ille fundus factus fuiſſet. Utque probet ex lege Julia accuſatorem in Balbum agere non poſſe, neque oportere populum fundum factum eſſe, ut ab ejus civitate in Romanam aliquis tranſiret, adnotat tunc ſolummodo id prohibitum fuiſſe Rom. populo, quando foederibus continebatur. Illius verba ſunt: *At enim quaedam foedera extant ut Germanorum, Inſubrium* &c. Quapropter, neque de ſtatu ſociorum, qui populi fundi facti erant, agebatur: neque jus aliquod cives apud ſe retinendi illis, qui non erant, competebat, atque vindicandi eos ſi in Rom. Civitatem tranſiiſſent. Sed in poteſtate Populi Rom. beneficium dantis, & electione accipientis, totum negotium verſabatur. Ex praedictis patet qualis fuerit conditio populorum fundorum, qui ſic appellati ſunt, quia *Rom. leges mutatis ſuis propriis invexerunt, vel retentis jus inſuper aliquod Quiritium adſciverunt, quo utentes de rebus ſuis ſtatuerent.* Illi tamen formulae nulla ſervitutis nota, nulla deditionis inerat. Sponte ſiquidem legum Rom. jugo ſe ſubmittebant: neque illis populis hoc voluiſſe ſufficiebat, niſi & populo Rom. placuiſſet.

De illa vero loquendi formula *populus fundus* jam diſſerendum. Plautus in Trinummo Scena penultima.

> *Nunc mihi is proprie conveniendus eſt, ut, quae cum ejus filio*
> *Egi, ei rei fundus pater ſit potior.*

Ubi verbum illud *fundus* pro ſponſore eſt accipiendum. De nuptiis enim agebatur, & fundus potior ei rei quaerebatur, ideſt ſponſor, qui jus deſpondendi haberet potius quam Lesbonicus, qui alius certe eſſe nequibat quam Charmides,

Digitized by Google

des, in cujus poteſtate filia ſua erat. Fundus etiam hic accipi pro auctore poteſt, quicum tutius nuptialia pacta & inſtrumenta conficiat Lyſiteles. Et fundum pro auctore accipi docet Feſtus. *Fundus quoque dicitur populus eſſe rei, quam alienat, hoc eſt auctor.* Quae verba ad contractum emptionis venditionis pertinent: & ſignificant populum de evictione teneri & emptori eam praeſtare debere: cum ipſe venditionis auctor fuerit. Quae formula uſurpata quoque videtur, quamvis minus proprie, loquendo de populis illis qui jure Quiritium adſcito ob aliquam utilitatem ſuam populi fundi facti ſunt. Ut enim voluntarius contractus eſt emptio venditio, & conſenſu peragitur; ita voluntarius erat contractus eorum, qui ſua jura ac leges quaſi alienabant, & Romanis commutabant. Ipſis enim eligentibus & populo Rom. permittente, populi fundi fiebant. Vi autem verborum illius formulae fundos factos intelligere debemus, adſcitis legibus Rom. earum obſervationi ita ſe obſtrinxiſſe, ut αὐτονομίᾳ juribusque propriis, quae alienaverant, uti amplius non poſſent, aut novas leges inductis Romanis ſcribere: Ita ut ſi quid ejusmodi auſi fuiſſent, foederum violatorum ac ſpretae majeſtatis rei forent. Sed & Ciceronis interpretatio apertior eſt, nec huic tamen adverſatur. Fundus enim populus ideo appellari vult, quod in eo eadem lex, qua utebatur Populus Rom. tanquam in fundo reſideret. Quibus verbis intelligit populos illos teneri, & legibus Rom. obligari, ſicut fundus aut ager hypothecae obnoxius, & creditori oppigneratus, qui optimus ſponſor eſt. Illos autem fundos populos ea fuiſſe conditione ex Gellio conſtat Lib. XVI. cap. 13. ubi de municipibus diſſerit. Idem Gellius Lib. XIX. cap. 8. de legis fundo meminit, Frontonem ſic loquentem inducens. *Sed haec ego, inquit, dixi, non ut hujus ſententiae legisque fundus ſubſcriptorque fierem, ſed ut ne Caeſaris viri docti* &c. Metaphora uſus eſt a populis legis fundis factis, qui mutatis propriis legibus, Romanas adſciſcebant, iisque ſubſcribebant. Quo loco neque a ſe ipſe diſſentire mihi videtur, quod Pauli Manutii pace dictum volo, qui in argumento Orationis pro Cornel. Balbo, ita de Gellio ſentit. Sibi autem conſtare Gellium ſic oſtendere poſſumus. Cum cap. 13. Lib. XVI. verba faciat de illis, quibus populi fundi tenentur. Poſteriori vero loco modum explicet quomodo fundi legis fiant, mutando ſcilicet leges proprias & externis ſubſcribendo. Ex quo etiam poſteriori loco debemus animadvertere in illa loquendi formula *populus fundus* ſubintelligi vocem *legis*, quam Gellius exprimit.

Turnebus Adverſar. Lib. IV. cap. 12. M. Tullii interpretationem approbat, ipſumque vere argumentari ſine verborum captione aſſerit: & populum fundum ita dici exiſtimat, *quaſi lex urbem Romam in qua lata eſt, pro civitate habeat populum illum, a quo eſt adſcita, pro fundo quodam ſuo, ut in eo ſedem ponat: ita per tranſlationem ea dicendi ratio auctoritatem ſignificare coepit.*

Paulus Manutius, loco ſupra citato Ciceronem ut cauſae ſuae ſerviret, ſenſum formulae illius pervertiſſe dicit, & ſic diſſerit. *Tota cauſa pendet a foedere, id eſt ab interpretatione eorum verborum, ut populus fundus fieret: aliter enim accuſator, aliter ea Cicero interpretabatur. Accuſator ſic, fundum fieri populum, cum author eſſet ejus rei quam alienaret; Cicero cum acciperet unam pluresve leges Romae latas, ut iis legibus in poſte-*

rum

rum aeque ac populus Rom. uteretur &c. Neſcio quare Manutius foederis Gaditani interpretationem a ſenſu verborum iſtorum, ut fundus populus fieret, dependere affirmet. Cum Cicero dicat in illo nihil aliud fuiſſe, niſi ut pia & aeterna pax eſſet, quibus adjectum erat quod non eſt in omnibus foederibus. MAJESTATEM POPULI ROM. COMITER CONSERVANTO. Quod etiam verbum *comiter* accuſator perperam interpretabatur *Communiter*. Ex Ciceronis oratione conſtat accuſatorem ex foedere Gaditano L. Cornel. Balbum, ut ad civitatem propriam rediret, repetiiſſe, quod crederet ſine injuria Gaditanae civitatis, ipſiusque imminutione ac detrimento cives ex ea in Romanam elici non poſſe. Ex Capite vero legis Juliae, quod crederet populum fundum fieri debere, ut ipſius authoritate ex civitate ſua aliquis in aliam tranſiret. Sed negat Cicero haec foedera ac jura ad civitatem pertinere: &, ut jam praedixi, peſſime intelligebat accuſator. Nam civitas populus fundus fit juris Rom. vel legis alicujus quam accipit, & ſic auctor eſt propriarum legum, a quibus recedit, alienationis. Sed auctor neceſſarius non eſt, aut eſſe poteſt civi ſuo, ut civitatem ſive volens ſive invitus mutet, ut manifeſte probat Cicero.

Carolus Sigonius Lib. I. cap. 4. de antiquo jure Italiae, ex Plauto & Feſto fundum interpretatur auctorem, ex quo ait: *tranſlate populos fundos appellatos eſſe intelligere poſſumus, qui ipſi auctores eſſent, ut jure civili Rom. ſe obſtringerent, quomodo accepit accuſator Cornelii Balbi.* Et Ciceronem affirmat aptius ad cauſae victoriam quam ad veritatis rationem locutum. Verum Sigonium hic mentem accuſatoris aſſecutum eſſe dubito. Non agebatur enim de legum Rom. obſervatione, quae ab aliis civitatibus, etiam antequam in Romanam tranſiſſent, obſervabantur: ſed de mutata civitate litem Balbo moverat accuſator. Franciſcus quoque Hotomanus Obſervationum Lib. II. cap. 19. vult Ciceronem in hujus formulae explicatione & tempori & cauſae ſerviiſſe, & legem de populi authoritate exquirenda eluſiſſe. Illius verba ſunt *Neque rurſus ob eam cauſam fieri fundus dicitur, quod in eo lex aliqua tanquam aedificium in fundo ponatur: ſed quod civibus ſuis novo & aſcito jure utentibus fundamento ſit. Item ut auctores ſive patres ſive tutores ſive venditores firmamento eſſe ſolent aliis qui eorum authoritatem ita ſequuntur, ut ea perinde nitantur quaſi aedificia fundo. Denique haec locutio non ad ſubſtantiae aut qualitatis, ſed ad relationis categoriam pertinet. Quoniam cum dicimus populum eſſe fundum, hoc ſignificamus civibus ſuis eſſe fundum, ut hoc illudve faciant. Veluti ut ſe pro Rom. civibus gerant; ne illa populi Romani lege utantur.*

Confundunt illi tres Manutius, Sigonius, & Hotomanus juris legumque Rom. in civitatem aliquam univerſitatis electione, conſenſu ac authoritate invectionem, cum civitatis mutatione ab aliquo ſingulari facta, quae ambo diſtingui debent ut luculenter Tullius rationibus multis judicibus probavit, & in medium allato cum gentibus quibusdam foederum exemplo, quibus exceptum erat, ne cui ex ipſarum civitatibus Romana civitas donaretur. Erat quidem populus fundus auctor civibus ſuis univerſis, ut jure Romano ſimul ſe obſtringerent. Sed ſingulis auctorem eſſe haud neceſſe fuit ut civitatem mutarent, quoniam in ſingulorum poteſtate hoc ſitum erat. Unum equidem miror eoſce tantos viros M. Tullium falſae interpretationis inſimulare, cum plana ſit & aperta illius explicatio, validisque argumentis

ſirmata. Hotomanus porro populum fundum fieri reſpectu civium intelligit; potius vero mihi videtur reſpectu legis ac juris, etiamque legiſlatoris, cui tanquam hypotheca obnoxius redditur, & cui ut auctor contractu voluntario obſtringitur, intelligi debere, ut in locis citatis accepit Gellius. Fit enim fundus ejus reſpectu cui ſe obligat, cui ſpondet, & cui leges ac jura data ſervare promittit.

Ut autem de conditione populorum fundorum breviter dicamus, certiſſimum eſt liberos eos fuiſſe, neque vi adactos ut legibus Rom. jure patrio abdicato, uterentur. Penes ipſos enim erat proprio connatoque jure uti, vel ſi elegiſſent, Romano; hac tamen conditione ſi populus Rom. ita permiſiſſet, ut ejus quippe ſuperioris Majeſtas conſervaretur, & beneficii loco ſecundum leges Romanas vivere foederati ſociique, utpote inferiores, haberent.

Verba tandem Petri Pithoei explicanda mihi ſunt. *Sanctitatem Apoſtolicae ſedis ſic comiter conſervantes, quemadmodum Principes liberos decet, ſi non aequo jure, certe non ut dedititios aut fundos.* Tranſtulit Pithoeus hanc loquendi formulam a rebus Reipublicae Romanae politicis ad noſtras, inter quas nec ſimilitudo perfecta intercedit, nec diſſimilitudo pariter ipſas penitus disjungit. Certe non ut dedititios aut fundos Reges Galliae erga ſanctam ſedem ſe gerere veriſſimum eſt. Dedititiorum quippe conditio peſſima erat, qui ſe ſuaque omnia divina ac humana arbitrio & poteſtati victoris permiſerant. Neque porro in ſpirituali politeia ullus dedititius eſt, non ille qui ut ad meliorem mentem redeat, patri ſpirituali totum ſe permittit, & in ejus poteſtate ſe fore promittit. Adjecit Pithoeus fundos non ut paris conditionis cum dedititiis eos demonſtraret, ſed ut oſtenderet Galliae Reges non tantum Eccleſiae Rom. ſervos non eſſe, nec Eccleſiam Rom. iis imperare, nec leges ab ea tanquam devictos a victore ipſos accepiſſe: verum etiam ut doceret Eccleſiae hujus regni leges (quas perperam privilegia vocant, quaſi a ſuperiori domino conceſſæ ſint) connatas ac propriam Monarchiae & huic noſtrae genti eſſe, neque illas a ſummis Pontificibus Reges velut beneficium ſibi collatum accepiſſe. Quod olim fecere populi Romanorum ſocii ac foederati, qui ob adſcitas Quiritium leges populi fundi appellati ſunt. Quamobrem cum Eruditiſſimi Rigaltii bona venia dicam, me in Pithoei verbis aut ſenſu naevum haud deprehendere.

CLARISSIMO VIRO

LUDOVICO NUBLAEO JURISCONSULTO

HENRICUS VALESIUS

SALUTEM.

De Epiſtola Iſmaelis Bullialdi doctiſſimi viri, quam mihi legendam miſiſti, ago gratias. Multa de populis fundis, deque jure ac verbo populorum fundorum acute

acute ab eo notata magna cum voluptate perlegi. Conſilium quoque ejus ac inſtitutum magnopere probavi, qui Petri Pithoei ſententiam ac locutionem adverſus obſervationem clariſſimi viri Nicolai Rigaltii defendere inſtituiſſet. Atque ego, initio quidem cum obſervationem Rigaltii de populis fundis oculis prope caligantibus percucurriſſem, rem a Rigaltio confectam eſſe credideram, ut jam de Petri Pithoei lapſu dubitatio nulla ſupereſſet. Sed poſtquam epiſtolam Bullialdi, quam ad me miſeras, perlegendam curavi, & obſervationem illam Rigaltii alienis oculis relegi, tum demum intellexi Petrum Pithoeum, qui Reges Chriſtianos ſanctitatem apoſtolicae ſedis comiter conſervare dixit, ut Principes liberos decet, non vero ut dedititios aut fundos, commoda & benigna interpretatione poſſe defendi. Ac Bullialdi quidem interpretationem ſequetur qui volet; eſt enim docte & ingenioſe excogitata. Mihi tamen, ut ingenue dicam quod ſentio, non ſatisfacit. Etenim affirmat Bullialdus, idcirco Reges Chriſtianiſſimos non eſſe fundos ſedis Rom. quod leges habeant proprias & imperio ſuo connatas, non Pontificis Rom. beneficio aut permiſſu, quae vulgo libertates appellantur: cum populi fundi beneficio ac permiſſu populi Rom. legibus Rom. uterentur. Sed haec ratio prorſus nihil concludit. Nam & populi fundi leges ſuas habebant ſimul cum civitate & Rep. ſua natas, quibus domi utebantur abſque ullo beneficio ac permiſſu populi Romani. ut docet Agellius in Lib. XVI. cap. 13. de municipibus loquens. Idque nec ipſe Bullialdus, ut credo, inficiabitur, quippe qui meminerit in Oratione Ciceronis pro Balbo ſcriptum eſſe populos liberos ac foederatos fundos eſſe factos, cum legem aliquam populi Rom. adſciviſſent. Puta legem Voconiam de haereditatibus, aut Furiam de teſtamentis, aut aliquam aliam de jure civili, qua deinceps in civitate ſua uterentur. In ceteris vero rebus leges patrias & avitas cuſtodiebant, quas nullo populi Rom. beneficio ſed ſuo jure retinebant. Non igitur dici poteſt Reges Chriſtianiſſimos ideo fundos non eſſe ſedis Romanae, quod proprias leges habeant abſque permiſſu ſedis illius, quippe cum etiam populi fundi leges proprias haberent abſque ullo beneficio populi Romani, nec populi Rom. gratia opus habuerint, niſi ob eam legem quam ex jure civili populi Rom. adſciſcere commodum ſibi eſſe ducebant. Proinde alia conquirenda eſt interpretatio verborum Petri Pithoei.

Videamus igitur, quod fuerit jus, quae conditio populorum fundorum. In eo praecipue ſita eſt conditio populorum fundorum, quod legibus, plebiſcitis, & juſſis populi Rom. quae ipſi adſciverant, adſtricti tenebantur. Docet id aperte M. Tullius in Oratione pro Balbo his verbis. *Sed totum hoc, Judices, in ea fuit poſitum ſemper ratione atque ſententia, ut cum juſſiſſet populus Rom. aliquid, ſi id adſciviſſent ſocii populi ac Latini, et ſi ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo reſediſſet: ut tum lege eadem is populus teneretur?* &c. Accedit Agellius in Lib. XVI. cap. 13. qui municipes ita definit. *Municipes ſunt cives Rom. ex municipiis legibus ſuis & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Rom. honorarii participes, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Rom. lege adſtricti, ni in quam populus eorum fundus factus eſt.* Ex quibus apparet populos fundos adſtrictos fuiſſe legibus Rom. in quas fundi facti fuiſſent, ut loquitur Agellius, vel quibus fundi fuiſſent facti, ut ait Cicero pro Balbo.

Digitized by Google

Balbo. Quod quidem eatenus valebat, ut ex populis fundis ſinguli cives accuſari & accuſare poſſent, ea lege populi Rom. quam adſciverant, & cauſam dicere apud Magiſtratum populi Rom tenerentur. Hic ergo ſenſus eſt verborum Petri Pithoei, Reges Chriſtianiſſimos non eſſe adſtrictos juſſis reſcriptisque Pontificum Romanorum. Fidem quidem & doctrinam ſedis Apoſtolicae amplectuntur & colunt Reges Chriſtianiſſimi, adeo ut ne transverſum quidem unguem ab ea diſcedere velint. Sed juſſis ac decretis Pontificum teneri ſe nequaquam exiſtimant, niſi quatenus ea juſſa ſacris Canonibus conſentiant, aut Eccleſiae Gallicanae libertatibus non repugnent. Atque ut paucis verbis rem abſolvam, fidem a ſede Romana non legem accipiunt. Haec fuit ſine dubio mens Petri Pithoei, cum Reges Chriſtianiſſimos authoritatem ſedis Apoſtolicae comiter conſervare pronuntiavit, prout Principes liberos decet, non ut dedititios aut fundos. Id eſt non ut eos qui ſe legibus & juſſis Pontificum adſtrinxerunt. Quod ſi fundos poſteriori loco poſuit Pithoeus, non id illum feciſſe putandum eſt, quod populos fundos deterioris conditionis quam dediticios eſſe crediderit. Neque enim verbum illud, quod poſtremum ponitur, ſemper augendi vim habeat neceſſe eſt Atque haec ſunt quae pro defenſione Petri Pithoei poſt doctiſſimi Bullialdi epiſtolam, adverſus obſervationem V. Cl. Nicolai Rigaltii ad te potiſſimum perſcribenda eſſe duxi, mi Nublaee, quippe quem Petro Pithoeo inprimis favere, ejusque viri ſcripta ac dicta omnia plurimi facere intelligerem. Ceterum de jure & conditione populorum fundorum, cum primum mihi otium ſuppetet, peculiari epiſtola ad te ſcribam. Vale.

CLARISSIMO VIRO

LUDOVICO NUBLAEO JURISCONSULTO.

HENRICUS VALESIUS,

SALUTEM.

QUod jam dudum tibi pollicitus fueram, doctiſſime Nublaee, de jure & conditione populorum fundorum, nunc tandem bona fide tibi perſolvo. Quaedam enim in eo jure mihi deprehendiſſe videor, quae ab aliis non obſervata, nec ſatis diſtincte notata ſunt. Quippe cum Marcus Tullius ſolus pene ex antiquis ſcriptoribus, qui ad nos pervenerunt, de populis fundis diſſeruerit, adeo tamen obſcura atque intricata eſt omnis ejus oratio, ut pene plus obſcuritatis quam lucis afferre videatur. Et laudandus eſt quidem meo judicio vir doctiſſimus Bullialdus, qui Ciceronis verba pro virili parte illuſtrare conatus eſt. Sed pace ejus dixerim, Ciceronis mentem non plane neque ex omni parte eſt aſſecutus. Itaque nobis ſatis amplum

plùm ſpicilegium reliquit.

Lucius Gellius & Cn. Cornelius Coſſ. legem ex ſenatus ſententia tulerant, ut cives Romani eſſent ii, quos Cn. Pompeius de conſilii ſententia ſingillatim civitate donaret. Donatus fuit civitate a Cn. Pompeio, ex conſilii ſententia, Lucius Cornelius Balbus. Extitit poſtea Gaditanus quidam, qui Balbum accuſavit, quod pro cive Rom. ſe gereret: aiebatque, ex populo Gaditano, utpote foederato, neminem potuiſſe fieri civem Romanum, niſi populus Gaditanus fundus factus fuiſſet. Negabat enim, ut ait Cicero, ex foederato populo quemquam potuiſſe, niſi is populus fundus factus eſſet, in hanc civitatem venire. Cum igitur populus Gaditanus fundus factus non fuerit, Balbum, qui Gaditanus erat, civem Romanum fieri non potuiſſe.

Ac primo id notatum velim, errare eos qui exiſtimant, aliter ab accuſatore Balbi, aliter a Marco Cicerone populos fundos explicari. Neque enim reprehenſus eſt a Cicerone accuſator Balbi, quod ignoraſſet, quinam eſſent populi fundi, ſed tantum, quod dixerat foederatos populos fundos fieri debuiſſe, ut aliquis ex eorum civibus in Romanam civitatem veniret. Fundum igitur factum eſſe populum Gaditanum negabat adverſarius Balbi, id eſt auctorem ac ſubſcriptorem legis Gelliae, qua ſtatutum erat, ut is eſſet civis Romanus, quem Pompeius civitate eſſet donaturus ex conſilii ſententia: vel certe ſubſcriptorem decreti illius, quo Balbus a Pompeio civis Rom. factus fuerat: vel potius ſubſcriptorem legis Gelliae, qua ſtatutum erat, ut is eſſet civis Rom. quem Pompeius civitate eſſet donaturus. Hanc illius explicationem fuiſſe ipſe oſtendit Cicero pag. 391. *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare verbo) ſi tum ſit fundus, cum ſcita ac juſſa noſtra ſua ſententia comprobat* &c. ex quibus tamen verbis quidam poſſint ſuſpicari, hanc fundorum populorum explicationem a Cicerone non probari, ſed ex interpretatione ab adverſario prolata, Ciceronem adverſus ipſum argumentari. Quod quidem innuere videntur haec verba, *ſi tum ſit fundus.* Sed ea verba ambiguum ſenſum habent, nihilque neceſſario conficiunt. Itaque in eadem ſententia permaneo, Ciceronem in ſignificatione fundorum populorum nihil fere ab adverſario Balbi diſſenſiſſe. Quod longe clarius fiet, ſi ipſa Ciceronis verba, quibus accuſatori reſpondet, accurate expendamus, quae a viris doctiſſimis, qui nuper hoc argumentum tractarunt, perperam accepta ſunt. Sic igitur ait Cicero. *Quid enim potuit dici imperitius, quam foederatos populos fieri fundos oportere? Nam id non magis eſt proprium foederatorum, quam omnium liberorum.* In iis verbis aliquam eſſe obſcuritatem recte Bullialdus animadvertit. Eſt igitur hujus loci ſenſus ille; non poſſe quempiam ex populo aliquo in civitatem Romanam venire, niſi is populus fundus factus ſit, id non magis pertinet ad foederatos, quam ad liberos populos. Par enim utrobique ratio eſt. Atqui in populis liberis id falſum eſt, ergo etiam in foederatis. Hoc eſt argumentum Ciceronis, quod oratorio more exequitur. Atque ita explicanda eſſe haec verba ipſe indicat Cicero non longe poſtea, cum ait pag. 389. *ſed cum eſt illud imperitiſſime dictum de populis fundis, quod commune eſt liberorum populorum non proprium foederatorum: ex quo intelligi neceſſe eſt, aut neminem ex ſociis civem fieri poſſe: aut etiam poſſe ex foederatis.* Minor autem illa propoſitio Ciceronis id ſcilicet falſum eſſe in po-

 pulis

pulis liberis, multis exemplis a Cicerone mox comprobatur, pag. 389. Cui jungenda eſt pag. 392. multi in civitatem recepti ex liberis foederatisque populis.

Totum hoc, Judices, in ea poſitum fuit ratione, ut cum juſſiſſet Populus Rom. aliquid, ſi id aſciviſſent ſocii populi ac Latini. Pergit Cicero ut oſtendat id commune eſſe tam liberis quam foederatis. Nam ſocii populi iidem ſunt ac liberi, ut ex loco proxime citato apparet. Latinos autem foederatos fuiſſe nemo neſcit.

Et ſi ea lex quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo reſediſſet. Reddit rationem nominis fundorum populorum. Scio alios aliam afferre nominis hujus rationem, ſed in re obſcura Ciceronis interpretationem ſequi maluerim, quam cum recentioribus hariolari.

Ut tum lege eadem is populus teneretur. Tenebantur ergo ſocii & foederati ea lege populi Rom. quam adſciverant, ita ut & accuſare ex ea lege civem Rom. & ipſi coram Magiſtratu Rom. cauſam dicere ex ea lege cogerentur. Quemadmodum docet Agellius in Lib. XVI. cap. 13. de Municipibus ſcribens: *Multis aliis neceſſitatibus*, inquit, *neque ulla populi Rom. lege adſtricti, ni in quam populus eorum fundus factus eſt.*

Bullialdus quidem in epiſtola ad Rigaltium id ſic explicat, quaſi populi, qui aliquam populi Rom. legem adſciverant, eam amplius mutare non poſſent. Sed re accuratius perpenſa, non videtur mihi nunc veriſimile ſocios & Latinos, qui legem Furiam, verbi gratia, de teſtamentis adſciverant, coactos fuiſſe apud Magiſtratum Rom. diſceptare de teſtamento, ſi quae forte controverſia inter ipſos nata eſſet. Et ſane cum Cicero id non dicat, nihil cauſae eſt, cur nos id affirmare velimus. Id tantum dicit Cicero, populum qui legem populi Rom. adſcivit, eadem lege teneri: ex eo autem non ſequitur cives ex foederato populo, qui fundus factus fuerat, cauſam Romae dixiſſe. Quod ſi ita fuiſſet, non id taciturus erat Cicero, quippe qui tantopere laborat, ut nihil de jure populi Rom. imminutum eſſe demonſtret, cum populi fundi facti fuerant. Et verbum *adſciſcendi*, quo utitur Cicero, hanc videtur vim habere, ut populi, qui legem Rom. adſciverant, ea deinceps tanquam ſua uſi fuerint. Sed de his, quae conjectura ſola nituntur, lector ſuo arbitrio ſtatuet.

Non ut de noſtro jure aliquid minueretur. Id eſt, non ut minus juris eſſet populo Rom. ſi quem vellet ex eo populo, qui legem aliquam adſciviſſet, civitate Rom. donare. Atque hoc eſt quod ait Cicero pag. 391. *videbat enim populos de ſuo jure, non de noſtro fundos fieri ſolere.*

Sed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis eſſet conſtitutum, aut aliquo commodo aut beneficio uterentur. Affert rationem cur populi fundi fieri ſoliti ſint & legem aliquam populi Romani adſciſcere. Prima eſt, ut jure civili populi Rom. utantur: ut cum ſocii & Latini legem Furiam de teſtamentis, aut aliam quampiam adſciverunt. Secunda eſt, ut commodo aliquo aut beneficio utantur. Puta cum iidem ſocii legem Juliam, qua Latinis & ſociis civitas data eſt, adſciverunt: vel cum leges aliquas adſciverunt, quibus praemium dabatur accuſatori, qui Senatorem Rom. alicujus criminis reum peregiſſet. Quod quidem praemium ſaepius additum fuiſſe legibus Rom. quicumque antiquitatis Rom. periti ſunt, non ignorant. Talis fuit lex Servilia, cujus in hac ipſa Oratione meminit Cicero. Po-

Digitized by Google

Poteſt etiam hic locus intelligi de lege, qua immunitas vel privilegium aliquod conceſſum fuerat ſociis ac Latinis. Verbi gratia, cum Romani poſt bella civilia omnibus non modo ſtipendiariis, ſed etiam liberis ac foederatis populis remiſſionem aeris alieni, ſeu novas tabulas conceſſerunt. Quam legem omnes quidem libentiſſime adſciverunt. Soli Rhodii legis illius commodo uti noluerunt, ut Dio teſtatur in Rhodiaca pag. 331.

Quas Latini voluerunt, adſciverunt. Notanda ſunt haec verba. Populus Rom. primum voluerat & ſciverat legem aliquam, puta Furiam aut Voconiam. Deinde ſocii eamdem legem adſciſcebant & volebant, id eſt ſcitam ſua voluntate ac ſuffragio comprobabant, ut ea deinceps lege tanquam ſua uterentur.

Ipſa denique Julia, qua lege civitas eſt ſociis & Latinis data. Poſtquam retulit Cicero legem Furiam & Voconiam, aliaſque dejure civili, commemorat aliam legem, quae & ipſa pertinebat ad jus civile ſeu privatum populi Romani. Nam lex Julia erat de civitate ſociis & Latinis communicanda. Civitas autem eſt juris privati. Cur autem eam legem hoc loco affert Tullius, niſi quia a Latinis & ſociis adſcita & approbata eſt, perinde ac Furia ac Voconia, de quibus antea locutus fuerat.

Ut qui populi fundi facti non eſſent, civitatem non haberent. Profert caput legis Juliae, in quo mentio fiebat populorum fundorum. Et recte omnino Bullialdus obſervat legem loqui de univerſitate, id eſt univerſo populo, cui civitas daretur, non de ſingulari cive unius populi, contra quam Nicolaus Rigaltius ſenſerat. Hic ergo ſenſus eſt hujus capitis legis Juliae, ut ex ſociis & Latinis ii tantum populi civitatem Rom. haberent, qui auctores ſubſcriptoreſque hujus legis eſſent, ſeu qui eam legem ſua ſententia, ſuiſque decretis comprobaſſent. Sed miror, quod aiunt Rigaltius & Bullialdus, accuſatorem Balbi hoc praecipue capite legis Juliae uſum fuiſſe. Id enim Cicero non dicit. Errat etiam meo judicio idem Bullialdus, cum ſcribit Legiſlatorem hoc capite jus Romanae civitatis ad pauciores reſtrinxiſſe, ad populos ſcilicet benemeritos, qui leges Romanas adſciſcendo, obnoxios ſe illis feciſſent. Non enim aliae leges hoc capite intelliguntur, ſed ipſa lex Julia. Sed dupliciter fallitur Bullialdus in hujus capitis explicatione, tum quod haec verba, *ut qui populi*, de omnibus exteris populis dici exiſtimavit, cum tamen dicantur tantum de ſociis & Latinis: tum quod verba illa, quae ſequuntur *fundi facti eſſent*, ad omnes populi Rom. leges retulit, cum de ſola lege Julia accipienda ſint, cui fundos fieri oportet ſocios ac Latinos, ſi civitatem conſequi vellent. Porro totus hic locus ita legendus videtur: *Ipſa denique lex Julia, qua lege civitas ita eſt ſociis & Latinis data, ut qui populi fundi facti non eſſent, civitatem non haberent.* Haec enim Ciceronis ipſius verba ſunt, non legis Juliae, ut plerique exiſtimarunt.

In quo magna contentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus foederis ſui libertatem civitati anteferret. Cum lex Julia Romae lata eſſet, qua civitas ſociis in Italia & Latinis dabatur, Neapolitani & Heraclienſes concionem populi advocarunt, ut in commune conſulerent, quidnam facto opus eſſet; utrum beneficium ſibi oblatum amplecterentur, an repudiarent. Multi in iis civitatibus reperti ſunt, qui eum honorem civitatis Romanae aſpernarentur, mallentque foederati eſſe quam cives Romani.

Digitized by Google

Foederis ſui libertatem. Foederati enim liberi erant, ut docet Proculus in lege 7. ff. de captivis & poſtliminio reverſis. Haec autem libertas foederis adimebatur civitate Romana: populus enim qui in civitatem Rom. tranſierat, foederatus populi Rom. amplius eſſe non poterat. Ex hoc ergo loco id tantum conſequitur, libertatem foederis ſimul cum jure civitatis Rom. non poſſe conſiſtere, quod veriſſimum eſt. At Bullialdus ex hoc loco concludit, fundos populos factos fuiſſe juris ſui libertatis, id eſt αὐτονομίας amiſſione, & quaſi alienatione, mutatis ſcilicet legibus propriis, adſcitisque Romanis. Quod eſt falſiſſimum & a mente Ciceronis prorſus alienum. Nam populi fundi prorſus liberi erant ac ſui juris, nullo jure, nulla lege populi Rom. adſtricti, niſi quam ipſi ſponte adſciviſſent, voluiſſentque, ut loquitur Cicero. Velle autem & adſciſcere liberorum eſt. Sed Bullialdus primum deceptus eſt a prava lectione. Nam in loco Ciceronis legit, *juris ſui libertatem civitati anteferre.* Cum tamen legatur in omnibus, ut opinor, editionibus, *foederis ſui libertatem.* Deinde exiſtimavit idem Bullialdus, populos fundos fieri, mutatis ſuis legibus adſcitisque Romanis. Quod tamen neceſſe non fuit. Unam enim aut alteram legem adſciſcebant, non autem omnes leges populi Rom. neque id laturi fuiſſent Romani, ut aliquis populus, aut ſocius, aut foederatus omnes ipſorum leges adſciſceret. Nec ullus veterum dixit quosdam fuiſſe populos, qui leges omnes populi Romani adſciviſſent. Et cum Romae quotidie novae leges ferrentur, quotidie etiam leges ab illis populis adſciſci debuiſſent. Denique putavit idem Bullialdus in hoc capite legis Juliae fundum populum dici reſpectu aliarum legum populi Rom. cum tamen fundus populus hic dicatur auctor ſubſcriptorque legis ipſius Juliae. Conſenſum enim ipſorum populorum intercedere oportebat, ut civitatem Rom. adipiſcerentur. Invito quippe beneficium non datur. Hinc eſt quod Livius dicit (Lb. XXIII. cap. 20.) Praeneſtinos ob virtutem civitate donatos non mutaviſſe. Quod idem eſt ac ſi diceret, fundos factos non fuiſſe.

Ut populi fundi beneficio noſtro, non ſuo jure fiant. Non enim jus habent populi liberi ac foederati adſciſcendi leges populi Romani, easque ſua ſententia ac ſuffragio comprobandi. Sed id permittit populus Romanus.

Id ſi eſt ejusmodi &c. Non igitur omnia juſſa & ſcita populi Rom. permittebantur adſciſcere ſocii ac foederati, uti ex hoc loco liquet manifeſtiſſime. Quaenam autem eſſent illa, quae non permittebantur foederatis, docet mox Tullius: quae ſcilicet ad Remp. ad imperium & ad ſtatum rei Romanae pertinebant.

Ut quibusdam populis ſive foederatis ſive liberis permittendum eſſe videatur. Sic foederatos & liberos jungit Proculus in lege 7. citata. Foederati quidem populi ſunt liberi, ut jam dixi, ſed non omnes populi liberi ſunt foederati. *Liber populus*, ait Proculus, *eſt is qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is foederatus eſt* &c. Liber ergo generis vicem obtinet. Populi enim alii ſunt liberi, alii ſtipendiarii; ex liberis alii foederati, alii ſine foedere. Per liberos autem populos intelligere videtur Cicero ſocios atque amicos populi Romani, quibus cum nullum foedus ſcriptum intercedebat, ut patet ex pag. 389. *Sed cum eſt illud imperitiſſime dictum de populis fundis* &c.

Per-

Permittendum eſſe videatur. Haec permiſſio dupliciter intelligi poteſt. Primo, ut Romani petentibus ſociis ac foederatis id permiſerint, ut leges ſuas adſciſcerent, quemadmodum doctiſſimus Bullialdus cenſuit. Secundo ut id fieri paſſi fuerint Romani & diſſimulaverint, quae tacita permiſſio dici poteſt. Certe Cicero id poſtulatum fuiſſe non dicit.

Ut ſtatuant ipſi non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo jure uti velint. Hoc eſt quod ait Cicero infra pag. 388. *Videbat enim populos de ſuo jure, non de noſtro fundos fieri ſolere.* Ex quo patet, fundum fieri nihil aliud eſſe, quam ſtatuere & velle ſeu auctorem eſſe, & ſententia atque auctoritate ſua aliquid comprobare. Notandum porro diſcrimen eſt inter haec duo, *ſuo jure & de ſuo jure.* Populi non fiebant fundi ſuo jure, ſed beneficio populi Romani. Fiebant tamen fundi de ſuo jure, ut de ſuis rebus ſtatuerent.

De noſtra vero Rep. de noſtro imperio, de noſtris bellis, de victoria, de ſalute, fundos populos fieri voluerunt. Id eſt Majores noſtri noluerunt, ut populi liberi ac foederati de Rep. noſtra, de bellis & victoriis quidquam ſtatuerent, neque ut eas leges quae ad ſtatum rei Rom. pertinent, ſibi adſciſcerent. Fere enim in eas leges, quae de jure civili latae eſſent, fundi populi fiebant, non vero in eas leges, quae ad jus publicum populi Rom. ſpectabant. Hinc eſt quod ſuperius dixit Cicero. *Innumerabiles aliae leges de jure civili latae ſunt* &c. & longe poſt loquens de lege Gellia, qua ſancitum erat, ut cives Rom. eſſent ii quos Pompeius ex conſilii ſententia, id eſt cauſa cognita civitate donaſſet. *Huic*, inquit, *generi legum fundos populos fieri non ſolere.*

Atqui ſi imperatoribus noſtris &c. Ut haec cum ſuperioribus cohaereant, ſic interpretari oportet. Atqui ſi Imperatoribus noſtris, & Senatui & Populo non licebit fortiſſimum quemque ex foederatis & ſociis civitate donare, niſi fundi, id eſt auctores facti fuerint; foederati ſtatuent de noſtro imperio, de noſtra Rep. de noſtro jure, de noſtris bellis ac victoriis: atque ita in eorum poteſtate ſitum erit an fortiſſimos viros in noſtram civitatem adſciſcamus, privabuntque nos, ſi voluerint, opera atque auxilio fortiſſimorum virorum. Caetera deinde ſatis plana atque aperta ſunt, ut jam interpretatione noſtra non egeant.

Ex his intelligitur nomen *fundus*, cum de populis dicitur, non ſignificare ſtatum quemdam aut conditionem populorum, eo modo quo, cum populus liber aut foederatus ac ſocius appellatur, ſtatus & conditio illius populi declarari ſolet. Fundus enim populus nihil aliud eſt quam auctor ſubſcriptorque. Itaque populus non dicitur fundus eſſe, ſed fundus fieri. Quod quidem in omnibus Ciceronis locis, in quibus populorum fundorum mentio fit, obſervare licet. Et hoc eſt quod Pithoeo aliiſque quampluribus anſam erroris videtur praebuiſſe, qui exiſtimaverunt nomine fundorum populorum, conditionem aliquam ſtatumque certum deſignari. Cum tamen populi fundi non fiant, niſi ei legi quam adſciſcunt; fiantque fundi legi populi Rom. eodem modo, quo fundi fiunt venditioni, cum locum aut agrum publicum vendunt. Ut igitur ex eo, quod populus aliquis fundus factus fuerat, cum locum aliquem alienaverat, quemadmodum docet Feſtus, non recte quis concluderet,

Digitized by Google

ret, peculiarem eſſe conditionem populorum fundorum, ita neque ex eo quod populi fundi fiant legi cuipiam populi Romani. Neque vero unquam Cicero populos fundos ſimpliciter appellat, niſi ſemel, cum ait: *Sed cum eſt illud imperitiſſime dictum de populis fundis* &c. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi certum genus eſſe populorum fundorum crediderit Cicero: ſed populos fundos dixit pro iis, qui fundi, id eſt auctores fiunt. Idque praeter ceteros locos, quos in hac epiſtola adduxi, ſatis declarat alter ex eadem Oratione, ubi agit de lege Servilia: *Nemo unquam eſt de civitate accuſatus, quod aut populus fundus factus non eſſet, aut quod foedere civitatis mutandae jus impediretur.* Et paulo poſt: *Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur, aut Servilia lege, aut ceteris quibus Latinis hominibus propoſitum aliqua ex re praemium civitatis.* Ubi ſcribendum videtur, *legi Serviliae.*

Secundo notandum eſt, populos fundos revera liberos fuiſſe & ſui juris, ut recte a doctiſſimo viro Nic. Rigaltio eſt obſervatum. Populi enim fundi erant aut ſocii aut foederati populi Romani, quibus permittebat populus Rom. ut legem aliquam adſciſcerent. Agellius vero etiam ad municipia civium Rom. id nomen extendit. Ipſe quoque populus Rom. recte dici poſſit fundus factus fuiſſe legibus Athenienſium, quas per Decemviros deſcriptas voluit & adſcivit.

Tertio obſervandum eſt, non in omnes leges populi Rom. fundos populos factos fuiſſe, ſed in eas duntaxat, quae eſſent de jure civili, aut quae ad commodum ipſorum pertinerent.

Poſtremo illud annotandum eſt, Ciceronem tametſi in explicatione populorum ab adverſario Balbi minime diſſentiret, tamen in explicatione illius verbi diutius immoratum eſſe; propterea quod accuſator ille Balbi nimium foederatis tribuendo, de jure atque auctoritate populi Rom. aliquid minuiſſe videbatur. Cum enim Gaditanus ille dixiſſet, ex foederato populo neminem potuiſſe fieri civem Romanum, niſi is populus fundus factus fuiſſet; ſic fundum fieri populum explicabat, cum ſcita ac juſſa populi Rom. ſua ſententia comprobaret. Quae verba auctoritatem aliquam videbantur innuere, quaſi foederati de legibus ac ſcitis populi Rom. ſtatuerent quae vellent. Quamobrem Cicero vim juris ac verbi illius pluribus explicandam putavit; ut doceret, fundos populos fieri beneficio populi Romani, nec ſuo jure, ſed permiſſu ipſius, adſciſcere leges, non quas ipſi vellent, ſed quas populus Rom. permiſiſſet. Denique non de populi Rom. rebus ipſos ſtatuiſſe, ſed de ſuis duntaxat. Hinc toties verba illa repetit atque inculcat, *ut populi fundi beneficio noſtro non ſuo jure fiant.* Et paulo poſt, *Id ſi eſt ejusmodi ut populis liberis ac foederatis permittendum eſſe videatur, ut ſtatuant ipſi, non de noſtris, ſed de ſuis rebus* &c.

Haec habui quae de priſco jure populorum fundorum ad te ſcriberem, in quo explicando viros doctiſſimos, Sigonium, Manutium, Antonium Auguſtinum, & Hotomanum deceptos eſſe video, qui aliter a Cicerone, aliter ab adverſario Balbi fundos populos explicari crediderunt, & Ciceronem cauſae ſuae faviſſe. Quam quidem illorum ſententiam Vir excellentis ingenii Adrianus Turnebus in Lib. IV. Adverſariorum, merito improbavit. Illud etiam corollarii loco hic adjiciam, accuſatorem Balbi Gaditanum civem fuiſſe, qui cum civitatem ſuam reliquiſſet, & in civi-

civitatem Rom. fraude irrepſiſſet, judicio publico damnatus fuerat, ut ei objicit Cicero his verbis. *Ignoſco tibi ſi neque Paenorum jura calles; reliqueras enim civitatem tuam, neque noſtras potuiſti leges inſpicere : ipſae enim te a cognitione ſua judicio publico repulerunt.* Et multo poſt: *Re denique multo ante Gadibus inaudita, fore, huic ut ab illo periculum crearetur, graviſſima tum in illum civem ſuum Gaditani Senatusconſulta fecerunt.* Ex quo apparet, accuſatorem Balbi non fuiſſe civem Romanum. Neque enim ſi civis Rom. fuiſſet, illum poena & mulcta afficere auſi fuiſſent Gaditani, & quidem Senatusconſulto in eum publice facto. Licebat porro foederatis accuſare apud populum Romanum, ut tum hoc exemplo, tum ex lege Servilia apparet, cujus meminit Cicero in Oratione pro Balbo, qua Latinus, id eſt foederatus, qui Senatorem Rom. reum peregiſſet, civitatem Rom. adipiſcebatur. Sane Proculus in lege 7. de captivis, notat homines ex civitatibus foederatis apud Magiſtratum populi Rom reos factos & damnatos fuiſſe.

Vale. Lutetiae Pariſiorum pridie Kalendas Novembres.

Carolus Fabrottus ad ſuperiorem epiſtolam haec notavit. Ubi dixi legem Juliam ad jus publicum pertinuiſſe, & civitatem fuiſſe juris publici. Ad haec ille
„ ſic notavit; Jus quidem publicum civitatis & Imperii proprium eſt: jus civile
„ privatum eſt. Jure publico civitates reguntur: jure civili cives. Ut autem ci-
„ vitas ſociis communicetur, ad jus publicum non pertinet. Sed hoc agitur tan-
„ tum ut ſocii jure civium utantur.

F I N I S.

COR-

CORRIGENDA
ET NOTIS
ADDENDA.

PAg. 10. lin. ult. in notis poſt Needhamium citatum, *adde*: tum Valeſium noſtrum ad Euſeb. de Martyrib. Palaeſtin. ad finem Lib. VIII. Hiſt. Eccleſ. cap. 5.

Pag. 11. lin. 22. quin hic Hierocles: *ſcribe:* quin ille ſit Hierocles.

Pag. 13. ad finem capitis V. *haec ſubjunge*. Quae autem a Valeſio hoc in capite de Hierocle, ejusque patria, & aetate, obſervata ſunt, & in notis contra Pearſonum animadverſa, illa pluribus confirmabunt & inluſtrabunt ea, quae de Hierocle, variisque ejusdem nominis apud veteres memoratis, collegit Vir ſuperioris ſeculi inter primos maſculae eruditionis vindices cenſendus, Thomas Reineſius, in Eponymologico inedito, quod multae induſtriae ac doctrinae opus poſt fata auctoris cum nondum lucem adſpexerit publicam, non ingratum fore lectori arbitror, ſi pauca haec de Hierocle, inde a me excerpta ac deſcripta, ſpeciminis loco exhibeam, quae debemus benignitati Celeberrimi Viri, & amici noſtri Jacobi Philippi D'Orville, qui inter alia plurima & egregia literaria κειμήλια, quorum locuples & generoſus poſſeſſor eſt, hunc etiam theſaurum ſervat, ejusque uſum ea, qua aliorum conatus promovere ſolet, facilitate nobis conceſſit.

,, *Hierocles*, familiaris Arceſilai Philoſophi. *Laert. in Arces. & Menecl.* Hic eſt
,, cui Crantor libellum περὶ πένθους inſcripſit de filiorum obitu lugenti. v. *Cic. in*
,, *Lib. IV. Acad. Queſt. cap.* 43.

,, *Hierocles* & *Menecles* Alabandenſes e Caria fratres, Aſiaticorum Rhetorum prin-
,, principes, auditi Ciceroni *Lib. II. de Orat.* (cap. 23.) & *in Bruto.* (cap. 95.) *Strab.*
,, *Lib. XIV.*

,, *Hierocles* Philoſophus Stoicus, vir ſanctus & gravis Tauro Platonico apud Gell.
,, Lib. IX. cap. 15. Fortaſſis hic eſt Hierocles Hyllarimenſis, ex oppidulo Cariae
,, Hyllarima, ὁ ἀπὸ ἀθλήσεων εἰς φιλοσοφίαν ἀχθεὶς Stephano. cujus verba iſta auſu
,, parum cauto felicique ſic interpretatur *Johan. Pearſonus*, Collegii S. Trinitatis
,, Cantabrigiae Praepoſitus, *Prolegom. ad Hieroclem* περὶ προνοίας καὶ εἱμαρμένης, ut
,, Hierocles ex perſecutore, (hoc enim ſignificari vocula ἀθλήσεις) factus fuerit
,, Philoſophus, & hac ratione Hierocleas, quos ego diſtingui oportere doceo,
,, quatuor magno errore in unum redigit, & manifeſtam verbis Stephani vim in-
,, fert. Sunt enim huic h. l. ἀθλήσεις, ἆθλοι, athletarum quodvis genus ἐπιδείξεις &

,, ex-

,, exercitia, vel etiam in ſpecie ἡνιοχείας, ἡνιοχεύσεις, aurigationes, quadrigarum
,, in circo agitationes & certamina: quam artem cum aliquamdiu profeſſus in ſol-
,, lemnibus conventibus fuiſſet Hierocles, animum ad Philoſophiam adplicavit; &
,, cum Euſebius μαρτυρίων ἀθλήσεις dixit, nihil aliud quam ἀγῶνας, κακοπαθείας &
,, certamina eorum pro Fide tenenda, ponenda autem vita, ſignificare voluit,
,, abſonumque & prorſus alienum eſt, quod de perſecutione argutatur *Pearſonus*:
,, cujus πολὺν ῥέμβον circa Hierocleas animadvertat quisque inde, quod Hyllari-
,, menſem cum Alexandrino, Judicem & σκέπτην cum Philoſopho, Philoſophum
,, cum Praefecto confudit; Scriptor vero ἱππιατρικῶν quo referendus eſſet ignora-
,, vit, vel pervidere non potuit. Ea vero deſultoria levitate, qua quae ſeparata
,, maxime fuerunt, temporibusque & locis diſcreta copulantur, hiſtoriam tempo-
,, rum, rerum & perſonarum foede corrumpi neceſſe eſt.

,, *Hierocles*, quem in Athenaei Lib. XIV. reperiſſe putant de ſtatica placentae
,, genere, huc referri non debet, neque enim πλακουντογράφος iſte Hierocles,
,, neque, uti propugnat Pearſonns d. l. *Jatrocles* eſt, ſed *Patrocles*, quae adpellatio
,, Graecis uſitata fuit, iſta minime.

,, *Hieroclem ἐν τοῖς Φιλίστορσι* laudat Stephanus in βραχμᾶνες, in Ταρκυνία, &
,, *Tzetzes Chiliad. VII. Hiſtor.* 44. unde apparet eum varias regiones perluſtraſſe,
,, viſu digna raraque quaevis conſignaſſe, & in libros, quos ideo inſcripſit Φιλί-
,, στορας, retuliſſe, adnumerandumque eum Geographis poſt Strabonem. Non in-
,, commodum eſt huic adſcribere, quae de colonia Lacedaemone in inſulam
,, Theram ducta & condita a Batto Cyrene narrat ex Hierocle *Scholiaſt. Pindar.*
,, *Pyth. od. IV.* & ex parte *Tzetz. ad Lycophron. v.* 886.

,, *Hierocles* AUG. Lib. Diſpenſator operum publicorum in *Rom.* 54. *Cl.* 9.

,, *Hierocles* Caricum mancipium & auriga, inceſtator etiam Elagabali, occiſusque
,, una cum Domina, *Dio & Theod. Metoch. Hiſtor. Rom.*

,, *Hierocli* cuidam privato reſcripſere Impp. D. & M. Cos. ao. D. 294. *in l.* 22.
,, *C. de rei vindicat.*

,, *Hierocles*, cujus duos libellos περὶ τῆς τῶν ἵππων θεραπείας inter Collectanea ve-
,, terinariae ex *Africano*, *Agathotycho*, *Anatolio*, *Apſyrto*, *Caſio*, *Diophane*, *Hime-*
,, *rio*, *Pelagonio*, *Theomneſto*, excerpta, & tria praeterea capp. in XVI. Geoponi-
,, corum legimus, cauſidicus fuit: ſic enim ipſe in *prooemio ad Baſſum*, cujus ro-
,, gatu laborem eum, quamquam a profeſſione ſua extrarium, ſuſceperat, in Tri-
,, bunalibus copiam ſui facere petentibus ſolitus, & tempora Conſtantini M. pro-
,, xime praeceſſit. In hunc optime conveniunt quae de Hierocle Imp. Diocletia-
,, no referuntur a ſcriptoribus. Caeſarienſem Philoſophum adpellat *Betulejus Comm.*
,, *ad Lactant. Lib. V. cap.* 2. pro Philoſopho Alexandrino Suidae habet *Pearſonus l. d.*
,, Sed nec *Lactantius*, nec *Euſebius Pamphili*, qui intimius noverunt hominem, Phi-
,, loſophis eum accenſent. Hoc de eo potius, fuiſſe unum e numero Judicum τὰ
,, ἀνωτάτω καὶ καθόλου δικαστήρια πεπιστευμένων, ut loquitur de eo *Euſebius*, non intel-
,, lectus ab Interprete Latino, nec ab editore ejus noviſſimo *L. Holſtenio*: Cum

,, perſecutio Chriſtianorum decima ferveret in Bithynia, ejusdem facem & tubam
,, ſe praebuit hic Hierocles, quippe non contentus Fideles ſententiis damnatoriis
,, adflixiſſe, etiam mordere eos & ſtylo confodere auſus eſt. Libellos enim duos
,, horribiles, inſcriptos φιλαλήθεις, ad Chriſtianos elucubravit, in quibus impu-
,, denter adſerto, *Philoſtratum doctiorem & veritatis ſtudioſiorem ſcriptorem eſſe quam*
,, *Evangeliſtas*, Apollonium Tyaneum, infamem magum, & circulatorem Servatori
,, noſtro non ſolum comparavit, ſed & praetulit; quod etiam alios ejus temporis &
,, notae paganos tentaſſe ῥήσεις quaedam *Auguſtini & Marcellini Ep.* 4. 5. & 49. ad-
,, firment. *Philalethem* iſtum refutaſſe fertur *Euſebius Pamphili*; ſed in iis, quae
,, ejus habemus hodie, Philoſtratea, quibus Apollonium celebravit in Libb. VIII.
,, tantum excuſſit, adlataque initio tractatus unica & brevi Hieroclis ῥήσει recta
,, tranſiit ad Philoſtratum, eumque ordine percurrit, fortaſſis latratus canis &
,, blaſphemias divulgare amplius & repetere non ſuſtinens. Sed quas tamen qua-
,, les fuerint, de ſcripturarum contrarietate, de ruditate Apoſtolorum, de Petri &
,, Pauli diſſidio, quae omnia a *Celſo* & *Porphyrio* mutuari potuit, e *Lactantio*, cui
,, notus viſusque fuit Nicomediae Hierocles l. d. cognoſcere licet. *Aeneae Gazaeo*
,, Philoſopho Chriſtiano e Platonicis, qui Hieroclem Alexandrinum, de quo
,, mox, praeceptorem ſuum dixerat *Dial. de reſurr. Mortuor.* Hierocles hic eſt
,, ὁ προβαλλόμενος τὰ θαυμάσια ie. *rerum miraculoſarum jactator*, ſcil. in illa Apol-
,, lonii cum Chriſto comparatione, quam vidit legitque *Aeneas*; producit enim
,, inde fabuloſam de Myrone, quodam ephebi Corcyrenſis foedo amatore, & fide
,, indignam narrationem prodigioſis nugis *Philoſtrati*, quem ſequebatur, ab eo ſuper-
,, additam. Prorſus autem conſentaneum eſt, *Hieroclem* eum, qui cauſidicinae in
,, Foro inque Tribunalibus operam ſuam advocationibus aliquamdiu locaverat pro-
,, baveratque, tandem in Judicum ordinem allectum fuiſſe. Dictam modo contra
,, Philalethen Hieroclis, vel potius contra Philoſtratum de Apollonio τερατολογοῦσαν
,, πραγματείαν claudit Euſebius brevi commendatione adverſus Fati neceſſitatem,
,, quam Apollonius, ut liquet e Lib. VII. & VIII. ſic adſtruxerat, ut ἄτρεπτα εἶναι
,, ἃ κλώθουσιν αἱ Μοῖραι contenderit, inſerens praeterea, ſi cui fatum deſtinaverit eſſe
,, architecto, eum, ſi vel ambabus manibus truncetur, fore nihilominus archite-
,, ctum; & ſi cui palmam in arte ſagittandi decreverit, eum vel oculis captum a
,, ſcopo non aberraturum eſſe. Id vero dogma quod tollat τὸ ἐφ' ἡμῖν arbitrii noſtri
,, libertatem, negetque Deum & providentiam, explodit ea quam dixi commenta-
,, tione *Euſebius*. Hanc cum fugientibus oculis, & tanquam per tranſennam in-
,, ſpexiſſet *Jonſius*, Hieroclis περὶ προνοίας καὶ εἱμαρμένης libros ibi refutari ab *Euſebio*
,, putavit, *Lib. III. Hiſt. Philoſ. cap.* 18. & ne tempora opinioni ſuae reclama-
,, rent, alium quendam a Pamphili Euſebio Auctorem anti-philalethis eumdem-
,, que Hieroclis de Provid. & Fato adverſarium Euſebium finxit, quae delira &
,, intoleranda ſunt. Qua enim fronte Euſebio adjudicare auſit, quod totius anti-
,, quitatis conſenſu, teſtimonio Photii Cod. XXXIX. tot Manuſcriptorum, editorum-
,, que codicum fide ei tributum omnes novimus? Et quemnam dicet nobis Euſe-

,, ſe-

„ ſebium ſuum, unde domo, quando, ubi fuerit, cui Hiſtoricorum notus di-
„ ctusve? Imo Apollonium Philoſtrati ipſo nomine compellat Euſebius, cum adver-
„ ſus Fati neceſſitatem diſputat. *Hieroclem* vero ſcriptorem τȣ͂ περὶ προνοίας ϰ̀ εἱμαρμ.
„ quippe longe iuniorem & qui aliter, utpote ſecundum Platonem, de fato ſenſiſſe
„ nec ἀλόγιστον ἀνάγκην Genethliacorum, nec τὴν Στωικὴν βίαν admiſiſſe compertus eſt,
„ refutare nusquam adparet.

„ *Hierocles*, ἔπαρχος Ἀλεξανδρείας Epiphan. Haeres. 68. ubi de ſecta Meletii; i. e.
„ praefectus Auguſtalis Alexandriae. Fuit iſte tempore perſecutionis a Diocletiano,
„ propoſito de Chriſtianis toto orbe tollendis, & deſtruendis eccleſiis edicto
„ Nicomediae, anno ejus imperii XIX. D. 303. excitatae, exercitae videlicet in
„ Aſia, Oriente & Aegypto, continuataeque a Galerio, cui purpuram ceſſerat
„ Diocletianus. v. *Sigon. Lib.* 1. *de occid. Imp.* Unde manifeſto deprehenditur di-
„ verſus eſſe ab illo in Bithynia judice, & rabula Chriſto-maſtige, & fruſtra labo-
„ rare *Pearſonum* l. d. conjiciendo, a Diocletiano miſſum promotumque Alexan-
„ driae praefectum fuiſſe. Neque enim hujus rei vel nota quaedam levis vel uni-
„ cus teſtis eſt. Diocletianus autem & Maximianus Herculius Augg. eo ipſo anno
„ depoſuerunt imperium, Galeriusque Maximianus d. Armentarius haeres Diocle-
„ tiani in Aegypto factus eſt, uti Conſtantius Maximiani ſenioris ſucceſſor in Occi-
„ dente.

„ *Hieroclem*, cujus ἐμμετρον τεμάχιον hoc *μή δ' αἰόλιζ' αὐτάν ne deceperis ipſam* (αἰο-
„ λίζειν enim eſt ἀπατᾶν) laudatur a Scholiaſte Theocriti ad Idyll. I. v. 56, inter
„ incertae aetatis & conditionis ſcriptores hactenus numeramus: Similiter illum,
„ cujus ἀστεῖα ſimplicitatis & ineptiae ſcholaſticae exprimentia capp. XXIX. Graeco-
„ Latina, initio hujus ſeculi *Melch. Goldaſtus* primus vulgavit.

„ *Hierocles* Conſularis Syriae Coeles, *l.* 2. *C. quorum adpell. non recip.* & *l.* 7. *C.*
„ *Theod. eod.* Coſſ. Leontio & Gall. a. D. 344. & Coſſ. Phil. & Gall. a. 348. *l.* 6.
„ *C. Th. de jure Fiſci.*

„ *Hierocles* Alypii filius ex vircario Britanniarum Imp. Valente. *Amm. Marc.*
„ *Lib. XXIX.*

„ *Hierocles* Alexandrinus Philoſophus, aequalis Proclo, Lycio & Syriano. *Damaſc.*
„ *in vita Iſidori Philoſ. apud Photium CCCXLII.* Timagenis filium vocat *Theophyl.*
„ *Simoc. extr.* φυσ. ἀπορ., laudatque cum Damaſcio, Ambrone, Imbraſio, qui
„ eum Ammonio, Plotino, Origeni, Porphyrio, Jamblicho ſupponit & Plutarcho
„ Athenienſi. Praeceptor hic fuit Aeneae Gazaei; Hic *in Dial. de reſurr. mort.* de
„ quo non dubitare debuit *Barthius*: multo vero minus commentarium in aurea
„ carmina Pythagorae tribuere alteri aetate altiori: eſt enim & hic & ille idem-
„ met ipſe. Neglexit etiam ſumma incuria datos characteres temporum *Pearſonus*,
„ eoque in puerilem errorem incidit, ut ſcripta hujus Hieroclis Alexandrini Phi-
„ loſophi, Hierocli Nicomedienſi ſeu Diocletianeo, annis ſesquicentum majori,
„ adſignaret contra auctoritatem *Damaſcii*, quem nec *Barthius* agnovit, & excer-
„ ptoris ejus Suidae. Refert *Suidas* ſine dubio e Damaſcianis, quae integriora ha-
„ buit quam quae dedit *Photius*, eum profectum Conſtantinopolin indignationem

,, Imperatoris incurriſſe, tractumque in judicium a ſex lictoribus ad ſanguinem
,, usque flagellatum, exilioque damnatum fuiſſe; reverſum autem poſt Alexan-
,, driam, more ſolito ſcholam habuiſſe. Viderit *Pearſonus*, qui φιλόσοφον Ἀλεξαν-
,, δρείᾳ Suidae, & ἔπαρχον Ἀλεξανδρείας Epiphanii, eumdem hominem conſtituit,
,, quomodo Ictis perſuadeat virum praefectura Auguſtali illuſtrem, fuſtuariae ſub-
,, ditum poenae; vel flagellorum caſtigatione in ſervos & tenuiores conſtituta,
,, *l.* 10. *D. de poenis*, admonitum fuiſſe. Hunc eſſe exiſtimem, qui citatur a *Sto-*
,, *boeo* 1. *Ecl. Phyſic. c.* 7. & *Ethic. extr.* ἐν τῷ πῶς χρηστέον τοῖς θεοῖς, & alibi, πῶς
,, χρηστέον ἑαυτοῖς. πῶς χρηστέον τοῖς γονεῦσι. πῶς χρηστέον συγγενέσι. πῶς πατρίδι χρηστέον.
,, περὶ γάμου. περὶ φιλαδελφίας. περὶ οἰκιῶν. Et quid ni haec ſint τὰ φιλοσοφούμενα
,, Hieroclis, e quorum ſecundo quaedam allegat *Apoſtolius Cent.* 8. *prov.* 20. Plato-
,, nis ſectatorem fuiſſe luce meridiana clarius fit legentibus libros ejus περὶ προνοίας
,, καὶ εἱμαρμένης καὶ τῆς τοῦ ἐφ' ἡμῖν πρὸς τὴν θείαν ἡγεμονίαν συντάξεως ad Olympiodorum;
,, itemque *Damaſcium l. d.* etſi a quibusdam inter Pythagoreos recenſeatur, fortaſ-
,, ſis quia χρυσᾶ ἔπη Pythagoreorum Commentario illuſtravit: *v. Suid* Eum Graeco-
,, Latinum nuper ediderunt Londinenſes addita carminum verſione duplici, altera
,, *Joh. Curterii*, altera *Theod. Marcilii*; itemque adnotationibus tam hujus, quam
,, *Frid. Sylburgii*. Libros ejus de Provid. & Fato excerpſit *Photius cap. CCXIV. &*
,, *CCLI.* Scripſit etiam notante *Labbaeo Novae Biblioth. p.* 171. Commentar. in Alcib.
,, primum Platonis, ἢ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, & Gorgiam ejusdem explicavit.
,, Praeter haec συχνὰ βιβλία ejus fuiſſe indicat *Suidas* non expreſſis eorum argu-
,, mentis.

,, *Hierocles* Grammaticus, Byzantinus puto, auctor Συνεκδήμου, Comitis peregri-
,, nationis. Ita reddidit *Vales. ad Ammian. Marc. Lib. XXXI.* vel conviatoris, quaſi
,, inſcripſiſſet Συνοδοίπορον Συνοπαδόν, vel notitiam Provinciarum ſeu Imperii Orien-
,, talis, cujus verba quaedam de dicti Imperii praefecturis LXIV, Urbibus vero
,, DCCCXXXV. refert *Conſtantin. Porphyrog. l.* 2. *Themat. c.* 1. Integram vero in
,, altera parte Syntagmatis Geographiae editurum ſe promiſit *Lucas Holſtenius.*

Pag. 18. lin. 31. in notis poſt illa, *ad Pollucem praefatione pag.* 33. *& ſeqq.* adde: tum Boecleri Diſſertatio de Lexicis, quae legitur in Aupendice Ejus Diſſertationum Academicarum pag. 101. & ſeqq.

Pag. 19. lin. 17. ex loco Aeliani &c. adducto. lege *ex verbis adductis.*
Ibid. lin. 18. Fluctuaſſe etiam quondam hoc in loco. *lege*: Fluctuaſſe etiam hic quondam cum viderem &c.
Ibid. lin. 21. ad locum hunc inluſtrandum. *haec deleri poſſunt.* Ibid. *pro* humamtate, *ſcribe* humanitate.

Pag. 24. lin. 25. habet Perizonius: *inſere haec:* Ea autem, quae in pyram conjiciebantur, ἐντάφια Graeci vocant, ſive generali vocabulo, δῶρα, ut *munera*, & *dona* ſuprema Latini. vide Valeſium ad Excerpt. Peireſc. pag. 106. Heraldum ad Martialem pag. 94. & quos laudat Wolfius ad Plutarch. Fragm. de Nobil. Tom. IV. Anecd. Graec. pag. 216.

Pag. 25.

Pag. 25. lin. 35. poſt Scip. Gentilem pag. 202. *iſta addenda*: indicat hunc Ennii locum Gloſſator Petronii ad illum verſum in cap. 93. Satyr.

——— ultimis ab oris
Adtractus Scarus, atque arata ſyrtis.

Ubi Gloſſae veteres: *Scarus piſcis nobiliſſimi genus, mari Carpathio frequens*, cerebrum Jovis *dictus ab Ennio.* quae totidem verbis repetuntur in iisdem Gloſſis ad cap. 119. vide & Hieron. Columnae Comment. ad Ennium pag. 158. Ed. Cl. Heſſel. deſumtus autem eſt ex fragmento Phageſiorum Ennii, quod habetur in Pithoei Catalectis in fine Lib. IV. Epigram. Veter. quos Ennii verſus ex Graeco fonte derivatos; & quidem ex Archeſtrati Gaſtronomia deſumtos eſſe notat Dan. Heinſius Lib. II. de Satyr. Horat. pag. 103.

Pag. 26. lin. ult. *adde*: eamdem curam de edendis Graecis Rhetoribus in animo etiam habuit Mauſſacus, qui in notis ad Harpocration. pag. 352. promittit veterum Rhetorum orationes Latine a ſe verſas, & notis inluſtratas.

Pag. 27. lin. 2. in notis. *poſt*, Rhenaea Delo vicina. *adde*, quam inter Cycladas Delum cingentes enumerat etiam Conſtantin. Porphyrog. Lib. I. de Themat. pag. 51. ubi Ῥήνεια vocatur, quomodo etiam ſcribitur in loco Plutarchi apud Spanhemium ad Callimach. pag. 487.

Pag. 28. lin. 4. in notis. *poſt* adnotavit hic Valeſius: *inſerenda haec*: quin & tradit Pauſanias Lib. V. cap. 6. apud Eleos legem ſuiſſe, ut feminae quae ad Olympicos ludos penetraſſe deprehenſae fuerant, ſaxo praecipitarentur: & hac in re exemplum etiam hujus Pherenices unicum, cui id conceſſum fuit, refert. Ubi vide quae de illa, & diſcrepantia Auctorum veterum in nomine hujus feminae, dum alii eam *Callipatiram*, vel *Peſidoram*, aut *Eucleam*, pro Pherenice vocant, in notis ſuis habet Kuhnius. Plura de hac lege habent Potter. &c.

Pag. 29. lin. 20. init. cap. *quod inſcribi debet* περὶ βασιλικοῦ λόγου. *nota*: Idem monuit Valeſius in notis ad Euſeb. Orat. de laudib. Conſtantin. cap. 10.

Pag. 33. ima pagina in fine notae, illis, quae de *Charmide* obſervavi, *haec addenda*: Apud Quintilianum etiam Lib. XI. Inſtitut. cap. 2. cum vulgo legeretur, *Quare & Carneades & Scepſius Metrodorus, quos Cicero dicit uſos hac exercitatione, ſibi habeant ſua.* optime *Charmadas* ex ipſo Cicerone reſtituendum eſſe vidit Daviſius, merito id probante Patruo meo, qui nonnulla alia ibidem de Charmada habet.

Pag. 35. cap. XXX. Hoc & proxime ſequens caput non ſuo loco poſita erant in ſcripto exemplari. Primum caput XXX. melius inſeretur poſt Lib. II. cap. 10. ſequens autem rectius ponetur poſt ejusdem libri cap. 14.

Pag. ead. lin. ult. in nota *adde*: iisque, quae de ſignificatione verbi χειμάζειν ibidem profert, adde Menagium ad Diog. Laërt. Lib. X. in Addendis pag. 18. Ed. Lond. in fol.

Pag. 37. lin. 30. in verbis Stephani: Λίγυμος γὰρ: *nota*: ita in omnibus editis male excuſum, unde & ſic in Valeſiano exemplari habebatur. Sed recte

Berkelius fide eodicum ſcriptorum Αἰγίμιος reſtituit: & ex Scholiaſte Pindari id etiam monuit Holſtenius.

Pag. 38. lin. 34. poſt citatum Fabricium in Bibl. Graec. *haec inſerenda*: Quod autem Scholiaſtes Apollonii Rhodii ſine addito auctoris nomine ſimpliciter tantum laudet ὁ τ̀ Αἰγίμιον ποιήσας, id frequens eſt apud Grammatieos antiquos, quando ad partes vocant poëmata aut ſcripta, quorum verus auctor ignorabatur, indieatis tantum eorum operibus, de quo egregie agit Mauſſaeus ad Harpoeration. pag. 91.

Ibid. lin. 38. ut ſtatim notavimus. *lege*, ut modo notavimus.

Ibid. in fine ejusdem notae, *poſt illa*, ut monuit Berkelius: *haec adde*: Id autem Heſiodi poëma Ἠοῖαι μεγάλαι, ἢ Γυναικῶν κατάλογος voeatum fuit, ejusque fragmentum eſſe ſcutum Herculis, putat Septim. Flor. Chriſtian. ad Ariſtophanis Irenam v. 837. & Canterus Lib. IV. Nov. Lect. cap. 3. qui addit opinionis ſuae auctorem etiam eſſe virum doctiſſimum Joh. Auratum. Sed Vir doctus in Miſcellan. Obſervat. vol. III. Tom. I. pag. 81. Ἀσπίδα Heſiodi non eſſe fragmentum operis Ἠοῖαι dicti exiſtimat, ſed potius alterius poematis quod vocatum eſt γενεαλογίας ἡρωϊκας ſive ἡρωογονία. Citatur etiam a Diomede Grammatieo Lib. III. pag. 408. Ed. Putſch. *Exegetici poëmatis ſpecies ſunt tres: Hiſto-rice qua narrationes & genealogiae componuntur, ut eſt Heſiodi* γυναικῶν κατάλογος. Cujus locum habet Valeſius ad Harpocration. pag. 77. ubi & obſervat Heſiodum etiam ſcripſiſſe virorum Catalogum, & inde *Heſiodum* ἐν καταλόγοις citari a Scholiaſte Homeri. indicat illud ipſum Heſiodi opus Eunapius in Aedeſio pag. 60. Ed. Commelin. ὁ γὰρ τὰς Ἡσιόδου καλυμβίας Ἠοίας ἐσπευδον γεγράφειν. & Servius ad Virgil. Lib. VII. Aen. v. 268. *Heſiodus etiam* περὶ γυναικῶν, *inducit multas Heroidas optaſſe nuptias virorum fortium.* Plura hac de re habet Langbaenius ad Longinum περὶ ὕψους Sect. IX. pag. 56. Ed. Tollii. qui tamen putat ἠοίας μεγάλας & Γυναικῶν κατάλογον Heſiodi diverſum earmen, neque ſcutum Herculis fragmentum iſtius operis, ſed diſtincta poëmata fuiſſe, id quod contra Canterum & Caſaubonum adſerit. vide etiam Kuhnium ad Pauſan. Lib. I. cap. 3. pag. 8. Quin & ad exemplum Heſiodi Catalogum Heroïdum ſcripſiſſe Lucanum cenſet Scaliger ad Catalecta pag. 280. ubi verſus illos *Thebais Alomene* &c. profert, quos citat Lutatius ad Statii Lib. IX. Theb. 424. ſed apud quem vulgo *in catagonio* legitur, cum *catacauſmo* ſcribendum ſit, ut notavit Eruditiſſimus Oudendorpius ad vitam Lucani. Sed & Statium ipſum in Catalogo ſaepiſſime ad partes vocat idem ejus Scholiaſtes, ut ad Lib. VI. v. 909. VIII. 364. & 707. Lib. IX. 745. & Lib. XI. v. 45. quo in opere an Statius eelebrium Heroum ac Ducum laudes deſcripſerit, non facile eſt judicare.

Pag. 40. lin. 42. *poſt*, vid. Meurs. in Libro de Piraeeo eap. X. *adde*: tum quae de diverſis magiſtratibus apud Athenienſes in Reipublicae mutatione notavit Valeſius, operoſe & erudite exponit Perizon. in notis ad Aelian. Lib. V. cap. 13.

Pag. 41. lin. 1. *hem de* legem tulit. delendum illud *hem*.

Ibid. lin. ult. *adde*: quae Boxhornii nota deſumta eſt ex illius Diſſertatione de Amneſtia, quae legitur inter Boxhornii Diſſertationes Politicas num. XIX. pag. 402. & ſeqq. plura vide apud Schottum ad Senecae Controv. XXXII. & in notis Doctorum ad Juſtin. Lib. V. cap. 10. §. 11. Adde Boecleri Diſſert. de Amneſtia cap. 2. pag. 595. inter Ejus Diſſertationes Academicas.

Pag. 43. lin. 29. *poſt*, in Edit. Caſaub. *adde*: tum Syneſius in Narratione de Dionis vitae inſtituto, quam Graecce a Syneſio factam Latine vertit Petavius an. 1604.

Pag. 47. lin. ult. *poſt* notavit Olearius: *adde*: hic autem idem eſt Favorinus, inter veteres Criticos clarus, quem ſaepe de grammaticis quaeſtionibus diſputantem inducit Gellius. vid. infra ad Valeſ. Lib. I. de Critic. cap. 15.

Pag. 48. in nota lin. 8. *adde*: de Pruſa urbe vide etiam Scalig. ad Euſeb. Chronic. num. 882. pag. 84. ubi in Codice Palatino Πρῆσια legi non Πρυσίας teſtatur Schursfleiſch. in Notit. Biblioth. Vinariens. pag. 245.

Pag. 49. lin. 38. *quae & Cuis.* lege *Cius.*

Ibid. lin. 41. poſt *opus non erit.* adde: Tollius etiam in notis ſuis pag. 373. ita explicat, ut ante eum jam fecerat Palmerius.

Ibid. lin. ult. poſt Salmaſium laudatum, *haec adde*: & ita in plurimis Pruſenſium nummis ab Holſtenio ad Stephan. Byzant. pag. 264. prolatis conſtanter habetur, ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΥΠΙΩ. & ſic ſimiliter in Actis Latinis Concilii Nicaeni, *Heſychius Pruſenſis juxta Hypium fluvium*, ut hic corrigit Valeſius, ſcribendum eſſe monuit Illuſtr. Spanhemius inmortali opere de Praeſtant. & Uſu Numiſm. Diſſert. IX. pag. 889.

Pag. 50. in nota, ubi de *apio* Nemeonicarum praemio agitur, poſt verſum ex Antholog. Graeca citatum *adde*. Artemidorus Lib. V. Oneirocr. §. 8. pag. 254. ἔδοξέ τις ἐν Νεμέᾳ ἀγωνίζεσθαι ἀνδρῶν πάλην, καὶ νικᾷν, καὶ στεφανοῦσθαι &c. καὶ δὴ ἐνίκησε τῷ τοῦ εἴδους λόγῳ, διὰ τὸ σελίνῳ τῷ ἐν Νεμέᾳ τοὺς νικῶντας στεφανοῦσθαι. *Viſus eſt ſibi quis in Nemea virorum luctam decertare, & vincere & coronari &c. & ſane victor evaſit juxta viſionis rationem, propterea quod victores in Nemea apio coronantur.* Vide & Callimachi Fragm. XX. ita apium Νέμειον ἄνθος vocatur in Sibyllin. Orac. Lib. V. pag. 304. Ed. Obſop.

——— ἀλλὰ Νεμείου

Ἄνθος ὄνομ' ἔχουσα.

Ita enim recte correxit Caſaubon. ad Spartian. Adrian. cap. 4. & per Νέμειον ἄνθος indicari σέλινον praemium Nemeonicarum monuit, cum in vulgatis legatur ἀλλ' ἀνεμώνης Ἄνθος &c. Sic Servius ad illa Virgilii in Ecl. VI. v. 68. *Floribus atque apio crines ornatus amaro*; haec notat: *apud antiquos in agone erat ſpecies coronae de apio; ſed in Nemaeo agone, qui in honorem Archemori inſtitutus eſt: & volunt quidam hoc coronae genus ad indicium mortis electum &c. Sane in eo agone ſpeciatim apio coronantur poëtae.* Lutatius ad Statii Lib. VI. Theb. in init.

init. ubi omnes ludos, eorumque praemia enumerat, dicit: *Nemea in honorem Archemori, cujus victores apio coronantur.* De Iſthmicis Polyaenus Lib. V. Strateg. cap. 12. τοὺς γὰρ τὰ Ἴσθμια νικῶντας οἱ Κορίνθιοι τῷ σελινῷ στεφανοῦσι. *victores Iſthmiorum certaminum Corinthii apio coronant.* Sed vide plura apud Rigaltium in notis ad Artemidor. pag. 40.

Pag. 51. lin. 5. in nota: *praevit* mihi Eraſmus. lege *ſuggeſſit* mihi.

Pag. 53. lin. 4. in nota, poſt locum Strabonis, *adde*: & ſic θεοφορήσεις & κορυβαντιασμοὺς conjungit Dionys. Halic. Lib. II. pag. 91.

Ibid. poſt citatum Scalig. ad Catull. *adde*: ubi de hac voce agit, ſed quem cum reprehendiſſet Hieron. Mercurialis in Variis ſuis Lectionibus, a Scaligero deinde acerrime exceptus eſt longa ſatis digreſſione in Animadverſionibus ad Euſebium pag. 28. ubi quae de voce κορυβαντιῶν & κορυβαντιασμῷ in notis ad Catullum antea ſcripſerat, latius vindicat. Vide & Langbaenium ad Longinum περὶ ὕψους Sect. XXXVIII. pag. 209. Ed. Tollii.

Pag. 54. lin. 11. in nota. ad Ovidium meus Patruus. *adde*: & vide ea de re Meurſium in Auctar. Philolog. cap. 36.

Pag. 56. lin. 6. Valeſius, *Inter Graecos porro*, inquit, *Philiſtion Comoediarum ſcriptor.*] Hunc inter Comicos poſt Menandum & Philemonem etiam recenſet Iſacius Tzetzes in Prolegomenis Scholiorum ad Lycophronem. Verum *Philiſtion* hic non adeo Comicus fuit, ſed potius mimorum ſcriptor, ut apud Latinos Laberius, vel Publius Syrus. Sic *mimos ridiculi Philiſtionis* memorat Martialis Lib. II. Epig. 41. de eo vide Sirmondum ad Sidon. Apollin. pag. 26. Ejus ſcripta recenſet Suidas, & inter alia etiam poëma φιλογέλως, quod alii tamen Curienſi Hermiae tribuunt. Vide Reineſium Lib. I. Var. Lect. pag. 15. & Meurs. in notis ad Heſych. Miles. pag. 215.

Pag. 60. lin. 3. in nota; poſt illa, *ubi de his ψαλλίοις multa egregia notavit*, inſere haec: Ille autem Plutarchi locus deſumtus eſt ex Platone Lib. III. de Legib. cujus verba habet Eraſmus in Adagio *pſallium injicere* pag. 759. Loquitur autem de Lacedaemoniorum Republ. in qua Ephori conſtituti erant ad temperandam regiam potentiam, dicens: οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν, *velut pſallium illi injecit Ephororum potentiam.* Quae totidem verbis deſcripſit Plutarchus.

Ibid. in fine: *adde*: quae autem *dura lupata* vocant Virgilius & Ovidius, *rigida lupata* dixit Claudianus in Conſul. Prob. & Olybr. v. 82.

——— hic ſub juga ferrea mittit
Cornipedes rigidisque docet ſervire lupatis.

eleganter Prudentius in Pſychomach. v. 192.

Nec minus inſtabili ſonipes feritate ſuperbit,
Inpatiens madidis frenarier ora lupatis;
Huc illuc frendens obvertit terga, negata
Libertate fugae, preſſiſque tumeſcit habenis.

Pag. 63.

Digitized by Google

Pag. 63. lin. 5. in nota: poſt, *Vales. ad Ammian. Marcell.* adde: vide & de Tarſi conditoribus Morell. Specim. Rei Numm. pag. 76.

Pag. 64. lin. 15. Valeſius; *Certe vox ἡγεμόνες, qua utitur Dio, Caſaubonum admonere debuerat de Praeſidibus provinciae hic agi.* Recte explicat Valeſius. Eo ſenſu in vexatiſſimo illo Lucae loco cap. II. v. 2. ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. & cap. III. v. 1. ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας. Vide etiam Valeſium infra ad Philoſtrat. Lib. III. Emend. cap. 8. pag. 88. & plura apud Spanhem. de Uſu & praeſt. Numiſm. Diſſ. VI. pag. 572. & 573. ubi Strabonis locum etiam adfert, ac Valeſium noſtrum laudat, quod recte in Dionis Excerptis pag. 726. ubi legitur, *Aufidius Victorinus* Ἀφρικῆς ἡγεμονεύσας, verterit, *cum Africae proconſul eſſet.*

Pag. 66. lin. penult. in nota. poſt. *Geograph. in fine.* adde: de his conventibus vide & infra Lib. V. cap. 16.

Pag. 69. lin. ult. in nota. *adde*: Ceterum de cultu harum Dearum apud Smyrnaeos videndus etiam eſt Prideaux ad Marm. Oxoniens. pag. 149.

Pag. 70. lin. 23. in nota. poſt ΚΙΒΩΤΟΣ. *inſere.* de Apamea Phrygiae nonnulla etiam habet Cl. Weſſeling. ad Hierocl. Synecd. pag. 673. vide & Morell. in Specim. Rei Numm. pag. 83.

Pag. 73. lin. 7. in notis: *haec addenda*: Sic Plutarchus in loco, quem habet Valeſius noſter in notis ad Harpocration. pag. 34. ait Eubulum περὶ τὰς διοικήσεις i. e. pecuniae publicae adminiſtrationem πεπολιτεῦσθαι. de procuratoribus Caeſaris autem plura vide apud Spanhem. de Uſu & Praeſt. Numiſm. Diſſ. VI. pag. m. 572. D'SPENSATOR AUG. HIEROCLES occurrit etiam in Inſcript. apud Fabrett. Cl. IV. n. 284. ſic apud Sueton. in Galba cap. 12. *deſpenſatori breviarium rationum adferenti* &c. Aliter etiam hos diſpenſatores, ſive διοικητὰς, ſeu qui pecuniae regiae curam habebant & aerario publico praeerant, Graeci ταμίας promiſcue vocant, aut ταμιακὸς, vel ταμιοῦχους. Vide Bonav. Vulcanium ad Ariſtotel. & Apulej. de Mundo pag. 202.

Pag. 74. lin. 5. in notis: *Neſcio an de eo capiendum ſit &c.* haec deleantur, nam in Varronis loco *Iſmenias* fluvii nomen eſt. Pro iis autem rectius iſta inſerentur: In Dione etiam Ἰσμηνίαν ſcribendum eſſe monuerat Perizonius ad Aelian. Lib. XII. cap. 43. num. 7. meminit etiam hujus tibicinis Iſmeniae Heſychius Mileſius de Viris Inluſtr. in Cratete, ad quem vide Meurſii notas pag. 162. Eumdem Iſmeniam Thebanum τῆς αὐλῳδίας ἔμπειρον ἄνθρωπον, καὶ σοφὸν τῇ γνώμῃ τυγχάνοντα vocat Auctor anonymus ineditus de vita Alexandri Magni, quem ſibi ex Bibliotheca matris reginae Galliae utendum dediſſe Franc. Pithoeum teſtatur Bongarſius ad Juſtinum Lib. XI. cap. 4.

Ibid. lin. ult. Antigenidi adſcribunt. *adde.* ut Cicero in Bruto cap. 50.

Pag. 75. lin. 6. in notis: *Bellonarii* reddantur. *adde*: de quibus vide Salmaſium ad Tertullian. Pall. pag. 356.

Pag. 76. lin. 15. in notis. poſt laudatum Sponium in Itiner. Tom. I. pag. 446. & 447. *haec porro ſubjungenda*: qui exhibetur etiam in tabulis ante Wheler. Voyag. de Dalmat. num 96. Sane in plurimis vetuſtis nummis haec Fortunae imago, ita ut eam deſcribit Lactantius l. c. cum iſtis inſignibus exſtat. vide

 Anton.

Anton. Auguſtin. Dialog. II. Antiq. in FORTUNA. pag. 24. Sic in nummo, cujus inſcriptionem inter alios ex Galliae cimeliis profert Vir Inluſtris Scipio Maffei, ingens Veronae decus, & natalium ſplendore aeque ac doctrinae eximiae gloria nobiliſſimus, in Select. Galliae Antiquit. Epiſt. XXII. pag. 109. conſpicitur mulier ſtolata cum cornucopia & temone, addita inſcriptione, FECUNDITAS AUG. quamvis ſuſpectum habeat nummum Eruditiſſimus editor, cui diſplicet Fecunditas cum Fortunae ſymbolis exhibita, licet in nummis haec aliquando confundi agnoſcat. Huc etiam refer quod in nummis Nervae ſimiliter conſpiciatur Fortunae ſtantis figura cum temone & cornucopia, addita Inſcriptione FORTUNA AUG. Vide Mediobarbi Numiſm. Imperat. pag. 143. & ita in nummo Antonini Pii videtur Fortuna, quae ſtat diademate ornata, & manu ſiniſtra cornucopiam, dextra gubernaculum navis tenens, cum inſcriptione FORTUNAE OPSEQUENTI, ut notavit Stephanus Vinandus Pighius ad Inſcriptionum Antiquarum Syllogen ineditam, cujus mihi copiam fecit Venerandus Patruus.

Pag. 77. lin. ult. in notis. *adde*: vide plura de *Virtute* & *Fortuna* urbis Romanae apud Spanhemium ad Julian. Orat. I. pag. 300. & 301. & hinc paſſim apud ſcriptores antiquos celebratur *populi Romani Fortuna*, quae & in nummis veteribus per literas F. P. R. ſaepe indicatur. vide Perizonium in eruditiſſima Diſſertationum Triade Diſſ. III. pag. 233. & ſeqq. Egregius eſt Plutarchi locus in initio libri de Fortuna Romanorum Tom. II. pag. 316. Ed. Francof. ubi de certamine Virtutis & Fortunae in condendo Romano imperio prolixe diſſerit. & ſic Polybius Lib. I. Hiſt. pag. 4. Ed. Caſaub. ubi incipit Romani imperii res deſcribere, dicit ſe oſtenſurum, quomodo Fortuna omnes univerſi orbis res in unum hoc opus congeſſerit, & quomodo ſe ad hujus operis conſummationem Fortuna geſſerit. Vide ad eum Caſaub. Comment. pag. m. 46. Edit. in 8.

Pag. 80. lin. 1. in notis: *Sic habebat exemplar Valeſianum, ſed puto Commentarios vel ſimile quod ſubſtituendum eſſe.* Haec notula in ſpongiam incumbat; id cum ſcriberem, non cogitabam de ſignificatione vocis *antiquariorum*, qua eam hic loci uſurpavit Valeſius. Per *antiquarios* ſcilicet intelligit librarios ſcribas, quomodo apud veteres vocabantur etiam librorum deſcriptores. vide Wouwer. Polymath. cap. VI. pag. 43. & Guther. de Offic. Dom. Aug. pag. 390. & 568.

Pag. 85. lin. 3. in nota. poſt Plinii verba *haec adde*: quo in loco in antiquioribus Editionibus abſurde legebatur *Simonide Medico*: ſed *melico* recte reſtituit Domit. Calderinus in Face Critica Gruteri Tom. I. pag. 317. inluſtrans Quintiliani locum, in quo idem de Simonide ſcribit, Lib. XI. Inſtit. cap. 2. *Artem autem memoriae primus oſtendiſſe dicitur Simonides.*

Ibid. lin. 25. *adde*: Ita quoque in hoc eodem Philoſtrati loco perperam Morellum legere, Δωρίωνα ἢ Κρήτικον, pro quo hic recte Κρίτικον emendat Valeſius, notavit Fabricius in Biblioth. Graec. Vol. VII. Lib. V. cap. 7. pag. 58. &

ſic

ſic aliis in locis Κρίτικος & Κρήτικος commutata occurrunt. Eodem modo apud Aelianum Lib. X. de Anim. cap. 42. Τήλεφος ὁ Κρὴς legitur, quod ex Κρήτικος perperam formaſſe librarios, pro genuina ſcriptura Κρίτικος, obſervat noſter Valeſius infra Lib. V. Emend. cap. 10. ſimili varietate apud Apollonium Dyſcolum Hiſt. Mirab. cap. XIX. citatur Ἡρακλείδης Κρήτικος, pro quo Κρίτικος bene emendat Olearius ad Philoſtrat. Lib. II de Vitis Sophiſt. 26. pag. 612. & ita etiam apud Hieronymum in Epiſt. XCV. *Criticum diceres eſſe Longinum.* ubi male *Creticum* legere Martianaeum teſtatur idem Fabricius Vol. IV. Bibl. Graec. pag. 436.

Pag. 88. lin. 4. in nota. poſt Almelovenium citatum, *haec adde*: apud quem *M. Atilius Metellus Bradua* ex Inſcriptionibus antiquis laudatur, qui ſub Commodo Imp. Conſul fuit cum Materno. Idem etiam memoratur in Inſcriptione apud Sertor. Urſatum in Marmorib. Eruditis Italica lingua inluſtratis Epiſt. VI. pag. 123. ubi occurrit *Materno & Bradua Cos.* ac profert ex Fulvii Urſini Faſtis aliam, in qua *M. Attilius Metilius Bradua* legitur. Sed nepos Urſati Johannes Antonius Urſatus in Adnotation. pag. 133. ſuſpectum habet *Metilii* nomen, natumque putat ex depravata *Mattilii* pro *M. Attilii* ſcriptura, ut ſaepe in nominibus propriis praenomina ita coaluiſſe notum eſt. Sed & illic *M. Attilius Metellus Bradua*, ut in priori inſcriptione vocatur, legendum eſt.

Pag. 90. lin. 16. τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, plebejum proverbium fuiſſe apud Graecos & in malam partem plerumque dictum, obſervat Valeſius. *adde in notula.* eadem, quae hic notavit Valeſius, habet in Animadv. ad notas Mauſſaci in Harpocration. pag. 131. b. Legitur etiam hoc proverbium apud Apoſtolium Centur. XIX. Prov. 92. & ſimile eſt illud, ſed in bonam partem, apud Ariſtaenetum Lib. II. Epiſt. 14. καλοῦ παιδὸς καλὴ μητήρ.

Pag. 91. lin. 29. *qui ſint οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται* &c. ante Olearium & Ouzelium in nota citatos *haec praemittenda*: ita & vocantur apud Artemidorum Lib. I. Oneirocr. cap. 19. & cap. 79. pag. 67. in fine. ad quem vide Rigaltii Notas pag. 8. *ſcenici artefices* dicuntur etiam Senecae Epiſt. XI. De his plura &c.

Eadem nota pag. ſeq. poſt Inſcriptionem veterem ex Grutero & Torrentio prolatam de Thymelicis & Xyſticis, *haec adde*: de Thymelicis etiam agit Novell. 105. *Quintum quoque faciet proceſſum quod ad Theatrum ducit, quem pornas vocant, ubi in ſcena ridiculorum eſt locus Tragoedis & Thymelicis choris, & ſpectaculis univerſis.* Videri merentur quae de iis notavit Jacobus Kimedoncius, juvenis ſuperioris ſeculi eruditiſſimus, ſed in primo adoleſcentiae flore praematura morte exſtinctus, in Caſtigation. ad Theophylacti Simocati Opuſcul. init. pag. 103. ſed plura etiam de his dabunt Scip. Gentilis &c. & Budaeus. *ſic corrige.*

Ead. pag. 92. lin. 21. *Panionium feſtum fuit apud Jonas.* Hujus Jonum feſti Panionii, & ſacrificii, quod Neptuno Heliconio ab iis fiebat, mentionem exſtare apud Homerum Iliad. Υ. v. 403. nonnullos fuiſſe inter veteres Criticos, qui exiſtimarunt, videbis apud Strabonem Lib. VIII. pag. 384. Ed. Par. Idem hoc deſcribit Lib. XIV. pag. 639. Πρῶτον δ' ἐςὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον, τρισὶ ςαδίοις ὑπερκείμενον τῆς θαλάσσης, ὅπου τὰ Πανιώνια κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι καὶ θυσία; ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς. eadem habet Herodotus Lib. I. cap. 148. Τὸ δὲ Πανιώνιόν ἐςι τῆς Μυκάλης χῶρος ἱερὸς, κοινῇ ἐξαραιρημένος ὑπὸ Ἰώνων Ποσειδίωνι Ἑλικωνίῳ. ad quem locum Jacobus Gronovius in notis pag. 841. nimio certe cum ſupercilio Spanhemii notam ad Callimachum excipit. Vide etiam de hoc feſto Meurſium in Graec. Feriat. Lib. V. pag. 225. *Panionium* autem vocatum fuiſſe locum illum ſive oppidum, ubi conventum ſuum & feſtum hoc *Panionium* celebrabant Jones, ex his patet; ejusque memoriam ſervat antiqua inſcriptio Graeca, juſſu Senatus Jonum illic lapidi inciſa, quam exhibet Wheler. Voyag. Lib. III. pag. 273.

Pag. 94. lin. 5. in nota poſt Euſebii locum *adde*: Eunapii verba in fine operis, cujus locum indicat quidem ſed non exhibet Valeſius, recte Menagius ad Diogen. Laert. Lib. IV. pag. 100. diſtinctione adjuvanda eſſe notavit hunc in modum. Βερονικιανὸς ταῖς Χάρισιν ἔθυσε· καὶ ἱκανὸς ἀνθρώποις ὁμιλεῖν. Ἔςι καὶ εἴη. *Beronicianus Gratiis litavit & inter homines verſandi peritus. Vivit & ut diu vivat precor.* perperam enim in vulgatis legitur ὁμιλεῖν ἐςὶ καὶ εἴη.

Pag. 96. lin. 9. *Fuit autem Pſaon Plataeenſis, qui Dylli Athenienſis Hiſtoriam continuavit.* Sic exemplar Valeſianum. Sed ſcribendum eſt *Diylli.* ita enim vocatur hic Hiſtoricus, quem continuavit Pſaon. hujus nomen in Plinio corruptum etiam reſtituit Reineſ. Lib. II. Var. Lect. cap. 6. pag. 159. vide de eo Caſaubon. ad Diog. Laërt. Lib. V. pag. 44. Mauſſacum ad Harpocrat. in ἀεισίων pag. 71. & Meurſium ad Heſych. Illuſtr. pag. 140.

Pag. ead. ad initium capitis XV. in quo Eunapius inluſtratur, *haec nota*: primam hujus capitis partem edidit Valeſius in notis ad Euſeb. praef. Orat. de Laudib. Conſtantin. pag. 716.

Ibid. lin. 19. δαδοῦκοί τε. lege δᾳδοῦχοί τε & lin. 13. *& Daducos.* ſcribe *Daduchos.*

Pag. 97. lin. 5. in Eunapii loco emendat Valeſius: ᾧ μὴ θέμις ἱεροφαντικῶν ἅψασθαι θρόνων. male dederunt operae ἄφασθαι. Sed hanc Valeſii emendationem etiam jam occupavit Meurſius in Eleuſin. cap. XIII.

Ibid. lin. 8. optime in eodem legit, πατὴρ ὢν τῆς Μιθριακῆς τελετῆς. & ſic etiam pro vulgato τελευτῆς correxit in hoc Eunapii loco eximiae eruditionis vir Thomas Gatakerus in Operib. Poſtum. cap. XXI. pag. 660. Neſcio igitur, quid cauſſae fuerit viro ceteroquin ſummo Petro Fabro, cur in Lib. III. Semeſtr. pag. 43. legi voluerit μηλειακῆς τελετῆς. & vellem docuiſſet quid τελετὴ μηλειακὴ ſignificaret. Nam τὰ Μιθριακὰ & Μιθριακὴ τελετὴ de ſacris Mithrae Dei, id eſt Solis, manifeſto intelligenda, & obvia ſunt. Sic τελετὴ in his ſacris paſſim

paſſim occurrit. ita Photius in Cod. 165. memorat Orationem Himerii Rhetoris εἰς τὴν Μίθρου τελετήν. vid. Reines. in Epiſt. ad Rupertum pag. 622. Sic Κριοβόλου τελέσας ἠδὲ Ταυροβόλου in Inſcriptione veteri, quam ex Boiſſardo habet Gruterus in Corp. Inſcr. pag. XXVIII. 1. & ſic in alia antiqua inſcriptione, quam ſecum a Rigaltio communicatam profert Salmaſius ad Lampridii Helagabal. cap. 7. Κριοβόλου τελετῆς καὶ Ταυροβόλοιο φερίστης. ut autem hic πατὴρ τῆς Μιθριακῆς τελετῆς, ita *pater Dei Solis invicti Mithrae* non ſemel occurrit in inſcriptionibus Latinis, quas eadem pag. Gruterus exhibet. & idem ille *antiſtes Mithrae* dicitur in Epigrammate vetuſto apud Pithoeum Lib. II. Epigr. vet. pag. 64.

Perſidicique Mithrae antiſtes Babylonie templi.

ad quem locum pluribus, Deo volente, haec inluſtrabimus. De Mithriacis ſacris autem Reineſius eadem, quae in Epiſt. ad Rupert. collegit, ut in nota ſubjecta citavi, dedit etiam in Comment. ad Inſcript. Antiq. Clas. I. pag. 94. & ſeqq. vide & Salvin. in notis ad Gorii Inſcript. Florent. pag. 113.

Ead. pag. cap. XVI. lin. 19. In Eunapii loco Valeſius, *Scribe meo periculo* σκαλισμοί. male enim editum eſt σκαλισμοῖς. *haec notanda*: Hanc emendationem ſuam Valeſius jam dederat in notis ad Sozomen. Lib. II. Hiſt. Eccl. cap. 14. Longe aliter hunc locum explicat & emendat Petrus Petitus Lib. II. Miſcellan. Obſerv. cap. 6. ubi pro οἱ γυναικεῖοι τῶν Ἀρτάβρων ἀλισμοὶ, ſive ut Valeſius legit σκαλισμοὶ, corrigit, καὶ οἱ γε ὕειοι αἱράμων ἀλισμοὶ, *& ſuillae coquorum ſalſurae*. Quae ſane longe aliena eſt hariolatio. Valeſianam autem emendationem, ſi non indubitatam, certe veroſimiliorem hoc Petiti commento eſſe putem. Ἀρτάβρων autem in αἱράμων minime mutandum eſſe vel unus Tzetzae locus a Valeſio adductus confirmat. *Artabri* enim hi Luſitaniae populi, & *Artabrorum promontorium* apud veteres, Strabonem praeſertim, ſaepe memorantur. Eum vide Lib. II. pag. 120. ſed adſcribenda ſunt auctoris illius verba ex Lib. III. pag. 147. quae unice Valeſii correctionem confirmant, & Petitum ſomniaſſe oſtendunt. Ex Poſidonio enim haec refert: Ἐν δὲ τοῖς Ἀρτάβροις οἱ τῆς Λυσιτανίας ὕσατοι πρὸς ἄρκτον καὶ δύσιν εἰσὶν, ἐξανθεῖν φασὶν ἀργυρείῳ τὴν γῆν καττιτέρῳ χρυσίῳ λευκῷ. ἀργυρομιγὴς γάρ ἐστι. τὴν δὲ γῆν ταύτην φέρειν τοὺς ποταμούς· τὴν δὲ σκαλίσι τὰς γυναῖκας διαμώσας πλύνειν ἐν ἰσθμητρείοις (Caſaubon. ἐν ἠθητηρίοις) πλεκτοῖς ἐπὶ κίστη. (ſic Idem) *Apud Artabros autem, qui Luſitaniae verſus occaſum & ſeptentrionem ultima habent, efflorеſcere ait terram ſtanno aureo albo: eſt enim argento permixtum: hanc terram fluviis deferri & a mulieribus exhauriri ſarculis, lavarique in textis cratibus, dum expurgata terra ſtannum fiat.* Hunc Strabonis locum a Valeſio tantum indicatum, ideo totum adſcripſi, ut eo magis pateret, Petitum prava Junii verſione, qui interpretatus eſt *muliebria tormentorum ludibria*, deceptum fuiſſe, & fruſtra γυναικείους Ἀρτάβρων σκαλισμοὺς ut

ut optime Valeſius, ſollicitaſſe. σκαλισμὸς enim ſarculatio, ſarritura, Eunapio dicitur, quae Straboni σκαλίς. *Artabrorum* porro mentio etiam eſt apud Eumdem Lib. III. pag. 154. & 175. Ed. Paris. Agathemerum Lib. I. Geograph. pag. 187. aliosque. Adſerenda igitur eſt vulgata lectio apud Silium Italicum Lib. III. v. 362.

Jamque Ebuſus Phoeniſſa movet, movet Artabrus arma.

illic enim perperam vir ſummus N. Heinſius ex Colonienſi libro *Arbacus* reponit, & Artabros faceſſere jubet, quia Plinius Lib. IV. cap. 21. gentem *Artabrum* nullam fuiſſe dicit; cujus verba ſunt: *Ad Pyrenaeum inde non pauci XII. quinquaginta millia & ibi gentem Artabrum, quae numquam fuit, manifeſto errore. Arrotrebas enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco poſuere literis permutatis.* quae conferenda cum illis Strabonis Lib. III. pag. 154. ἔχουσι δ' οἱ Ἀρτάβροι πόλεις συχνὰς &c. Ἀρτάβρων λιμένας προσαγορεύουσιν. Οἱ δὲ νῦν τοὺς Ἀρτάβρους, Ἀροτρέβας καλοῦσιν. *Habent Artabri complures urbes &c. Artabrorum portus adpellatur: noſtra aetate Artabros Arotrebas vocant.* ex quo patet literis permutatis *Artabros* deinde *Arotrebas* dictos, minime autem gentem *Artabrum*, ut ait Plinius, numquam aut nuſquam fuiſſe. vide plura apud Salmaſium in Excitation. Plinian. Tom. I. pag. m. 276. Sed & vulgatam in Silii Italici loco lectionem recte iam agnovit Joachimus Vadianus in Commentar. ad Pompon. Melam Lib. III. cap. I. & Philippus Ferrarius in Lexico Geographic. in *Artabri*.

Pag. 98. nota ad cap. XVII. Totum hoc caput dederat jam Valeſius in Adnotationibus ad Excerpta Eunapii de Legationibus in Vol. I. Corporis Byzantini pag. 204.

Ibid. lin. 4. πρὸς πά. ſcribe πρὸς τά.

Pag. 99. lin. ult. notulae ſubjectae *haec adde*: Ceterum ex eodem hoc Scholiaſtae Ariſtophanis loco apud Eunapium Λαισποδίαν pro Δεσποσίαν ſcribendum eſſe recte quidem notavit Iſacus Voſſius in notis ad Catullum pag. 235. ſed qui in expoſitione illorum verborum dupliciter lapſus eſſe videtur; primo quod ſuſpicatur Alcmaeonem verum fuiſſe nomen ejus viri, ſive Laeſpodiae, quia Heſychius Λαισποδίαν interpretatur Alcmaeonem. Deinde, quod per duas arbores ſeu δένδρη in Eupolidis verſu memoratas intelligi putet vitem & platanum Xerxis auream. Quae refutantur ſatis ex illis, quae notavit hic Valeſius. Porro ad hunc Eupolidis verſum reſpici apud Plutarchum in Sympos. VII. pag. 702. Ed. Francof. τίς ὁ Λαισποδίας παρ' Εὐπόλιδι, ſed illic corrupte ſcribi Λαισμοδίας, admonuit me Cl. Hemſterhuſius. quod mirum eſt Valeſium ac Voſſium fugiſſe. In Harpocrationis autem loco quod in fine capitis pro κατὰ Λαισπυδίυ ſcribendum addat Valeſius Λαισποδίυ, eadem emendatio, quae per ſe facilis eſt, jam a Meurſio in Biblioth. Attica in Tom. X. Theſaur. Antiq. Graec. & ab aliis animadverſa eſt. de Laeſpodiae & Damaſiae

ſiae foeditate etiam videndus Caſaubon. ad Theophraſti Charact. pag. m. 304.

Pag. 102. lin. 3. *Ait enim Cliſthenem maternum Alcibiadis proavum fuiſſe.* Hujus Cliſthenis, qui Agariſtae patruus, & Alcibiadis proavus fuit, ſtemma exhibet Xylander ad Plutarchi Periclem pag. 14.

Ead. pag. lin. 12. *Hipponicum apud Athenienſes fuiſſe virum novum, & ob divitias, non ex nobilitate generis, celebrem evaſiſſe* dicit Valeſius. In eo quidem errat, cum ex Herodoto Lib. VI. cap. 121. & ſeq. pateat, Hipponicum nihil minus quam hominem novum, ſed contra nobiliſſimum ejus apud Athenienſes fuiſſe genus. vide notas Perizon. ad Aelian. Lib. XIV. Var. Hiſt. cap. 16. ubi ordinem ejus familiae dedit. & erudite Vir primi ordinis in hac ſtudiorum parte Joh. Fred. Gronovius Lib. IV. Obſerv. cap. 7. Hoc igitur Valeſii argumentum ad Demoſthenis errorem in exponendo Alcibiadis genere refellendum parum facit.

Ead. pag. lin. 18. & aliis locis in hoc capite *Andocydes* perperam excuſum eſt pro *Andocides.*

Ibid. lin. 22. Lib. VIII. Lect. Att. *Corrige* Lib. VI. & lin. 30. ſcribe *Coroneam* pro *Coronam.*

Pag. 103. lin. 7. Κλισθένης. Scribe Κλεισθένης.

Ibid. lin. 25. *Cornel. Nepos Alcibiadem Periclis privignum quibusdam dici refert.* Hunc Nepotis errorem abſurdum eſſe notavit Xylander ad Plutarchi Alcibiad. in init.

Ibid. lin. 26. Ῥώπος. Scribe Ῥῶπος.

Pag. 104. lin. 3. τὰ χρήματα ἀπέραντον &c. diſtingue hoc modo τὰ χρήματα. ἀπέραντον γὰρ &c.

Pag. 111. in nota lin. 3. poſt illa *convictam eſſe notat.* haec adde: Contra Muretum etiam a Victorii partibus ſtat Giphanius ad Ejusd. Ariſtotel. Politic. pag. 226.

Pag. 115. in fine notae *haec ſubjunge:* Ceterum ad ea, quae de *magno anno* & ſeculorum revolutionibus hic notavit Valeſius, inluſtranda unice facit Auſonii locus in Idyll. XVIII.

> *Cetera ſecreti novit Deus arbiter aevi*
> *Tempora* &c.
> *Donec conſumto, magnus qui dicitur, anno*
> *Rurſus in antiquum veniant vaga ſidera curſum,*
> *Qualia diſpoſiti ſteterant ab origine mundi.*

Ubi vide Vinetum. Sed & de magno anno adeundus Servius ad hanc ipſam Virgilii Eclogam v. 4. & ad Lib. I. Aen. v. 273. & Leo Allatius de Menſ. Temp. Antiq. cap. XVII.

Pag. 116. lin. 37. *poſt illa* reponendum eſſe vidit etiam Nunneſius *haec inſerenda*: unde notandus eſt error viri ceteroquin non vulgari doctrina pariter ac generis nobilitate inſignis Hieronymi Columnae in Comment. ad Ennium pag. 313.

313. a. Ed. Heſſel. qui ex corrupta vulgatae lectionis ſcriptura deceptus illic ſcribit: *Fuit alter praeterea ejus nominis Elegiographus Poëta Evemerus, cujus mentionem facit Cenſorinus in Libello de die natali cap.* 20. ſed quum iſtic apud Cenſorinum nulla exſtet hujus poëtae mentio, veroſimile eſt, Columnam hujus fragmenti Cenſoriniani locum, ita ut vulgo legitur, in animo habuiſſe, ſed non adcurate ſatis, quae ſcribebat, perpendiſſe.

Pag. 116. lin. 40. poſt citatum Rigalt. ad Artemidor. *adde*: plura de hoc Eveno dabunt notae Doctor. ad Auſon. Cent. Nupt. pag. 518. Ed. Tollii.

Pag. 117. lin. 21. poſt citatum Fabricum in Bibl. Graec. *adde*: & Schurffleiſch. in Notit. Biblioth. Vinariens. pag. 238. & 257. qui tamen in loco Euſebii, *Hipponax carminum ſcriptor* legendum cenſet, pro corrupta *Hippici* ſcriptura; ſed cujus emendatio non admittenda eſt, cum *Ibycus* recte a Viris Doctis illic reſtitutus ſit. Hujus autem poetae Ibyci fatum ac mortem ex Graeco Antipatri Epitaphio exponit Canterus Lib. I. Novar. Lect. cap. XII. ubi ejus nomen egregie reſtituit in Statii loco ex Lib. V. Sylv. 3. v. 153. cui tamen iſtius praeclarae emendationis laudem nominato auctore adſcribere debuiſſet Lindenbrogius.

Ibid. lin. 39. poſt illa: *de rebus ab Hercule geſtis ſcripſit*, adde haec in parentheſi, (quod idem argumentum ſub eodem titulo tractaverunt Phaedimus & Arianus vel Rhianus. vide Caſaubon. ad Athenaeum Lib. XIII. cap. 7.)

Ibid. lin. 49. poſt citatum Pinedo ad Stephan. Byzant. *adde*: & Mallincrot. in Paralipom. de Hiſt. Graec. pag. 98. edit. a Fabricio in Supplem. ad Voſſium de Hiſtor. Graec. & Lat.

Pag. 118. lin. 30. *poſt illa*, intelligi in hoc Clementis loco optime oſtendit Lydiatus ad Marm. Oxon. *adde.* Cujus explicationi adquieſcere potius, & non Λακεδαιμονίων νόμως *Lacedemoniorum leges* in hoc Clementis loco, ut perperam fecerat Hervetus, interpretari debuiſſet nuperus Phrynichi editor in cornucopia ſpurciſſimorum conviciorum, ſive capitali illa ad Phrynichum praefatione pag. 63. cui ſane pravae interpretationi mirum eſt adhaeſiſſe τὰ δεινὰ, poſtquam rectam rationem, ut jactat, ſecutus ducem, judicium adeo nactus ſit maturum, ut nulla ſcribat, niſi tam certa ut convelli a nemine poſſint; niſi delirus, nugator, ſtipes, aut aſinus ad lyram, ab eo audire velit, qualia paſſim elogia in Literatorum principes os illud inpurum ac tetrum Pavonidae, foediſſima plebejorum ſcommatum cloaca, ebullire ſolet.

Pag. 137. lin. 35. & Codice Theodoſii, ſeu potius Aniani breviario. *nota*: Anianum hunc, Virum Spectabilem, recognoviſſe breviarium Codicis Theodoſiani ſub Alarico Gothorum Rege, obſervat Jac. Gothofred. in Prolegom. ad Cod. Theodoſ. notante Fontanini de Antiq. Hortae Lib. II. cap. III. pag. 231.

Pag. 141. lin. 31. *Luitprandrus.* ſcribe *Luitprandus.*

Pag. 144. lin. 13. *ne docet.* Lege, *ut docet.* & lin. ſeq. *is Dialogo.* corrige *in.*

Pag. 153.

Pag. 153. lin. 5. in nota. poſt Macrob. Lib. II. Saturn. cap. 2. *adde.* apud quem aliis in locis etiam ſaepe Horus Philoſophus ad partes vocatur. vide Juretum ad Symmachum pag. 67. Sed ille nihil ad hunc Orum Grammaticum Graecum. Illius autem *Hori* aut *Ori* (de quo hic Valeſius) ſive *Orionis*, nam horum nomina confuſa ſunt, librum περὶ Ἐτυμολογίας & Atticarum vocum Conlectionem laudat Suidas: ejusque praeter Etymologum Magnum meminit etiam Euſtathius ad Homerum. Vide Fabric. Biblioth. Graec. Tom. X. pag. 42. & Lamb. Bos in Diſſert. de Etymolog. Graec. poſt ejus Exercitat. Philolog. pag 3. ubi & alios Graecos Etymologos recenſet. Hujus Grammatici Etymologica praecedente ſeculo vir doctiſſimus Martinus Brunnerus, Profeſſor Graecae linguae Upſalienſis & Joh. Schefferi ſocer, in animo habuit Thomae Magiſtro & Moeridi Atticiſtae adjicere: & eruditus Siculus Martinus la Farina integrum Orionis Etymologicum ex MS. Bibliothecae S. Laurentii ſeu Scorialenſis in Hiſpania incepit edere. Vide Octav. Falconerii & N. Heinſii Epiſtolas Tom. V. Sylloges pag. 497. 498. 503. & 526.

Pag. 156. in nota lin. 3. *ad vocat.* lege *advocat.*

Ibid. lin. 12. poſt illa, adfirmat Iſ. Voſſius ad Catull. *adde*: & Meurſius ad Helladii Chreſtomath. pag. 37. Nunneſius autem, nihil definiens, in notis ad Procli Chreſtomath. pag. 71. citat hunc in modum: *Demetrius Phalereus aut quicumque auctor libri περὶ ἑρμηνείας.*

Pag. 160. lin. 30. poſt locum Dionyſii Halic. de Struct. Orat. citatum, *adde.* Sed & Hegeſiae iſtius meminit Cicero in Orat. cap. 69. ubi etiam Hieroclem, Alabandeum ſcilicet, & Meneclem ejus fratrem Aſiaticorum Rhetorum principes vocat, & quomodo illi ab Attico dicendi genere abſint, docet: quos itidem in horum numero recenſet in Bruto cap. 95. ubi duplex Aſiaticae dictionis genus exponit.

Ibid. lin. 33. *de Aſiaticis Oratoribus &c.* Lege, *Non dubito quin de Aſiaticis* &c. vel in ſequentibus ſcribe, *intelligendum eſt.*

In Valeſii Orationibus pag. 52. lin. 27. ad illa verba, *Sed neque Armandus* &c. ſeqq. omiſſa fuit haec notula: Quemadmodum hic Valeſius, comparatis inter ſe Cardinalibus Richelio & Mazarino, laudem praecipuam & maxime ob ſtabilitae Pacis negotium gloriae palmam in Mazarinum confert, ita & Menagius eleganti Epigrammate LXXXIX. pag. 125. Poëmatum, Mazarinum Richelio profert:

De Armando Richelio & Julio Mazarino.

Et veſter nempe Armandus, & noſter Jülus
Magnus erat. Quaeris, Pontice, major uter?
Quanto ſaevitiae potior clementia; bello
Pax melior; noſter, Pontice, major erat.

Videri etiam de Cardinale Richelio meretur judicium Viri Inluſtriſſimi, &

doctrinae eximiae laudibus aeque ac ſummis in Republ. honoribus inter primos patriae patres quondam conſpicui, Rab. Herm. Schelii in Protreptico de Pace ad Principes Chriſtian. pag. 30. & ſeqq. ubi inter cetera Richelii vitia bellicoſam ejus & a pacis ac concordiae ſtudio alienam indolem vivis coloribus ex merito depingit.

FINIS.

HEN.

Digitized by Google

HENRICI VALESII
ORATIONES.

Digitized by Google

ORATIONUM INDEX.

De Coronatione Chriſtinae Suecorum Reginae.
In obitum Jacobi Sirmondi.
——— *Petri Puteani.*
——— *Dionyſii Petavii.*
de Pace ad Cardinalem Mazarinum.
HADRIANI VALESII, *Henrici Fratris, Oratio de Laudibus Ludovici XIV.*
EJUSDEM *Carmina nonnulla, quae in editis deſiderantur.*

Digitized by Google

HENRICI VALESII,

ORATIO
De Coronatione
CHRISTINAE
Sereniſſimae Suecorum Reginae.

habita anno 1650.

SCIO nonnullos poſſe mirari, SERENISSIMA REGINA, cur ego extraneus praeſertim & ignotus, & tot tantisque terrarum ſpatiis a Suecia disjunctus, Coronationem Tuam votis ac laudibus proſequi inſtituerim; atque ut ſunt temeraria plerumque ac maligna hominum judicia, quidam levitatem, alii ambitionem, nonnulli adulationem interpretabuntur. Ego vero cum ab hujusmodi vitiis longiſſime ſim remotus, in iis excuſandis atque a me depellendis non magnopere laborabo, de aliorum prava exiſtimatione & ſiniſtra interpretatione ſecurus, modo ſuffragio tuo ac judicio approber: Verum tamen conſilii mei rationem, ſi quis à me exigat, equidem reddere nequaquam detrectabo. Id enim probi ac honeſti hominis officium eſſe arbitror, ut non ſolum omnium actorum ſuorum, ſed etiam dictorum rationem reddere, praeſertim coram viris bonis ac prudentibus, cujusmodi huc undique conveniſſe video, promptus ſemper ac paratus ſit.

Ego igitur, cum apud me reputarem, hanc Regiae Majeſtatis Tuae Coronationem, non unius Suecici regni peculiarem eſſe celebritatem, ſed omnium hominum eſſe communem, ad quos notitia meritorum Tuorum, & Suecorum fama atque exiſtimatio permanavit: huic quoque feſtivitati inſerere me, & vocem meam ac vota miſcere, non abs re fore duxi. Ac Minervae quidem Saiticae ſola duntaxat Aegyptus feſtum diem celebrare conſueverat; eoque die univerſam Aegyptum facibus in Deae honorem accenſis colluſtratam, gratiſſimum oculis ſpectaculum erat videre. Hanc vero Suecicae Palladis celebritatem non Sueciae ſolum, ſed univerſae ſimul Europae, & toti Chriſtiano nomini feſtivam ac ſolemnem eſſe convenit. Equidem fateor Suecis pro-

prio quodam jure prae ceteris gentibus hanc ſolemnitatem competere: quippe quorum Regina ſanctiſſimis ac celeberrimis caerimoniis hodie conſecrata, Regium diadema ſuſcipiat. Quamobrem eos ſingulari quodam gaudio exultare, ac Reginam ſuam venerari par eſt; in qua avitum Regiae Majeſtatis inſigne, in qua maximi GUSTAVI expreſſam imaginem agnoſcunt. Sed tamen iidem non moleſti patientur, partem quoque hujus gaudii ad amicos & foederatos ſuos pertinere. Licet etiam extraneis ad hujus pompae ſpectaculum accedere. Quibus certe affatim ſuppetet, quod mirentur, quod domum reverſi propinquis ac familiaribus ſuis referant. Nam ſive gemmarum ac lapillorum nitorem, ſive auri argentique ſplendorem, ſeu curruum magnificentiam, ſeu equitum ſpeciem, ſeu denique totius pompae ordinem conſideres, juvat paſcere oculos, ac totius orbis divitias in unam urbem congeſtas & cumulatas intueri. Sed inter tot artis ac Naturae decora, nihil pulcrius, nihil viſendum ac mirandum magis, quam ipſa CHRISTINA, quae omnium oculos non popularium modò, ſed etiam exterorum in ſe convertit. Denique legatos Regum ac Principum, ac liberarum civitatum, ex longinquiſſimis regionibus huc conveniſſe video, qui Reginae ac regno Suecico gratulentur, qui hanc ipſius felicitatem firmam ac perpetuam eſſe optent, ac Reginae multos annos precentur, ejusque gratiam omnibus modis, omni officiorum genere, certatim demereri ſtudeant. Hos inter, quae partes tuae ſunt, dicet aliquis? Ego verò nec gemmarum, nec auri fulgorem ſpectaturus adveni, quippè cum domi & in patria ſedens id genus ornamentorum ſpectare potuerim; nec eorum, quae vulgò mortales concupiſcere ſolent, admiratione capiar, magnamque Divino Numini gratiam habeo, quod mihi adverſus haec hebetem oculorum aciem impertiit, quò facilius ea poſſem contemnere. Igitur, ut adventus mei cauſam tandem aperiam, Muſarum nomine legatus acceſſi, Tibi gratulaturus, CHRISTINA, ob eximiam ſapientiam atque doctrinam, & Coronam Tibi oblaturus ipſis Muſarum manibus contextam. Quod niſi me fallit animus, hanc legationem, & Muſarum hoc munus nequaquam averſabere, quippé cum Muſarum Te alumnam eſſe memineris, nec Sapientiae laudem Regali Majeſtate inferiorem eſſe exiſtimes.

Caeterum duplici potiſſimum nomine, CHRISTINA, Muſae noſtrae Tibi hodie gratulantur: Primum quòd ſe ex Germania, atque ex omni propè terrarum orbe fugatas, exſules atque errantes ſine honore, ſine tecto, palatio Tuo honorificè excepiſti, & cubiculum ipſis, aut potius pectus tuum aperuiſti, auresque tuas non fabulis atque aſſentatorum blanditiis,

ditiis, ſed divinis ipſarum ſermonibus commodâſti. Magna laus & admiratione omnium digna, quòd tu hac aetate, hoc ſexu, in tantis opibus, ac tantâ felicitate Regni, ſub hoc coelo, inter populos Martis potius quam Muſarum artibus deditos, non ad luſus ac delicias aetati ac ſexui congruentes, non ad voluptates & luxum, ſuperbiamque Regalem, non ad cupiditatem amplificandi regni, aut ad praedas ex vicinis gentibus congerendas animum convertiſti: ſed ingenium Tuum igneo quodam ac caeleſti vigore praeditum, Muſis excolendum ac perpoliendum tradidiſti: ut praeceptis ſapientiae altioris imbuta, te ipſa primum, ac deinde ſubditos Tibi populos praeclare, & cum omni laude regere poſſes. Nec erubuiſti, in tanto faſtigio collocata, operam dare humanioribus literis, & libros prudentiſſimorum utriusque linguae ſcriptorum evolvere, idque non leviter ac perfunctorie, ut fere Principum mos eſt, ſed ſerio ac diligenter, praecipuum hoc Tibi negotium poſt regni curas, imo cum curis ac negotiis Principatus Tui copulandum eſſe exiſtimans. Non minimam enim diei partem abs te in hoc ſudore conſumi certiſſimis teſtimoniis accepi. Quo quidem facto tanquam lata ſententia condemnaſti Nobiles illos, qui literas ſpernunt, quas nimirum prae ingenii tarditate aſſequi ſe poſſe desperant, & qui pudori ducunt latine loqui, quaſi non multo magis pudendum ſit barbare loqui ac Teutonice, quam Latina, id eſt, priſcorum Caeſarum lingua. Ac ceteri quidem Reges & Principes ſatis habent ingentes librorum acervos undecumque colligere, & Bibliothecas immenſi operis exſtruere, quaſi inter ornamenta Regiae domus Bibliotheca numeranda ſit. Tu quidem hac etiam in parte Ptolemaeos & Attalos Reges longo intervallo ſuperaſti. Sed hoc inani ſpectaculo minime contenta, pervolvendis magnorum hominum operibus quotidie vacas, ut hac librorum ſupellectile non ditior modo, ſed etiam doctior fias atque ſapientior: Itaque Bibliotheca Tua non aliorum magis utilitati ſervit quam Tuae, neque ad pompam aut inanem oſtentationem, ſed ad uſum comparata eſt. Ac licet immenſa librorum multitudine referta ſit, vix tamen Tuae mentis ardorem ac ſitim poteſt exſtinguere. O quantus Tibi ex hujusmodi labore fructus propediem acceſſurus eſt! quantam brevi honoris ac gloriae meſſem colliges! Audiſti enim Heſiodum, ut arbitror, (quid enim eſt quod neſcias?) qui Muſarum praeſtantiſſimam Calliopen, ſemper in comitatu eorum Regum, qui virtute praediti ſunt, verſari dicit, & mirabilem quamdam verborum ſuavitatem ac facundiam in os eorum inſtillare, eximiam denique judicandi peritiam ac ſolertiam iisdem impertiri. An ullum munus poteſt eſſe majus his at-

que praeſtantius, & quod à Regibus ac Principibus magis ſit concupiſcendum? Utrumque porro jam abſolutum ac conſummatum in Te, CHRISTINA, cernimus, facundiam ſcilicet atque juſtitiam. Quae quidem licet jam cumulata videri merito poſſint, creſcent tamen adhuc in dies, & novis ſubinde progreſſibus augebuntur: Quippe cum ingenium Tibi uberrimum ac fecundiſſimum Natura conceſſerit, neque, ut ceterorum hominum, anguſtis finibus comprehenſum, ſed quod in immenſum augeri poſſit ac ſurgere. Ad haec aſſidua veterum librorum lectio novis quotidie opibus mentem Tuam locupletabit. Habitura es igitur Platonem & Ariſtotelem adſeſſores atque adminiſtros conſiliorum Tuorum. Uteris M. Tullii ac Senecae ſapientia, & qui ſingulos legendo quotidie miramur, in te omnium dotes ac congeſtam ſapientiam ſuſpiciemus. Viden', CHRISTINA, quam minime ingratae ſint Muſae, & quot quantisque beneficiis remunerentur Reges ac Principes, à quibus comiter ac liberaliter ſunt acceptae? O divine Plato tua ſunt omnia dicta & cogitata praeclare! Tu dicere ſolebas, beatos fore populos, cum hi, a quibus regerentur, Philoſophiae operam dare inſtituiſſent. Dictum hoc ſapiens omnium ſaeculorum eventus confirmavit. Sed, pace tua dixerim, illud etiam adjungere debueras, Reges ipſos tunc demum beatos futuros, cum ſe totos Sapientiae ſtudiis dedidisſent. Certe, CHRISTINA, eo Te maxime felicem prae ceteris Regibus judico, non quod plurimis ac fortiſſimis gentibus imperas, nec quod opibus abundas ac divitiis; id enim etiam Craeſo contigit & Aridaeo, aliisque innumeris Regibus, quibus Regale faſtigium nihilo plus contulit, quam ut ſtultitiam ſuam atque levitatem ex illuſtriore loco ſpectandam omnibus exhiberent. Sed Te idcirco beatam omnes exiſtimamus, quod Regiae Majeſtati Philoſophiam comitem adſciviſti, quod Sapientiae praeceptis Tuos primum, ac deinde ſubditorum mores formare atque animos excolere inſtituiſti.

Verum, ne quis fortaſſe Muſas ſuo dumtaxat nomine Tibi gratulari exiſtimet, ac ſuam tantummodo utilitatem ſpectare, alteram quoque gratulationis cauſam habent, eamque publicam. Quaenam vero eſt, inquies? Pacem intelligo, quam Tu, CHRISTINA, toti Germaniae atque Orbi Chriſtiano humaniſſime indulſiſti. Nam tametſi Galli & Hiſpani nondum pace potiantur, Tu tamen quidquid in Te erat praeſtitiſti, ut ea ſimul omnes frueremur. In quo ſingularem prudentiam Tuam & humanitatem ac pietatem ſatis equidem mirari non poſſum. Nam cum Rex fortiſſimus GUSTAVUS, felicis memoriae, Pater Tuus, pluribus annis bellum

ſum in Germania geſſiſſet, & multas urbes atque provincias ſub ditionem ſuam redegiſſet, cum poſt ejus triſtem interitum Duces Sueciae auſpiciis Tuis ingentes victorias retuliſſent, & Auſtriacos graviſſimis cladibus affeciſſent, tandem tempus ineundae pacis Tibi adveniſſe prudentiſſime intellexiſti. Quod enim oportunius poteſt eſſe tempus firmandae paci, quam dum victores hoſtium ſumus? Certe ut in aleae ludo, ſi res parvas cum maximis licet componere, prudentiſſimi habentur, qui cum lucro diſcedunt, nec exſpectant dum adverſo fortunae caſu quidquid diu lucri fecerunt, ſemel amittant: ſic in alea belli ſummae prudentiae eſt, quamdiu ſuperior ſis, pacem cum hoſte jungere. Nam quicumque ſerius pacem fecerunt, iniquioribus eam conditionibus ſemper feciſſe deprehendentur. Igitur cum incertos Martis eventus animo reputares, cum juventutem Suecicam diuturno bello conſumi videres, cum incendia, caedes, direptiones, aedium ſacrarum profanationes, ſtupra, adulteria, ac cetera id genus ſcelera, ſine quibus bellum exerceri non poteſt, penitus abhorreres; cum tot ac tantis malis, & Germaniae cladibus finem imponere, religionem, juſtitiam, ac bonas artes, quaſi poſtliminio reſtituere velles, pacem concupiviſti, quam nemo umquam niſi bonus concupivit, nemo ſine divino quodam inſtinctu & auxilio adamavit atque perfecit. Multos quidem partim ex Tuis, partim ex ſociis ac foederatis, huic conſilio Tuo adverſos experta es. Sunt enim quamplurimi, ac paene omnes, quotquot in conſiliis Regum verſantur, ſuis potius quam Dominorum ſuorum utilitatibus addicti, & qui privatum potius quam publicum commodum ſpectent. Hi quo diutius poteſtatem ſuam retineant, & ob multitudinem ac difficultatem negotiorum Reges ſibi obnoxios habeant, utque majorem adipiſcantur praedandi facultatem, aut denique ut terrori ſint ceteris, Principes ſuos ad bellum impellere ſolent, & Pacis conditiones omnibus modis atque artibus diſturbare. Quos equidem non homines, ſed furias ac peſtes generis humani habendos cenſeo. Sed Tu, CHRISTINA, neglectis eorum conſiliis, ſuperatis dolis ac fraudibus, Pacem Germaniae firmam ac ſtabilem eſſe voluiſti, ac exemplo Tuo ceteros Principes, ut idem vellent, miſſis etiam legationibus incitaſti. Nec Te tot proſperi eventus, tot victoriae partim fortiſſimi Principis Parentis Tui ductu, partim etiam auſpiciis Tuis partae, ad inſolentiam & faſtum, nec hoſtium prope jam fractae ac debilitatae vires ad pacis contemptum extulerunt, quod quibusdam accidere ſolet, qui prae animi imbecillitate ſecundam fortunam ferre non poſſunt. Tu victoriis ac triumphis omnibus celſiorem animum geſtans, & quanto potentior, tanto hu-

Digitized by Google

humanior, ſpreviſti tandem laureas, quae Chriſtiano ſanguine tinctae eſſent, & ex moderatione animi, ex humanitate, & prolixa erga omnes beneficentia, quam ex Germaniae vaſtatione atque excidio laudem quaerere maluiſti. Quod quidem facinus tam neceſſarium, tam illuſtre atque glorioſum eſt, ut nulla unquam oratione ſatis luculente poſſit explicari.

Verum ut tanti muneris magnitudinem, quod CHRISTINAE acceptum ferre debemus, aliqua ex parte intelligere valeamus, proponamus, ſi placet, ante oculos, quam foeda ac miſerabilis nuper fuerit facies Germaniae; quot quantisque lacerata ac divulſa factionibus atque diſcidiis univerſa paene fuerit Europa. Credidit olim Antiquitas, pernicioſos quosdam ac malevolos Daemonas certis temporum intervallis ex Inferorum ſedibus excitos terras pervagari, & discordias, clades atque incendia & cujusquemodi calamitates in Orbem invehere; cujus dicti veritatem triſti experimento noſtra aetas comprobavit. Etenim peſtiferae Bellonae rabies per univerſam Europam duitiſſime debacchata eſt. Principes inter ſe colliſi plus odiis quam armis decertarunt. Populi Principum ſuorum furore abrepti, in ſe mutuo concurrerunt. Quot domus, quot urbes, quot provinciae funditus exciſae? Fumant adhuc incendio tecta, & ſemiuſtarum urbium triſtes reliquiae viſuntur. Adeo furoris noſtri monumenta etiam a poſteris ſpectari voluimus, ut erubeſcerent nepotes, quod nos ipſos admittere non puduit. Vidimus viros nobiles & matronas cum liberis ad ultimam egeſtatem redactas. Vidimus viros religioſos ac virgines Deo conſecratas, ex iis aedibus, quas pietas avorum ipſis exſtruxerat, ut a ſaeculari contagio remotae Divino cultui purius miniſtrarent, pulſas ac fugatas. Quis cladem illius belli, quis funera poſſit recenſere? Audeo dicere nullum omni aevo bellum tam atrox, tam diuturnum, tam tetrum atque internecivum, in tot gentes populosque diffuſum unquam exſtitiſſe. Etenim omnes propemodum Europae Principes eo bello implicati atque involuti ſunt: omnes Chriſtiani nominis provincias haec flamma corripuit. Daci quoque ac Turci, moto adverſus Venetos bello, in partes venêre. Nullo unquam bello tot urbes vi expugnatae, tot praelia conſerta, tot Duces, tot Reges interfecti, novi Principatus conditi, nova Regna exorta, vetuſtiſſima exſtincta atque abolita ſunt. Sed tota belli tempeſtas praecipue in Germaniam incubuerat. Ab ea primum orta mali vis, in ipſius potiſſimum viſcera deſaevierat. Vaſtata principio a ſuismet popularibus, per multos deinceps annos exteris praedae ac ludibrio fuit. Cum interim nemo pacis mentionem ullam faceret, ne is, qui prior mentionem feciſſet, inferiorem ſe ad-

ver-

verſario fateri videretur; &, extinctis jam belli cauſis, bellum tamen nihiloſecius gerebatur; idque conſiliis eorum, qui Regibus aſſidebant, ſubinde tanquam ſubmiſſis fomitibus alebatur ac propagabatur in dies. In hac tanta Orbis Chriſtiani caligine, in hac perturbatione omnium rerum, Tu, CHRISTINA, velut ſalutare ſidus Germaniae affulſiſti: Tu noctem ac tenebras ortu Tuo diſpuliſti: Tu lucem ac vitam omnibus reddidiſti: per Te jam licet reſpirare Germanis: per Te commercia libere miſcere, & ultro citroque commeare peregrinantibus licet: per Te jam florere incipiunt ſtudia literarum, & depoſitis ſcutis ac gladiis, libri & calami ſecure tractantur: Iam Scholae reſerantur; nec literis modo, ſed etiam religioni ſuus honos rediit; &, reſtitutis in priſtinum locum ſacerdotibus, divinae caerimoniae celebrantur. Quid dicam de juſtitia, modeſtia, continentia, ceteriſque virtutibus, quae quod nunc demum caput attollere incipiunt, totum id, CHRISTINA, muneris Tui eſſe omnes confitentur: Haec bona nobis attulit pax Tua: quam ego quidem omnibus fortiſſimi regis patris Tui victoriis longe antepono; victoria enim innumeri homines debilitantur ac trucidantur, pace ſervantur: Et victoriae quidem utilitas ad ſolos fere victores pertinet; qui tamen nullum ex ea fructum, niſi firmata demum pace, capere poſſunt: pax vero cum per ſe ipſa expetenda eſt, ejus utilitas victoribus victiſque communis eſt, nec in finitimos ſolum, ſed etiam in remotiſſimos longe lateque diffunditur: adeo ut Principes, qui pacem amplectuntur & colunt, de univerſo genere humano bene meriti eſſe videantur: poſtremo in victoria maximam ſibi partem Fortuna vindicat, & milites quoque operam ſuam praedicare merito poſſunt: pacis initae tota laus Tua eſt, ſine ſocietate ac participatione cujuſquam. Quo magis enitendum eſt Tibi, atque omnibus modis providendum, ut pacem hanc, quam feliciter ac bono Chriſtiani nominis pepigiſti, tamquam opus tuum, cujus artifex fuiſti, ſartam tectamque tueare, eamque exſequi ac promovere contendas. Sic enim prorſus debes exiſtimare, non Germaniae modo, ſed totius Europae oculos in Te unam eſſe converſos; nec Sueciae tantum regnum, quod ipſum per ſe ampliſſimum eſt, ad tuam curam ac ſollicitudinem pertinere: ſed orbis terrarum felicitatem, quantum in te eſt, abs te curandam eſſe atque adjuvandam. Ideo tibi maximum imperium, ideo ſummam inter reges auctoritatem & gratiam, ideo ingenii ac judicii vim eximiam Deus impertiit, ut tuis primum populis, deinde vicinis gentibus, atque etiam remotiſſimis prodeſſes. In tuis manibus hodie ſtant fata Germaniae. Moſcovitae, Turci, Daci ac Poloni gratiam ac benevolentiam Tuam ſtudioſe ex-

Digitized by Google

petunt: apud Chriſtianiſſimum Galliae Regem quantum auctoritate valeas nemo neſcit: proinde operam des oportet, ut tantis dotibus a Deo Tibi conceſſis ad Chriſtiani orbis pacem ac decus utaris; hac via ad immortalitatem itur: his artibus Carolus Magnus, his Ludovicus noſter, qui Nonus eo nomine eſt appellatus, aeternam ſibi memoriam compararverunt. Equidem exemplum ſexus tui, quo te ad tantum opus, quod feliciter inchoaſti, abſolvendum exhorter, nullum habeo, praeſertim cum Tu omnes ſuperioris memoriae Reginas longo intervallo ſuperaveris; Sed tu venturis poſthac Reginis exemplar eſto: actus tuos inpoſterum intueantur Reginae, ad quorum normam vitam ſuam dirigant. Perge, SERENISSIMA CHRISTINA; nihil abs Te novum requirimus; tantum ut, quo pede coepiſti, deinceps velis progredi. Noli unquam abiicere ſtudia literarum, in quibus tantopere jam profeciſti. Noli Muſas bonas hoſpites ac placidas eiicere. Sed ſic apud Te ſtatue, quarum artium ſtudia adamaſti, nihil eſſe iis aut ad laudem illuſtrius, aut ad fructum copioſius, aut ad oblectationem animi jucundius, aut ad res gerendas aptius atque praeſtantius: Néminem umquam Regem Muſas coluiſſe poenituit: poſſem tibi plurimos Reges atque Imperatores percenſere, qui ex Muſarum ac Sapientiae cultu uberrimos fructus perceperunt; qui quidem & dum in vivis eſſent, doctorum hominum monumentis commendati ſunt, & mortui vigent ac regnant quodammodo in ore ac memoria eruditorum virorum. Eſt enim certe, eſt quaedam Reſpublica literarum, quae interdum floret, interdum decreſcit ac labitur, prout Reges ac Principes illam aut ſublevant aut contemnunt. Ceterum interitus expers, nec ſolum immortalis ipſa eſt, ſed etiam immortalitatem optimo cuique largitur: Huic Te Reipublicæ hodie praeſidere ſi dixero, nulli Regum hujus aetatis injuriam a me factam putem. Accipe igitur aequo animo, CHRISTINA, hanc coronam, quam Muſae noſtrae, imo jam Tuae, ſuis Tibi manibus imponunt: quam non avita ſucceſſio, non procerum ſuffragia tibi detulerunt; quae non auro gemmisque conſerta eſt, ſed laude & gloria contexta; quae non natalibus, ſed virtuti, induſtriae, ac doctrinae tribuitur; qua non caput, ſed ingenium coronatur: Regalis quidem corona ad poſteros hereditario jure transmittitur; haec propria eorum eſt, qui illam ſua virtute meruere; & illa quidem nonnumquam ex regio capite decutitur: mors certe tandem illam vel invitis abſtrahit: hanc vero cum ſemel Muſae capiti cujuspiam circumdederunt, ne mors quidem ipſa illi umquam ereptura eſt.

Ex-

Executus ſum, SERENISSIMA ac DOCTISSIMA REGINA, officium legationis meae, quam cum placidiſſimo animo & attentiſſimis auribus audieris, reliquum eſt, ut, quemadmodum Legatis fieri ſolet, blanda reſponſione, aut, ſi hoc arrogantius eſt, nutu ſaltem benevolo proſequi me, atque hoc favoris indicio cohoneſtatum domum dimittere non graveris.

D I X I.



IN NUMMUM AUREUM
C H R I S T I N A E
Suecorum Reginae,

ex altera parte Solis, ex altera Minervae galeatae
ramum olivae ſpectantis imagine ſignatum

D I S T I C H O N.

Sol nova Vandalicae ſtupet ad miracula terrae
Et ſe CHRISTINAE cedere Pallas ait.

Aliud.

Phoebus Hyperboreas cum Pallade ceſſit ad oras,
Hinc veſtros vatum turba ciete Deos.

Aliud.

Nunc meliora licet ſperetis ſaecula, Docti:
Altera jam Pallas, Phoebus & alter erit.

Digitized by Google

Aliud.

Unum non potuit CHRISTINAM abſolvere numen:
Perficere illam Dii vix potuere duo.

Aliud.

Palladis eſt ſedes nunc Holmia; cedite Athenae:
Haec Soli domus eſt nunc ſacra; cede Rhodos.

Aliud.

Ὄλμια νῦν γε Θεᾶς ἔσται πόλις; ἔῤῥετ' Ἀθῆναι:
Νῦν Θεὸς αἱρεῖται Ὄλμιαν; ἔῤῥε Ῥόδος.

Aliud.

Arctoas cum Sol luſtraret lampade terras,
CHRISTINAM adſpiciens, tun' mihi Pallas? ait.

HENRICUS VALESIUS.

Aureum hoc Chriſtinae celebratiſſimae Suecorum Reginae numisma, cujus ectypum hic curavimus exprimi, ex Sarravii Epiſt CCXXX quam ad Iſaacum Voſſium ſcripſit, deſumtum eſt. Illud autem carminibus ſuis cum celebraverint non pauci praecedentis ſeculi viri docti, ac poëtae, non abs re fore duxi, ſi Sarravii, Hadriani Valeſii, Hueti ac Guyeti epigrammata hic in lectoris conſpectu exhiberem, ac Henrici Valeſii noſtri verſibus ſubnecterem, ut inter ſe a peritis harum elegantiarum arbitris conferri poſſent:

CLAUDII SARRAVII.

Attica falſa fuit, ſed vera haec Arctica PALLAS,
Dicere me verum, Sol mihi teſtis adeſt.

Si coluiſſe voles Phoebum & coluiſſe Minervam,
Tu cole CHRISTINAM, Numen utrumque colens

Objectam Pallas galeata aſpectat olivam:
Elige ſeu pacem, ſeu magis arma velis.

Imperio digna haec facies armata MINERVAE,
Solis ab Eoo cardine ad Heſperium.

Sol radios expande tuos, ecce aemula terris
CHRISTINA affulget lumine inoccidue.

Attica quae quondam fuerat, nunc Arctica PALLAS
Dat ſua, dat Phoebi pleniſſima munera terris.

Haec Sarravii ſex Epigrammata poſt Epiſtolam ejus ibidem pag. 230. ſequuntur. HADRIANI autem VALESII, Henrici Fratris, carmen habetur in Ejus Epiſt. ad Nic. Heinſium in Tom. V. Sylloges a Venerando Patruo meo editae Epiſt. DCXV. pag 700.

Adſpirat ſtudiis jam non Tritonia, Pallas.
CHRISTINA, & pacem bellaque virgo gerit.
Quis dubitet binos Soles quondam aethere viſos?
En habet & Solem terra Suëva ſuum.
Splendore aequiparat Solem, virtute Minervam.
CHRISTINA, & binos induit una Deos.

Ita

Digitized by Google

Ita leguntur illic hi Valeſii verſus, ſed rectius, ut puto, in Poëmatibus Ejus, quæ Valeſianis adjunguntur, pag. 55. exhibentur tribus diſtichis ſeparatis, additis inſuper his duobus:

Altera jam Pallas ſub ſeptem nata Trione,
Nunc te, & Tritonem conde, Minerva, tuum.

Aliud.

Solis habet radios majeſtatemque coruſcam
CHRISTINA, & magnae Palladis ingenium.

HUETII etiam elegans in eumdem hunc nummum Epigramma legitur inter Ejus carmina a Celeberrimo Graevio edita pag. 27.

Phoebus CHRISTINAE pictos in imagine vultus
Ut vidit, tales miſit ab ore ſonos.
CHRISTINAM quisquis ſe pingere poſſe putarit,
Pingere ſequi mea his lumina poſſe putet.

Laudat quoque GUIETI verſus hac de re ſcriptos Menagius in Menagianis Tom. I. pag. 372:

Haec paces, haec bella gerit, velut altera Pallas:
Haec radiis gelidam, Solis vice, temperat Arctum.

Quos iterum exhibens Moneta in Tom. III. pag. 398. addit Graecum hoc Abbatis Guieti epigramma:

Εἰρήνην τε πόλεμον φέρει ὥσπερ Ἀθήνη,
Καὶ περὶ ᾧ θάλπει κρυερὸν ὡς ἥλιος ἄρκτον.

Menagii item Epigramma LI. in Chriſtinae imaginem ſcriptum tale eſt:

Caſtalidum quae regna tenet, quae Gothica liquit,
Aurea CHRISTINAE Virginis ora vides.

Sed quod ad hunc nummum non pertinere arbitror, uti nec illud, quod verſibus aliquot in imaginem Chriſtinae a Roberto Nantolio Chalcographo expreſſam compoſuit: Utrumque legitur inter illius Poëmata pag. 106. & 108.

HENRICI VALESII,

ORATIO

In Obitum

JACOBI SIRMUNDI,

Societatis Jeſu Presbyteri.

habita anno 1651.

QUICUNQUE magnorum Virorum laudes oratione funebri praedicare inſtituerunt, AUDITORES ORNATISSIMI, hoc potiſſimum conſilio id praeſtitiſſe mihi videntur, ut vel mortuorum nomen ad aeternam Poſteritatis memoriam conſecrarent, vel praeſtantibus hominum meritis hanc velut honoris & gloriae mercedem perſolverent, vel certe ut privatum aut publicum dolorem hujusmodi ſolatio mitigarent. Nobis vero in praeſentia quidem non magnopere laborandum eſſe video, ut ejus Viri, cujus exequias honoramus, nomen a ſitu & tenebris vindicatum aeternitati commendemus: id enim ipſe dum vixit, publicatis ingenii ſui monimentis adeo cumulate praeſtitit, ut jam nos hoc labore prorſus levati ac liberati eſſe videamur: nec dubium eſt quin, quamdiu ſuus honor literis ſtabit, quamdiu hiſtoriae, quamdiu antiquitatis, & humaniorum artium ſtudioſi ſupererunt, tamdiu JACOBI SIRMUNDI nomen celebre atque illuſtre inter eruditos futurum ſit. Quod igitur reſtat, ut memoriae hominis praeſtantiſſimi, ac de literis optime meriti honos habeatur, utque moerorem veſtrum, qui tanto lumine orbati eſtis, oratione noſtra mollire ac lenire ſtudeamus, id cunctis, ut equidem ſpero, faventibus aggrediemur: hoc enim & illius Viri amplitudo, & amicitiae vinculum, quae mihi cum ſuperſtite interceſſit, & veſtra omnium vota poſtulare mihi videntur, ut homini, quoad vixit, optimo, humaniſſimo, atque amiciſſimo, debita laudis, humanitatis, atque amicitiae officia impendamus. Neque vero committendum eſt, ut cum Regum, Principum & Magnatum funera ejusmodi orationibus celebrari conſueverint, Viris doctrina, atque eruditione excellentibus idem honos a nobis de-

denegetur: quippe abſurdiſſimum meo judicio fuerit, illiteratis quidem hominibus honorem ex literis haberi, eos vero, qui totam aetatem literis juvandis ac promovendis impenderunt, qui, dum viverent, reipublicae litterariae decus atque ornamentum fuerunt, hoc litterarum munere atque officio minime exornari.

Ac principium quidem ejusmodi orationum fere ex majoribus ducitur, ut & is, cujus exequiae celebrantur, majorum ſuorum illuſtretur laudibus, & viciſſim ex nepotis laudatione non mediocris gloriae pars ad majores redundet; nobis vero, qui religioſi propoſiti hominem praedicare ſuſcepimus, hic nobilitatis locus parum neceſſarius videtur: non quod ejusmodi ornamentum nobis deſit, quippe qui vetuſtiſſimam ac nobiliſſimam apud Arvernos SIRMUNDORUM familiam fuiſſe non ignoramus: Sed quoniam ipſe ejusmodi natalium ornamenta contempſit, nos quoque aequum eſt, iis neglectis ac praetermiſſis, ad alia longe potiora orationis curſum promovere. Liceat illis, qui in ſe ipſis nihil laude dignum habent, ex majorum laude ac nobilitate gloriam captare; quos equidem Lunae comparare ſoleo, quae, cum propria luce careat, lumen ſuum a Sole mutuatur; ſic iſti cum proprio ſplendore deſtituti ſint, ad majorum virtutem confugiunt, qua vitia ſua contegi, ac ſe ipſos illuſtrari poſſe arbitrantur: Hi vero, qui ſua ipſi virtute nituntur, & qui ſuo labore famam ſibi decusque pepererunt, nullum extrinſecus adminiculum, nullum adſcititium ſplendorem deſiderant. Porro cum omnes homines animo conſtemus & corpore, quorum alterum commune cum brutis; alterum ſpiritalis cujusdam, divinaeque naturae participem habemus; duplicem quoque nobilitatem in ſingulis hominibus ſpectare debemus. Quarum altera, quae ex corpore ducitur, deterior ac vilior ſit neceſſe eſt, quippe quae ex deteriore atque ignobiliore hominis parte deſcendat. Itaque plurimi ſapientia ac virtute excellentes viri hanc nobilitatem utpote nocti ac tenebris addictam, & ſanguini tamquam luto penitus affixam atque immerſam merito ſpreverunt; nec qui, aut unde eſſent, quibusve parentibus prognati, familiaribus ſuis commemorare voluerunt: Altera nobilitatis ſpecies ex animo petitur, quae ſola, non dicam meo, ſed omnium prudentum judicio, nobilitatis nomen meretur; nam illa quidem caduca ac mortalis, in terram abjecta ac depreſſa, fluxa atque inſtabilis, quippe quae dari adimique poſſit, ad haec incerta ac dubia, teſtibus & tabulis plerumque confictis ac ſuppoſitis comprobatur: haec vero perinde ac animus ipſe immortalis eſt, nec morti, nec Principum violentiae obnoxia,

ipſa

Digitized by Google

ipſa per ſe ſine alterius teſtimonio eluceſcit. Hanc ergo mihi praecipue nobilitatem in JACOBO SIRMUNDO conſidera, quam ille ſolam concupivit, quae ſola digna eſt homine, digna Chriſtiano, digna religioſae profeſſionis Viro. Quaenam vero ſunt hujus nobilitatis inſignia, dicet aliquis, ex quibus nobilem ab obſcuro & ignobili dignoſcere valeamus? Non alia certe, quam quibus ſollertem a ſtupido, doctum ab imperito, virum bonum ab improbo diſcernere ſolemus. Etenim ſi rem ipſam attentius perpendere voluerimus, tribus maxime rebus homines aliis hominibus praecellere, & ſupra ceteros eminere reperiemus; ingenio ſcilicet, doctrina, atque virtute. Haec ſunt quae viros claros & ſpectabiles & illuſtres efficiunt, potius quam Principum codicilli aut infulae dignitatum. Nam hujuſmodi codicilli & inſignia, umbram tantum honoris circumdant hominibus, idque modico temporis ſpatio, quamdiu aut in vivis agunt, aut magiſtratu ſibi delato funguntur: haec vero animi inſignia ſolidam gloriam non modo ſuperſtitibus, ſed etiam mortuis omnium judicio ac conſenſu praeſtant. Quae quidem omnia in JACOBO SIRMUNDO non vulgaria, ſed eximia ac ſingularia fuiſſe omnes, ut opinor, mihi facile aſſenſuri eſtis. Nam qui id negare voluerit, tot ilico argumentis ac teſtimoniis obruetur, ut aut imperitiam ſuam, aut, quod turpius eſt, malevolentiam fateri cogatur.

Atque, ut primo loco de ejus ingenio dicam, idem certe de illo, quod de Hortenſio, dici poteſt: SIRMUNDI ingenium ſimul agnitum, ſimul probatum fuiſſe. Ingenium autem appello lumen quoddam mentibus a natura inditum: ſeu potius vividum quemdam impetum, atque igneum vigorem ad ſumma quaeque tendentem: aut, ſi mavis, generoſam indolem & ſagacitatem, qua qui praeditus eſt, ad abditiſſimarum rerum atque rationum cubilia penetrat, & veritatem facile odoratur ac veſtigat, nec abſiſtit prius, quam illam, tanquam praedam ſuam, comprehenderit. Haec porro vis, quam dixi, emicat atque elucet plerumque in adoleſcentibus, corroboratur in Viris, langueſcit in ſenibus. Sed in JACOBO SIRMUNDO eadem, quae in adoleſcentia fuerat, in ultima etiam ſenectute vis ingenii permanſit. Adeo ut, quae corporis animique vires infringere conſuevit aetas, robur ingenii non fregiſſe in eo, ſed potius confirmaſſe videretur. Tanto igitur tamque felici praeditus ingenio SIRMUNDUS, non quemadmodum plerique adoleſcentum ſolent, illud aut deſidia deteri, aut voluptatibus corrumpi paſſus eſt: ſed velut opimum ac ferax ſolum aſſiduo labore ſibi excolendum putavit. Et quo quidem pacto adoleſcens inter

aequales in ſcholis eminuerit, atque ipſa magiſtrorum praecepta paene prius quam eſſent tradita comprehenderit, nihil hic attinet dicere, cum alia longe majora, ac plus admirationis habitura, nobis ad dicendum ſuperſint. Cum vero ex ephebis exceſſiſſet, nec minore virtutis quam diſciplinarum amore flagraret, in eam ſe ſodalitatem dicare conſtituit, in qua utriusque, tam doctrinae ſcilicet quam virtutis ſtudia ex aequo vigere ac florere animadverterat. Sic enim exiſtimabat, doctrinam quidem absque virtute, rem caſſam atque umbratilem eſſe, & quae plus interdum noxae afferat quam utilitatis: virtutem vero doctrinae conſortio deſtitutam, prorſus imperfectam ac mancam videri, quippe quae aliis prodeſſe vix poſſit: ceterum ambas ſimul junctas plus ponderis atque auctoritatis habere. Haec ille animo perpendens, illud etiam Sodalitiorum commodum cogitabat, quod homines eodem ſacramento adſtricti, abdicatis rerum humanarum curis, perfectae Sapientiae ſtudiis vacantes, mutuis ſe hortationibus atque exemplis viciſſim adjuvare poſſunt. Proinde ex omnibus Sodalitiis illud maxime expetivit, quod ab Sancto Ignatio primum inſtitutum, & virtutis gymnaſium, & diſciplinarum quoddam quaſi domicilium eſſe norat.

Tali collegio adſcriptus SIRMUNDUS, primum quidem Linguarum & Antiquitatis tam Graecae quam Latinae tantam ſibi peritiam comparavit; quantam ex ejus ſcriptis perſpicere poteſtis. His deinde quaſi fundamentis poſitis cum doctrinae vaſtos eſſe limites, & in immenſum diffuſos intelligeret, iis maxime ſtudiis ſeſe includere ſtatuit, quae & profeſſionis religioſae viro convenire, & plurimum utilitatis allatura eſſe cenſebat. Itaque ad Hiſtoriae & Antiquitatis Eccleſiaſticae notitiam totum ſe penitus applicuit atque addixit, ut non ſibi ſolum, ſed etiam Patriae, atque univerſae Eccleſiae prodeſſet. Quo quidem in genere ſtudiorum tantopere profecit, ut pares admodum paucos, ſuperiorem vero aetate ſua neminem habuerit. Cum vero partim felicitate ingenii, partim laboris aſſiduitate, ingentes doctrinae meſſes, ac theſauros collegiſſet, primum quidem Patriam ſuam, ac deinde totum Orbem Chriſtianum pretioſis ingenii ſui monimentis illuſtravit. In quo ſingularem ejus prudentiam ac modeſtiam mirari ſubit, qui cum eximiam doctrinam citiſſime eſſet adeptus, ſero tamen opera ingenii ſui publicare in animum induxit. Quod quidem tanti Viri conſilium atque exemplum, utinam tam noſtri, quam exteri ſequerentur; qui vixdum e ſcholis egreſſi indigeſta adhuc ſtudia in publicum extrudunt, & praematurae editionis famam potius quam ſolidam con-

conſummatamque doctrinam concupiſcunt. Longum eſſet hic percenſere, quot ille libros partim vetuſtiorum Scriptorum in lucem primus ediderit, partim Latino ſermone interpretatus ſit, partim etiam ſuo Marte compoſitos nobis reliquerit. Neque enim piget inter SIRMUNDI opera numerare libros optimorum Scriptorum, quos ille a ſitu & tenebris vindicatos publica tandem luce donavit. Nam & ejus diligentia atque induſtria laudanda eſt, qui tot antiquitatis monimenta undique conquiſivit, & benignitas praedicanda eſt, quod publico eos libros minime invidit, ſed exſcribendi, edendique laborem, ultro ſuſcepit. Quod vero ſumma fide eosdem edidit, notasque omnibus, aut praefationes adjecit eruditiſſimas, eo etiam nomine maximas illi gratias univerſi habere debemus. Ceterum inter hujus generis libros primas ſibi merito vindicat editio Conciliorum Gallicanae Eccleſiae. Quae non ſine ingenti quodam labore a ſe collecta, & pulcherrimo ordine digeſta atque illuſtrata, cum felicis memoriae Ludovico Regi Chriſtianiſſimo offerret, Eminentiſſimi Cardinalis Armandi Richelii honorificentiſſimo teſtimonio eſt exornatus. Quod quidem teſtimonium non tam ipſius Cardinalis Richelii, ut ſentio, quam totius Galliae commune ſuffragium debet videri. Ex alterius vero generis libris, primum occurrunt commentarii, quos in varios auctores ille tanta elegantia, tantoque cum judicio conſcripſit, ut nihil in eo genere perfectius eſſe poſſit. Atque, ut vel una ab Apelle ducta linea, manum praeſtantisſimi artificis olim indicaſſe dicitur; ſic unica JACOBI SIRMUNDI quantumvis brevis nota, ad doctrinam ejus declarandam abunde ſuffecerit. Sed celeberrimi & praeſtantisſimi omnium judicio ſunt ii libri, qui in contentioſo & pugnaci ſcribendi genere verſantur. Fuerunt enim illi non ſemel diſcidia ac certamina cum viris doctisſimis, de litterariis quibusdam quaeſtionibus; ex quibus ille ſemper ſuperior victorque, omnium eruditorum conſenſu, diſcesſit. Sentio me in ancipitem ac difficillimum locum incidiſſe, ut verendum mihi ſit, ne, dum JACOBI SIRMUNDI laudes perſequor, de eruditisſimorum hominum fama aliquid videar detraxiſſe. Sed tamen obſequendum eſt veritati, parendumque juſſibus veſtris, AUDITORES, qui me ad pergendum, cum attentione veſtra, tum benevolis nutibus invitatis. Neque enim vereor, ne hanc obtrectandi viris clarisſimis occaſionem de induſtria arripuiſſe videar, cum praeſertim in hunc ſermonem paene invitus deſcenderim, quo non mea me voluntas, ſed ipſa laudationis ſeries necesſitasque conjecit. Huc accedit, quod haec Oratio nullam contumeliam, nullam ignominiae labem adſpergere poteſt viris, & omnium

nium ſermone & merito ſuo celeberrimis. Qui ſi in hoc ſtadio ac pulvere litterarum victi ſunt ſemel a JACOBO SIRMUNDO, non id illis inhoneſtum ac probroſum debet videri. Neque enim, ut in acie aut in lucta, ſic in his ſtudiorum concertationibus aut victor efferre ſe debet jactantius, aut victus prae pudore erubeſcere ac iraſci. Sed utrumque *hieran*, ut veteres aiebant, facere convenit, & palmam ac coronam veritati utpote victrici conſecrare. Quippe fieri poteſt, fitque ſaepiſſime, ut is, qui modo victor fuit, ſtatim in alio opere cadat & corruat; is vero, qui inferior prius fuerat, in aliis poſtea conflictibus ſuperior evadat. Denique non ex unius certaminis eventu, ſed ex omnium ſcriptorum atque operum comparatione, hominum laus famaque aeſtimanda eſt. Igitur, ut ad SIRMUNDUM redeamus, primum illi certamen fuit de Regionibus Suburbicariis, cum viro aetatis noſtrae longe doctiſſimo, qui ex loco Rufini, tanquam ex arce quadam, auctoritatem Romani Pontificis impugnabat. Confecta res omnibus videbatur. Tam validis quippe argumentis ac rationibus ſententiam ſuam vir ille firmaverat, ut, non dicam vulgus imperitorum, ſed Cardinalis ipſe Perronius, vir, omnium conſenſu, rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus, neminem crederet poſſe reperiri, qui tantae machinae impetum retunderet. Sed continuo exſtitit JACOBUS SIRMUNDUS, qui pro Romani Pontificis auctoritate, id eſt, pro veritate ipſa propugnans, tribus libellis, quaſi totidem praeliis, ſic adverſarium ſuperavit, ut jam nemo ſit inter eruditos, qui non SIRMUNDI ſententiam ambabus, quod aiunt, ulnis amplectatur.

Secundum illi certamen fuit cum Petro Aurelio magni nominis Theologo, de canone quodam, ut vocant, Arauſicani Concilii. Quae quidem contentio longe gravior ac pericoloſior exſtitit quam prima. Nam in priore quidem conflictu omnes Catholicae profeſſionis homines a ſuis ſtantes partibus SIRMUNDUS habuerat. Sed in hoc poſteriore res ei erat cum homine verſuto & callido, qui Epiſcoporum cauſam defendendam ſuſceperat, totamque Theologiae ſcholam opinioni ſuae ſubſcribentem, velut auxiliares copias, ſecum trahebat. Accuſabatur falſitatis ab homine, qui nomen ſibi ipſe falſum adſcripſerat; & falſitatis illius, quae non levis momenti eſſet, ſed in re ſacroſancta commiſſa: neque in uno dumtaxat canone, ſed in tota mole, ipſo enim verbo utar Aurelii, Gallicanorum Conciliorum. Quid ageret SIRMUNDUS? An accuſationem illam ſilentio diſſimularet? id vero erat, crimen fateri, & exiſtimationem ſuam prodere. Cauſamne ſuam defenderet? illico omnes prope Epiſcopos ac Theologos, &

 non-

nonnullos etiam ex Sodalibus ſuis adverſos erat habiturus. In hac difficultate poſitus, ita cauſam ſuam defendere ſtatuit, ut nec Epiſcoporum Juriſdictionem, nec receptam in ſcholis opinionem laederet, & negativam particulam, de qua ſola erat controverſia, ex fide Manuſcriptorum Codicum, & cum ratione ab ſe adpoſitam eſſe monſtraret. Quod certe tam luculente praeſtitit primum in Epiſtola, deinde duobus Antirrheticis libris, quorum ultimum factione Aureliana diu ſuppreſſum eſſe meminimus, ut quicumque eos absque ullo partium ſtudio legerit, SIRMUNDO victoriam adjudicare cogatur. Pudet me profecto interpretationis Aurelianae: adeo ab omni ſenſu ac ratione, & ab ipſis verbis Arauſicani Canonis abhorret. Itaque fremant licet atque obſtrepant Aurelianarum partium ſectatores, ſemper vera habebitur Canonis illius editio & interpretatio, quae a SIRMUNDO prolata eſt. Aurelii autem lectio & explicatio ab omnibus doctis boniſque repudiabitur.

Omitto reliquas ejus velitationes, cujusmodi fuit illa de duobus Dionyſiis, & aliae quaedam, quas conſulto praetereo; ex quibus omnibus eamdem, quam ex prioribus, gloriam reportavit. Quod equidem non tam illius doctrinae, quam acerrimo judicio adſcribendum puto. Etenim in illo viro tanta judicii vis, quanta vix umquam in alio fuit: hancque propriam & praecipuam ejus dotem eſſe omnes conſentiebamus. Itaque cum ad maximum ingenium par judicii robur adjunxiſſet, illudque longo uſu ac diuturna meditatione confirmaſſet, non mirum videri debet, ſi invictus hoc tandem modo luctator evaſerit. Etenim in nulla operis parte aberrare, ſupra humanam ſortem poſitum prorſusque divinum eſt. Sed quicumque judicio prae ceteris pollent, id ſaltem aſſequuntur, ut, aut quam rariſſime, aut quam leviſſime peccent. Cum enim ad ſcribendum non levitate, ſed conſilio ferantur; hinc fit, ut minimam reprehendendi anſam adverſariis ſuis praebeant. Sed erit fortaſſe quispiam, qui JACOBUM SIRMUNDUM contentioſum ac rixoſum hominem fuiſſe ex eo colliget, quod de re litteraria tot controverſiis, ad extremam usque ſenectutem, tot jurgiis diſtrictus atque exercitus fuit. Eos vero, qui ita ſentiunt, animadvertere oportet, SIRMUNDUM, utpote quietis & otii amantiſſimum, ſemper invitum ac nolentem ad haec certamina deſcendiſſe. Certe, ſi rem attentius inquirere velimus, eum aut depellendae calumniae, aut propugnandae veritatis religioniſque cauſa in hanc arenam prodiiſſe deprehendemus. Verum, quando caſu quodam, aut potius tractu ipſo progreſſuque Orationis ad locum de moribus devenimus, pauca etiam de virtutibus illius dicenda ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ut totius Orationis continuus curſus ad metam usque tandem perducatur.

Ac ceteras quidem virtutes, quibus interior ejus vita ornata eſt, Sodalibus illius commemorandas relinquo, eas dumtaxat hic relaturus, quae in omnium conſpectu ac publica luce fulſerunt. Mira in illo comitas & humanitas, qua omnes adeuntes complectebatur. Ad haec modeſta gravitas, & ingenuus quidam pudor in ore ſenis emicabat, prorſus ut Proculum illum, quem virginis ſenectae Tertullianus appellat, referre mihi videretur. Numquam ille obſcenum aliquod verbum, aut turpiorem ſenſum ne inter legendum quidem ferre poterat. Mulierum colloquia, quae alii appetere ſolent, ſtudioſe vitabat. Neque vero illum ſenectus moroſum reddiderat. Juvenilis quaedam hilaritas in ſenis ore perpetuo reſidebat, adeo ut ex illius ſermonibus non doctiores modo, verum etiam laetiores rediremus. Animi aequabilitas & tranquillitas ei erat admirabilis: quippe qui nihil praeter virtutem atque doctrinam ac cœleſtia concupiſceret; ab omni ambitione & inanis gloriae cupiditate penitus alienus. Itaque in quibusdam libris nomen ſuum minime inſcripſit. Et cum inter Sodales ſuos maxima quaeque officia ſumma cum laude geſſiſſet, cum in aula Regis Chriſtianiſſimi verſatus fuiſſet; tamen privatum otium cum litteris ſemper honoribus antepoſuit. Evocatus Romam olim fuit ab Urbano beatae memoriae Pontifice Maximo ſuffragatione Eminentiſſimi Cardinalis Barberini, qui eximias SIRMUNDI dotes optime cognoverat. Sed Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus, ſuaſu quorumdam virorum eum Gallia excedere vetuit, ne tantus vir ad illuſtrandam Gallicanae Eccleſiae antiquitatem natus, Galliae eriperetur. Renuntiatum eſt illi non multo poſtea ab hominibus fide digniſſimis, eo conſilio ipſum Romam accitum fuiſſe, ut in ſacrum Purpuratorum ordinem adſcriberetur. Memoria teneo id ab illo, cum haec mihi narraret, additum fuiſſe, ſe, ſi in ipſo Romanae Urbis introitu hoc Summi Pontificis conſilium reſciviſſet, ſtatim eadem via in patriam fuiſſe rediturum. Quod equidem tanti viri de ſe ipſo teſtimonio facile credo. Idem multis poſt annis cum in aulam Regiam ad audiendas Principis Confeſſiones adſcitus fuiſſet, & in eo munere prudentiſſime ac religioſiſſime ſe geſſit, & tandem factione quorumdam dimiſſus ex Palatio, tanta animi moderatione & conſtantia id factum tulit, ut eum in aula numquam omnino vixiſſe diceres. Adeo omnem aulicae illius pompae memoriam penitus ex animo deleverat. Quid dicam de eximia illius frugalitate ac temperantia, cui acceptum referre ſolebat, quod integros corporis ſenſus, firmam-

mamque valetudinem ad extremam uſque aetatem retinuerat. Quid de ſingulari prudentia, de amore in Patriam, de ſtudio in Regem, de eximia erga Deum pietate? Qui cum difficillimis Reipublicae noſtrae temporibus Romae eſſet, quae urbs tunc temporis ob Religionis diſſenſionem Regis Henrici partibus minime favebat; nihilominus Regiae Majeſtati ſemper addictus devotusque permanſit, ſolam in Henrico Religionis Catholicae profeſſionem requirens. Quam tamen non armorum vi extorquendam, ſed votis ac precibus tum a Deo, tum Rege ipſo expoſcendam putabat. Dies me deficiet, ſi univerſas ejus virtutes Oratione velim percenſere. His tot tantisque animi dotibus ſummorum virorum amicitiam ſibi conciliavit. Uſus eſt primum familiaritate Petri Pithoei, & Nicolai Fabri, ex quorum colloquiis numquam ſe niſi doctiorem disceſſiſſe ſaepenumero mihi teſtatus eſt. Baronio quoque, Bellarmino, Oſſato, & Barberino Cardinalibus Eminentiſſimis in primis acceptus fuit: Brulartii etiam & Marilliaci, qui apud nos ſumma auctoritate & dignitate conſpicui fuerunt, amicitiam ipſe, ut memini, prae ſe ferebat. Denique ab omnibus, quotquot in Europa ejus aetate vixerunt, eruditis hominibus & cultus eſt & amatus. Quid igitur ei viro ad ſummam felicitatem defuiſſe dicemus? qui & ingenium uberrimum ſortitus fuerat, cunctis, ad quae eum vocaſſes, negotiis idoneum: & multiplicem rerum divinarum humanarumque notitiam, ac poſtremo omnium virtutum apicem erat conſecutus. Cui vita longiſſima, cum firma corporis valetudine, nullis umquam morborum moleſtiis interrupta; cui otium & quies non ſine honore ac dignitate; cui ſummorum virorum amicitia laudesque affatim contigerunt: qui Regum, & Principum, qui tot Eminentiſſimorum Cardinalium judicia promeruit. Hunc ergo talem ac tantum virum, inter praecipua Galliae noſtrae ornamenta numerandum, ex cujus uberrimis ſcriptis ac ſermonibus tantam doctrinam duitiſſime hauſimus, ingrati profecto fuerimus, niſi mortuum omni officio & exſequiarum honore celebremus. Nec noſtra ipſi bona & decora ſatis noſſe dicemur, ſi, quem exteri mirati ſunt, nos vulgari ac tacito funere efferri patiamur. Itaque hoc a nobis, JACOBE SIRMUNDE, extremi honoris officium habeto. Quod, tum meo, tum Patriae nomine, libens quidem Tibi, ſed non ſine acerbiſſimo doloris ſenſu perſolvo. Intelligo enim quantam litterae noſtrae jacturam interitu tuo fecerint. Te quidem tuae virtutes, vitaque ſanctiſſime acta divina favente clementia, ut ſperamus, coelo adſcribent: & libri ſingulari eruditione referti famam Tibi nullis intermorituram ſaeculis comparabunt. Nos vero ex

ex obitu tuo conceptum dolorem, tum ſermonum, tum virtutum tuarum aſſidua recordatione ſolabimur.

IN TUMULUM JACOBI SIRMUNDI

EPIGRAMMA.

Si Tibi quis dignum vellet, SIRMUNDE, ſepulcrum
Condere, vix operi marmora ſufficerent.
Sunt ſcripti potiora Tibi monimenta libelli,
Quos nec Livor edax rodere dente queat.
Saxa quidem, & tumulos conſumit longa vetuſtas:
Nil tamen in libros tempora juris habent.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΙΑΚΩΒΟΥ ΤΟΥ ΣΙΡΜΩΝΔΟΥ

ΤΑΦΟΝ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

ΠΟΛΛΑ' βιοὺς, ϗ πολλὰ μαθὼν, ϗ πολλὰ διδάξας,
Καὶ Σοφίης κ' ἀρετῆς ἔξοχ' ἐνεγκάμενος,
Ἐν τούτῳ κεῖται τῷ μνήματι· τοὔνομα δ' αὐτοῦ
Μὴ γνοὺς, μηδ' ἔγνω τὰς Ἑλικωνιάδας·

HENRICUS VALESIUS.

HEN-

HENRICI VALESII,
ORATIO
In Obitum Clariſſimi Doctiſſimique Viri
PETRI PUTEANI
In Sacro Conſiſtorio Regis Conſiliarii.

habita anno 1652.

PRAECLARE a veteribus inſtitutum accepimus, AUDITORES ORNATISSIMI, ut quae quisque in vita maxime adamaſſet, iisdem etiam poſt mortem ornamentis funeris donaretur. Quod etiam a Principibus Poëtarum in Patrocli & Pallantis exſequiis obſervatum videmus, quos exuviis militaribus, armisque inſtructos, a ſuis in rogum inferri finxerunt. Itaque cum PETRUS PUTEANUS, quamdiu in vivis fuit, ſingulari ſemper amore litteras proſecutus ſit, nec ſolum hereditario quodam, ſed proprio ac peculiari affectu ſtudioſos omnes fuerit amplexus, non dolore nec lacrimis, quae caſſa ſunt & inania, ſed litterarum, quas coluit, immortalibus monumentis ac titulis poſt obitum decorandus videtur. Ac ceteris quidem, quibus major eloquentiae copia, aut facultas carminum ſuppetit, curae erit laudes ejus viri partim vincta, partim ſoluta numeris oratione praedicare. Neque enim fas eſt nomen tanti viri, & de litteris ac de Patria optime meriti, absque ullo Muſarum praeconio inhonoratum tranſmittere. Me vero non ambitio laudis, nec fiducia facundiae, a qua me adhuc remotiſſimum eſſe & profiteor & ſentio, ſed ſola beneficiorum illius recordatio ad dicendum impellit. Juvat optimo viro, & de me privatim bene merito has laudis inferias mittere, & hanc, ſeram licet ac triſtem, piam tamen nobisque honeſtam in primis, nec ipſi, ut arbitror, ingratam mortuo gratiam referre. Itaque hoc a vobis poſtulo, AUDITORES ORNATISSIMI, ut hoc grati animi noſtri obſequium aequi bonique conſulere, & quantum nobis deeſt aut ingenii aut eloquentiae, tantum favore veſtro ac benevolentia ſupplere velitis.

Ac

Digitized by Google

Ac principio quidem cogitanti mihi, & univerſas ſimul PETRI PUTEANI virtutes animo perluſtranti, & quamdam velut imaginem vitae ipſius ob oculos proponere inſtituenti, non mediocris occurrit difficultas ac perturbatio, undenam potiſſimum orationis noſtrae ducamus exordium. Hinc ſe prudentia ingerit atque ſapientia, quibus ille vir tantum praeſtitit, ut omnium conſenſu ſummis quibusque muneribus, regisque ipſius conſiliis digniſſimus haberetur. Illinc morum integritas, ac vitae innocentia, non dicam, ſine noxa, ſed ſine ullius querela tranſactae. Hinc ſingularis temperantia nos ad ſe vocat: illinc animi magnitudo atque conſtantia, qua veritatem atque intimos animi ſui ſenſus de Republica coram Magnatibus ſemper libere eſt prolocutus. Nec ſe praeteriri patitur beneficentia, quae in illo viro tam prolixa inerat, ut in hac tanta honeſtiſſimorum hominum multitudine vix ullus poſſit reperiri, qui non aliquo beneficio ei ſe devinctum eſſe fateatur: Tot igitur tantaeque virtutes, ſeorſim ſingulae & cum cura dicendae, onerant potius dicentem quam juvant. Atque ut in opiparo convivio exquiſitis dapibus referto ſingula prope fercula ſingulorum inſtar ſunt conviviorum: ſic in hoc argumento ſingulae PETRI PUTEANI virtutes juſtarum nobis orationum materiam ſubminiſtrant. Sed neſcio quomodo me quidem minime invitum ad ſe allicit beata tranquillitas, quam cum ille tantopere adamaverit, ac perpetuo quodam nexu ſibi mancipaverit, propriam ac familiarem ipſius virtutem merito poſſumus appellare. Itaque cum ipſe hanc totius vitae ſuae quaſi fundamentum eſſe voluerit, non aliud nos ſermonis noſtri fundamentum ponere debemus, ſed hanc tamquam tabulam ſubſternentes, reliquarum deinde virtutum colores ad exprimendam vitae illius imaginem illinere.

Magnum profecto & illuſtre exemplum tranquillioris vitae his perturbatisſimis temporibus extitiſſe mihi videtur PETRUS PUTEANUS. Multi quidem antea Philoſophi multa in ſuis libris de tranquillitate animi praeclare ſcripſerunt, & ad eam omnibus votis, omnique animorum contentione adſpirarunt. Verum unus propemodum hac aetate eam & optime intellexiſſe, & feliciter aſſecutus eſſe PUTEANUS videtur. In quo tamen utrum prudentior fuerit an felicior, equidem affirmare non poſſum. Nam quod a prima ſtatim adoleſcentia ad tranquillitatis amorem vehementer incitatus, eademque per totum deinceps vitae tempus potitus eſt, felicitati adſcribendum puto. Neque enim ſine divino quodam inſtinctu & auxilio id aut cogitare aut conſequi umquam potuiſſet. Quod vero id vitae genus omnibus rebus anteponendum eſſe judicavit, ſummae profecto

 pru-

prudentiae eſt. An eſſe ulla major prudentia umquam poteſt, quam vindicare ſe ſibi, nec alienis negotiis diſtentum, ſe dumtaxat ac ſua curare, ſeſe in artum cogere, & minimam ſui partem nudatam praebere fortunae? Sed quibus gradibus ad hoc beatae tranquillitatis culmen PUTEANUS pervenerit, videamus. Duas res potiſſimum in vita tranquillitati obſtare nemo eſt qui neſciat, ambitionem & avaritiam: geminas quasdam peſtes ac furias generis humani. Quarum utra tetrior ſit ac violentior, difficile eſt dicere: ſed ubi ambae ſimul junctae animum cujuspiam occuparunt, tum vero incredibiles excitant aeſtus ac tempeſtates. Ceterum quicumque ad ipſum tranquillitatis portum cupit appellere, ſic clavum prudentiae moderari illum oportet, ut inter hos duos ſcopulos rectum ſemper navigationis curſum teneat, nec ſe Sirenum cantu deliniri patiatur: ſed, ut quondam Ulyſſes, praetervehi debet, non quidem auribus cera oblitis, ſed animo adverſus cupiditatum illecebras obfirmato atque invicto. Id vero a PUTEANO egregie praeſtitum eſſe teſtes mihi eſtis. Qui cum ad ſummos honores merito adſpirare poſſet, ut pote clariſſimi Senatoris Claudii Puteani filius, cujus vivit adhuc immortalis memoria atque fama, nec materno genere minus nobilis; cumque eſſet ipſe eximia indole praeditus, & liberalibus diſciplinis non vulgariter inſtitutus, quae omnia ambitionem juventutis ſtimulis quibusdam incitare ſolent, tamen ſpretis honoribus, nobile quoddam ac liberale otium praeoptavit. Ac principio quidem foro nomen dederat, morem ſecutus nobilium adoleſcentum, qui in hoc ſtadium laudis & gloriae, atque honorum veſtibulum ingredi conſueverunt. Sed eo hactenus adſpecto & ſalutato, ut morem atque ordinem judiciorum cognoſceret, utque graviſſimum illum coetum videret, in quo & Pater ipſius, & ex materna ſtirpe quamplurimi ſumma cum laude conſederant, recta ſe in domum, atque in ipſum tranquillitatis contulit ſinum, a quo tota deinceps vita nec divelli umquam potuit, nec voluit. Eodem animi impetu, quo honores contempſerat, conjugalibus etiam vinculis repudiatis, utraque ſimul cupiditate ſuperiorem ſe praeſtitit.

Sed erit fortaſſe quispiam, qui non magnopere mirandum eſſe dicet, honores a PUTEANO ſpretos fuiſſe, ad quos prae anguſtia rei familiaris adſpirare non poſſet. Quid tu mihi labem atque infamiam temporum noſtrorum commemoras, quam ego de induſtria tacitus diſſimulare volueram? An ſi jus & ratio in legendis magiſtratibus valeret, non exiſtimas PETRUM PUTEANUM, & alios ejus ſimiles ultro ad tribunalia invitandos fuiſſe? Ego vero ob id ipſum maxime honores a PUTEANO ſpretos

tos

tos dico, quod venales eſſe eos videbat. Vile enim profecto ſit neceſſe eſt, quidquid pecunia comparatur. Neque enim merx ulla, quae venum exponitur, pecunia ipſa multo pretioſior poteſt eſſe. Quod ſi pecuniam, qua res omnes ipſique adeo honores parantur, non ſolum faſtidio, ſed etiam contemptu dignam ſapientes viri ſemper judicaverunt, certe nec magiſtratus ipſi, qui tanquam in auctione pretio addicuntur, eo quidem nomine magni faciendi ſunt. Verum concedamus, ſi placet, artiorem cenſum fuiſſe PUTEANO, quam ut ad ſenatoriam dignitatem comparandam ſufficere valeret. Quae interim non minima laus eſt Patris ipſius Claudii Puteani, qui in ſummo magiſtratu ſumma cum integritate verſatus, plus gloriae liberis ſuis quam pecuniae reliquit. At ſi minus ſua pecunia, gratia certe, atque amicorum ſubſidio potuit facile PETRUS PUTEANUS ad honores pervenire. Potuit ſuffragantibus viris potentiſſimis, quibus aut notus erat aut affinis, honores ſaltem Eccleſiaſticos adipiſci. Quos tamen ille numquam concupivit, ſed aliis potius quam ſibi mandari voluit, ut ſui ſemper juris tranquilliore otio frueretur. Atque ut ſcias non ex aeris inopia, ſed certo ac fixo propoſito, & conſtanti animi inductione honores a PUTEANO contemptos fuiſſe, unico eoque illuſtriſſimo argumento rem evincam. Meminiſtis, ut opinor, cum ei ante hos decem circiter annos ob egregia ipſius in rempublicam merita, Comitiva ſacri Conſiſtorii a Rege delata fuiſſet, quanta cum animi magnitudine oblatum ſibi in illo Regis Conſiſtorio conſeſſum, ſolo Comitivae titulo contentus repudiavit: idque non contemptu aut arrogantia, a qua vir ille maxime ſemper alienus fuit, ſed amore otii ac tranquillitatis, a cujus complexu & contubernio ut diſcederet, nulla umquam conditione poterat adduci.

Otium porro cum dico, ne quis mihi molle quoddam ac delicatum otium ſuſpicetur, cujuſmodi eſt hominum luxu ac deliciis diffluentium; nec languidum pigrumque, quale ſervulorum eſſe, ac nullius pretii hominum ſolet. Longe aliud eſt otium ſapientum virorum, quos numquam minus otioſos videas, quam dum ſunt otioſi; quippe qui probe intelligunt non ſolum negotii ſui, ſed etiam otii reddendam eſſe rationem. Itaque illorum otium aliorum negotiis longe antepono. Nec ſine cauſa Socrates dicere ſolebat, non cujuſvis eſſe hominis in otio agere, ſed ſolius ſapientis, qui cum omnia rectiſſime faciat, tum belle inprimis otio uti novit. Hujuſmodi igitur otium PETRI PUTEANI fuiſſe dico, quod ille totum in litteris, & pulcherrimarum rerum cognitione conſumpſit. Et cum in quacumque diſciplina, ad quam animum applicare voluiſſet, primas potuiſ-

ſet ſine controverſia obtinere, tamen promiſcuae eruditionis gloriam aliis conceſſit: ipſe ad Hiſtoriae, Rerumque Gallicanarum notitiam converſus, otium ſuum Patriae utilitatibus & gloriae conſecravit. Nec contentus vulgarium librorum lectione, ingentem praeterea numerum epiſtolarum, actorum, legationum, chartarum, atque hujusmodi monumentorum publicorum undique conquiſivit. Quae omnia, ut erat elegantiae ac nitoris ſtudioſiſſimus, pulcherrimo ordine digeſta, non ſine maximis ſumptibus in libros redigi ac compingi curaverat. Diceres novam quamdam Bibliothecam ab illo eſſe compoſitam, paternae illi atque hereditariae nihilo poſtponendam. Quam tamen ille non ad privatum dumtaxat uſum ſibi retinendam putavit, ſed, ut erat bono publico natus, omnium uſui & commodis publicavit. Itaque nemo fere erat in civitate, qui non ejus domum libentiſſime frequentaret. Conveniebatur quotidie a Senatoribus, a Legatis, a Principibus, ab omnibus omnium ordinum viris, partim ut eum conſulerent, quem unum rerum noſtrarum peritiſſimum eſſe cognoverant: partim ut libros illos, quibus tot recondita monumenta continebantur, ab illo commodatos acciperent. Nec quicquam gratius accidere poterat PUTEANO, quam cum cujuspiam hominis eruditi laborem ſuis illis monumentis adjuvari poſſe intellexerat; quippe qui hunc unum fructum eſſe cenſebat tot ſumptuum ac laborum ſuorum, ut hiſtoriam patriae aliqua ex parte illuſtrare poſſet.

Atque hoc primum mihi videtur fundamentum fuiſſe Muſaei illius toto orbe celeberrimi: de quo ſi quid inpraeſentiarum dicere aggreſſus fuero, vereor ne infra ejus dignitatem mea eſſe videatur oratio. Sed tamen cum, quemadmodum olim M. Cicero quicquid in eloquentiae ſtudio profecerat, id totum Academiae ſpatiis acceptum referre ſolitus erat; ſic ego Academiae illi fratrum Puteanorum ſtudia noſtra plurimum debere profitear, nefas mihi eſſe arbitror de ejus inſtitutione nunc ſilere. Malo enim, ut de ejus gloria aliquid oratione noſtra imminutum eſſe videatur, quam ut ſilentium noſtrum ingrati animi reprehenſione non careat. Igitur cum apud alias nationes, ac praeſertim in Italia pleraſque Academias ridiculis quibusdam atque abſurdis nuncupatas nominibus PUTEANUS videret, eisque certas leges deſcriptas eſſe intelligeret, certaque argumenta, de quibus illic eſſet colloquendum, definita, nec in eas praeter homines ingenuis diſciplinis excultos quemquam admitti, plane diverſum iter in Academia ſua inſtituenda ſequi maluit. Neque enim ullum ei nomen impoſuit; nec ſermones, qui in ea eſſent habendi, ullis legum vinculis adſtrinxit, nec ab

ejus

ejus aditu quemquam ſubmovit, niſi qui ſua ipſe infamia aditum ſibi ad eamdem intercluſiſſet. Quod cuidam (*a*) notiſſimo aetatis noſtrae paraſito non ſemel eveniſſe meminimus: cui Muſarum illud ſacrarium ingredienti in ipſo ſtatim limine occurrens PUTEANUS numquam hominem ulterius progredi paſſus eſt, nec in ornatiſſimo coetu illo conſidere. Omnes igitur omnium ordinum viri non ſolum togati, ſed etiam militares eo conveniebant: nec tantum Senatus, ſed etiam Eccleſiae Proceres hoc Muſaeum frequentabant. Vix in tota civitate domus erat ulla, cujus limen tot honeſtiſſimorum virorum veſtigiis tereretur; ad cujus veſtibulum tot equi, tot currus, tot famuli quotidie praeſtolarentur. Tanta porro hujus Muſaei fama non modo per univerſam Galliam, ſed per omnem fere Europam longe lateque diffuſa eſt, ut quicumque ex Italia, Germania, & ab ultimis usque Septemtrionis nationibus huc advenerunt, nequaquam exiſtiment omnia hujus civitatis ornamenta ac decora ab ſe eſſe viſa, niſi in hoc praeſtantiſſimum Muſaeum ingreſſi ſint; quod quidem vocare ſoleo aſylum ac perfugium litterarum: Nec falletur, meo quidem judicio, quisquis illud appellare voluerit commune quoddam vinculum omnium eruditorum. Etenim homines in omni genere doctrinae praeſtanſtantiſſimi, Philoſophi, ac Mathematici, Theologi quoque, & Philologi, Hiſtoriaeque & Antiquitatis peritiſſimi ibi quotidie conſpiciuntur: Nec ad formanda hominum ingenia quidquam excogitari poſſe utilius hoc conſeſſu

puto.

(*a*) *Cuidam notiſſimo aetatis noſtrae paraſito &c*] Tangi his verbis opinor famoſum illum ſuperioris aevi apud Gallos literarium paraſitum Petrum Monmorum, Graecae linguae Pariſiis quondam Profeſſorem ineptum plane atque inficetum, quem aditu Muſaei ſui prohibuiſſe Puteanum hic tradit Valeſius: certe confirmat id Marville, ſeu vero potius nomine, Bonavanture d'Argonne, Melanges d'Hiſtoir. & de Literatur. Tom. I. pag. 512. Ed. Noviſſ. ubi de eo refert: *Montmor porta plus impatiemment le refus que Meſſieurs Dupuy lui firent de l'entrée de leur cabinet, qui étoit le réduit des plus honnêtes gens de Paris.* eo in loco perſonatus iſte Miſcellaneorum illorum compilator Gnathonicum hunc ſycophantam, & doctorum ſuae aetatis juratum calumniatorem atque obtrectatorem, magnis nihilominus laudibus & encomiis, ut ſaepe mulus mulum fricat, ad coelum effert, ejusque raras ingenii dotes (*bel eſprit*) perfectam Linguae Graecae ac Latinae peritiam, omnium auctorum veterum lectionem, & ſimilia alia praedicat; ſed ita tamen, ut vis veritatis eum fateri cogat, malignitatem in viros eruditos, ſordidiſſimam avaritiam, aſſentationem, & gentilem omnibus blandiendi, ac paraſitandi artem cum hiſtrionica dicacitate conjunctam in eo fuiſſe inſignem. Egregie tamen circumforaneus hic Agyrta omnibus fere, qui in Gallia tunc floruerunt, viris doctis poenas dedit ac vapulavit; nemo enim umquam tot ſatyris, carminibus jocoſis, ac ſcriptis mordacibus exceptus fuit, quam Petrus hic Monmorus. Nullus autem melius eum ludibrio expoſuit quam Menagius, qui paſſim in Poematibus ſuis, & peculiari feſtiviſſimo libello, quem ſub titulo vitae Gargilii Mamurrae edidit ſatyrico ſale eum pro merito perfricuit. Hadrianus etiam Valeſius aliquot epigrammatibus, quae inter ejus Poëmata poſt Valeſiana leguntur pag 50. & ſeqq. eum traduxit. Inter noſtrates etiam Nicolaus Heinſius Carmin. Juvenil. Lib. II. pag 256. & ſeqq. phaleucis aliquot verſibus ac ſcazonte mordaci in communem hunc Muſarum hoſtem & famelicum paraſitum invectus eſt: eum enim ſub nomine Macrini indicari patet ex Epiſtola Heinſii ad Vinc. Fabricium Tom. III. Sylloges a Patruo meo editae pag. 806.

puto. Quid enim aptius ad judicii vim exacuendam, quam multiplices de qualibet re propoſita audire ſententias hominum doctiſſimorum, & qua quisque via ac ratione ad veritatem inveſtigandam feratur, inſpicere, & ubi aliorum ſermones ac ſententias cum tua ipſius ratiocinatione contuleris, quantum tibi adhuc ad perfectam intelligentiam deſit, videre? Olim a Ptolemaeis Aegypti Regibus Muſaeum cum locupletiſſima Bibliotheca Alexandriae extructum eſſe legimus, in quo homines eruditi regiis ſtipendiis alerentur: itaque hanc Muſarum caveam non inſcite Timon Philoſophus appellavit, quod in eo loco doctiſſimi viri tanquam altiles aves in cavea ſaginarentur. Sed hoc PUTEANORUM Muſaeum Alexandrino illo longe praeſtantius mihi videtur, tum quod multo majore doctorum hominum frequentia celebretur, tum praecipue quod non modo omnis eruditionis copia, ſed etiam rerum civilium non vulgaris notitia ex hoc noſtro percipi poſſit.

Quod igitur otium, AUDITORES ORNATISSIMI, hoc PETRI PUTEANI otio amoenius umquam fuit; quae tranquillitas beatior; quis ſeceſſus felicior? mihi certe ne ipſae quidem, ſi usquam ſunt, fortunatorum inſulae fortunatiores videntur. Conferat nunc qui volet aliorum, atque in primis Senatorum inquietiſſimas occupationes cum hoc otio PETRI PUTEANI, &, quantum interſit inter utrumque vivendi genus, intelligat. Illi totos paene dies in curia ſedent audiendis litigantium clamoribus occupati: hic doctorum hominum ſermonibus quotidie fruebatur. Illi contractuum, teſtamentorum, & hujusmodi inſtrumentorum exemplaria, & taediosiſſima cauſidicorum ſcripta aſſidue in manibus habent: hic vetera Hiſtoriae noſtrae monumenta cum ſumma voluptate lectitabat. Illi litigantium jurgia diſceptant: hic de libris & operibus eruditorum virorum ſincere atque integerrime judicabat. Illi ex aliorum controverſiis privatum ſibi quaeſtum comparant: hic ex ſtudiis ſuis nihil praeter decus eſt gloriam patriae captabat. Illorum domus procuratorum, & litigantium turba: hujus lectiſſimorum hominum frequentia redundabat. Quod ſi fortaſſe penes illos gratiam, auctoritatem, potentiam reſidere quis dixerit, ne haec quidem omnia PETRO PUTEANO defuerunt. Vixit enim tanta auctoritate privatus, quanta vix umquam ullis in ſummo magiſtratu conſtitutis fuit. Itaque qui honores initio refugerat, ab honore ultro ambiri videbatur: cujus commendatio apud Judices, & tam Senatus quam Eccleſiae proceres plus valuit, quam ſuffragatio PETRI PUTEANI? quis ex ipſis Aulae proceribus ejus notitiam non appetivit? amicitiam

tiam ſummo honori non duxit? verum ille tanta gratia atque auctoritate numquam ad ullius noxam atque injuriam, ſed ad aliorum commodum atque utilitatem ſemper eſt uſus. Poſſem plurima hic exempla prolixae illius erga amicos beneficentiae vobis commemorare, niſi hoc facto plurimorum, qui hic adſunt, onerare verecundiam viderer: praeſtat igitur ut privata unicuique beneficia narranda relinquamus, maxime cum in referenda gratia nihil ſit grato animo eloquentius. Illud autem inſigne beneficium, quo me privatim ei obſtrictum eſſe in ipſo Orationis exordio ſum profeſſus, a me, ſi lubet, accipite. Meminiſtis adhuc temporis illius acerbiſſimi, cum Publicani, genus hominum rapaciſſimum, & alienis opibus inhiare ſolitum, novum atque inauditum quoddam exactionis genus excogitarunt, quod collationem divitum appellabant. In hunc divitum numerum relatus eſt inter ceteros Carolus Valeſius pater meus, vir, qui ſuo ſemper patrimonio contentus vixerat, nec nummum ullum regiae pecuniae contrectaverat. Imperata eſt ei non modica vis pecuniae, quam intra pauciſſimos dies ſolvere jubebatur: ea res non mediocriter animos noſtros conturbabat. Itaque ego & Hadrianus Valeſius frater meus, quod unum poteramus, querelas noſtras ad amicos detulimus; inter quos PUTEANI fratres principem locum obtinebant. Aegre in primis hunc caſum tulit PETRUS PUTEANUS, & tum quidem nihil dixit. Sed craſtino illuſtriſſimum Senatus Principem Matthaeum Molaeum adiit, quocum ipſi ſumma familiaritas intercedebat, virum in tantum prudentiae, reliquarumque virtutum faſtigium evectum, in quantum ſeſe efferre humana mens poteſt. Cauſam ei ſui adventus aperit, facinus indignum eſſe inquit, nos, quos litterarum merito tutos eſſe atque immunes decuerat, hoc calumniae genere vexari: depellendam eſſe a nobis hanc injuriam. Tum Molaeus, ut eſt ad bene de litteris merendum promptiſſimus, id ſe effecturum pollicetur. Nec mora, PUTEANUS famulum cum epiſtola ad nos mittit, monens ut ſtatim a prandio ego & frater ad praetorium illuſtriſſimi Praeſidis pergeremus. Excepti a Molaeo cum ſumma humanitate, indictionis noſtrae libellum, cujus exemplar ab apparitore nobis editum fuerat, ipſi obtulimus, patrocinium ejus implorantes. Ille, accepto libello, nos bono animo jubet eſſe, ſe id quod poſcebamus, a praefecto regalis aerarii facile impetraturum. Vix biduum interceſſerat, cum PUTEANUS libellum illum ad nos remittit, praefecti aerarii manu ſubnotatum, mandantis uni e judicibus, quibus ea juriſdictio a Rege commiſſa fuerat, ut nos hac indictione liberaret. Idque intra paucos dies incredibili celeritate

com-

Digitized by Google

completum eſt: tantum pondus habuit commendatio PETRI PUTEANI. Et magnam quidem eo nomine gratiam Illuſtriſſimo Molaeo, non minorem tamen PUTEANO debemus, qui nobis praeſentiſſimum illud ac potentiſſimum Molaei patrocinium conciliavit.

Quemnam igitur PUTEANO noſtro parem umquam exſtitiſſe cenſetis, quem tot tantisque animi dotibus ornatum? niſi forte Pomponium Atticum conferre lubet. Hic enim perinde nobili loco natus, cum nullos non magiſtratus Romae aſſequi poſſet, tamen ab honoribus conſtanter abſtinuit, & otium ſuum in litteris, & in Hiſtoriae Romanae, nobiliumque familiarum cognitione traduxit. Par etiam in utroque beneficentia, niſi quod Atticus plures pecunia ſublevavit, PUTEANUS vero tantum gratia. Eſt autem tanto majus gratia quemquam adjuvare, quanto plus plerumque gratia efficitur, quam pecunia. Et pecunia adjuvare inferior ſuperiorem poteſt: gratia niſi ſuperior non poteſt. Ceterum neuter beneficia ſua venditare ſolitus; malebantque praeſtare operam amicis, quam polliceri. Verumtamen hoc mihi ſuperior Attico PUTEANUS videtur, quod nec conjugalibus vinculis, nec tanta rei familiaris cura diſtrictus fuit, nec priſtinam vitae tranquillitatem violento, ut ille, exitu maculavit: ſed, cum in ſumma innocentia vixiſſet, tandem perceptis omnibus religionis noſtrae ſacramentis, ſpem aeternae tranquillitatis jam animo praecipiens, placidiſſima morte deceſſit. Vir profecto immortali memoria, & hoc, quem ei nunc habemus, honore digniſſimus: optimus civis, patriaeque amantiſſimus, qui ſemper utiliſſima Reipublicae & ſenſit & dixit: amicus fideliſſimus: fautor & propugnator acerrimus litterarum: ſummis juxta ac mediis carus: ſui ſemper ſimilis & conſtans, nec tenuitate rei familiaris infractus, nec affluentibus poſtmodum opibus elatus, eodem ſemper aequabilem curſum a carceribus usque ad metam peregit.

Habetis imaginem vitae PETRI PUTEANI, AUDITORES, eamque non fucatis adumbratam coloribus, ſed veritatis ipſius penicillo delineatam. In quam quoties oculos conjeceritis, non mediocre levamentum doloris veſtri percipietis: & quam deinde, ſi placet, ad poſteros tranſmittentes, immortalem, quantum in vobis erit, memoriam nominis PUTEANI conſervabitis. Supereſt vobis etiam altera ejus imago, atque utinam diu ſuperſit! Fratrem intelligo, veram effigiem oris illius, modeſtiae, probitatis. Quo quidem ſuperſtite tantam hanc jacturam moderatius ferre debetis. Tibi vero JACOBE PUTEANE, jam enim ad Te noſtra ſe convertit Oratio, cujusmodi conſolationis fomentum ad

ſola-

molliendum ſolitudinis tuae dolorem adhibebimus? amiſiſti quidem fratrem optimum, atque amantiſſimum tui, cum quo ſexaginta fere annos ſine ulla offenſione vixiſti. Sed habes amicos fratris tuique communes, ut omnia ſemper vobis fuere communia, qui ſicut clariſſimi viri fratris tui exitum acerbiſſime lugent, ita omnem cultum ac benevolentiam, quam nuper in duos partiebantur, nunc in Te unum conferunt atque convertunt. Noli igitur horum moerorem tuo moerore exaggerare. Tot tibi fratres adeſſe exiſtima, quot hic amicos circumſtantes vides. Quamquam, ſi fratrem adhuc deſideras, habes CHRISTOPHORUM PUTEANUM, virum ſumma doctrina, prudentia, ſanctitate. Qui tameſti locorum ſpatiis longiſsime abeſt, adeſt animo, adeſt creberrimis litteris & nuntiis. Quare abſterſo doloris nubilo, animum erige, & ad majora Te negotia accinge. Annon ſentis majus nunc tibi eſſe onus impoſitum morte fratris Tui? ſuſcipias oportet patrocinium litterarum. Non potes hanc hereditatem repudiare, quam vir clariſsimus pater, quam frater tuus tibi reliquerunt. Et quemadmodum, quoties ad unum quempiam nomen atque hereditas ſplendidiſsimae familiae pervenit, totum gentis decus in illo uno periclitatur, ſic tibi elaborandum eſt, ne ab illa paterna fraternaque gloria degeneraſſe videare. Omnes in Te oculos nunc defixos habent, & abs te contendunt, ut quam perſonam vivo fratre in ſecundis partibus conſtitutus gerebas, eam nunc mortuo ſolus velis ſuſtinere. Quod ſi feceris, ut facturum te omnes confidimus, & pulcherrimum pietatis tuae monumentum fratri ſtatues, & tibi ipſi immortalem gloriam comparabis.

ΕΙΣ ΤΟΝ
ΠΕΤΡΟΥ ΤΟΥ ΠΟΥΤΙΑΝΟΥ
ΤΑΦΟΝ
ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ
ΚΑΤΑ ΕΡΩΤΗΣΙΝ ΚΑΙ ΑΠΟΚΡΙΣΙΝ.

ΠΕΤΡΟΥ μνῆμα τόδ' ἐστί. Τίνος Πέτρου; ΠΟΥΤΙΑΝΟΥ.
Φεῦ, τοιοῦτος ἀνὴρ ἄξιος οὐ θανέειν.
Τέθνηκεν τόγε σῶμα· τὸ δὲ κλέος οὔποτε θνήξει.
τληγὼν ἰσεὶ τὸ πλέος τ' ἀνδρὸς ἐν ἡμῖν ἔτι

Idem EPIGRAMMA Latine.

Hic PETRI eſt tumulus. Cujus Petri? PUTEANI.
Serius, aut numquam debuit ille mori.
Mors rapuit corpus, ſed honos & gloria vivit.
Major quando Viri pars ſupereſt, ſatis eſt.

IN OBITUM PETRI PUTEANI VIRI CLARISSIMI EPIGRAMMA.

NUPER inaudito PUTEANI funere moeſtae
Urbe minabantur cedere Pierides.
Verum, ubi compertum eſt fratrem ſupereſſe JACOBUM,
Una Camoenarum talia verba dedit.
Amborum hic inſtar nobis, perſtate, Sorores.
Et potis eſt doctas hic retinere Deas.

HENRICUS VALESIUS.

Valeſii parentationi ac pietati in Petrum Puteanum comitem ſe adjunxit frater ejus Hadrianus, cujus praeſtantiſſima Elegia in obitum Puteani habetur inter ejus Carmina poſt Valeſiana pag. 20. Egregius etiam ac numeris omnibus abſolutus eſt Nicolai Heinſii leſſus in exſequiis Puteani Lib. II. Eleg. 3. quod carmen inter optimas Heinſii Elegias agmen ducit. Vitam autem Petri. Puteani deſcripſit Nicolaus Rigaltius, quae ſimul cum hac Valeſii noſtri Oratione inſerta eſt Vitis Selectorum Virorum a Gul. Bateſio Londini editis, vid. pag. 660, & ſeqq.

HEN-

HENRICI VALESII,
ORATIO
In Obitum
DIONYSII PETAVII
Societatis Jeſu Theologi.

habita anno 1653.

CUM primum doctiſſimorum hominum exſequias Oratione funebri decorare inſtitui, AUDITORES ORNATISSIMI, incredibile dictu eſt, quo quantoque animi ardore ad hoc munus obeundum acceſſerim. Sic enim apud me reputabam, cum hoc munus plenum eſſe officioſiſſimae pietatis, quam nullus in me jure merito poſſet reprehendere: tum id ipſum mihi quandoque laudi fore, qui viros doctrina ac virtute praeſtantes ejusmodi honore affeciſſem, meoque exemplo cunctos noſtri temporis eruditos ad hoc genus dicendi excitaſſem, ut ſummorum virorum laudes juſtis potius orationibus & ad veterum formam elaboratis, quam nudis & aridis elogiis deinceps praedicarent. Verum nunc priſtinus ille impetus paulatim in me progreſſu temporis intepeſcit, ſive hoc tot illuſtrium funerum crebritas facit, ſive operis ipſius difficultas. Neque enim ignoro, quam hoc dicendi genus arduum ſit atque impeditum, praecipue cum idem argumentum, in quo jam antea verſatus ſis, iterum ac ſaepius tractandum offertur, de privati hominis moribus atque doctrina: qui profecto locus parum illuſtris ad exaggerandum, parum copioſus ad ornandum, nec ſatis amplus ad exſpatiandum videtur. Simul etiam intelligo quantis moleſtiis ac diſcriminibus totum hoc laudandi munus ſit obnoxium. Nam qui de orationibus noſtris judicant, ſi quidem amici ſunt ejus, qui laudatur; eorum deſiderio ac cupiditati quantacumque laudum magnitudine numquam ſatis facturus ſis. Sin ignoti, nul-

nullaque eum eo neceſſitudine ac familiaritate conjuncti, iis vel mediocris laudatio fines veritatis exceſſiſſe videbitur. Sic enim fere fit, ut aliorum laudes ſuo quisque captu ac modulo metiatur, nec plus de altero facile ſibi homines perſuadeant, quam quantum ſe ipſi praeſtare poſſe arbitrantur: nam de malevolis atque invidis nihil dico, quorum numquam rationem adeo habendam eſſe duxi, ut eorum cauſa aut intermittendum officium noſtrum aut omnino deſerendum putarem. Ad haec cum omnis fere laudatio ex aliorum comparatione ducatur, aliter fieri, meo quidem judicio, vix poteſt, quin is, qui aliquem laudando ceteris omnibus praefert, in cujuspiam odium atque offenſionem incurrat. Haec ſunt, quae, dum animo meo obverſarentur, non modo impetum noſtrum retardare, & ardorem imminuere, ſed me penitus a dicendo deterrere merito videbantur. Verumtamen, his omnibus poſthabitis, priſtini officii mei rationem duas potiſſimum ob cauſas etiamnum mihi retinendam eſſe exiſtimavi. Primum quod hoc meum inſtitutum veſtro ſuffragio ac judicio comprobari intelligo: cujus apud me tantum valet auctoritas, ut quidquid veſtro calculo probatum fuerit, id bonorum omnium conſenſu facile confirmatum iri confidam. Deinde ejusmodi ſunt DIONYSII PETAVII erga me privatim beneficia, ut, ſi nullum antea laudatione funebri commendare inſtituiſſem, hunc certe eo genere officii proſequi omnino debuerim. Nam cum ſub ejus diſciplina prima quondam eloquentiae rudimenta perceperim, rationi conſentaneum eſt, ut ea facultate, quae illius praeceptis inſtitutisque primum in me informata eſt, funus ejus decorare, & memoriam nominis, quantum in me ſitum eſt, illuſtrare ac propagare contendam. Quamobrem peto a vobis, AUDITORES ORNATISSIMI, ut eadem humanitate ac benevolentia, qua me de aliorum laudibus antea dicentem proſecuti eſtis, nunc de DIONYSIO PETAVIO perorantem audire ac proſequi velitis.

Et Homerus quidem eum omnium animos ad audiendum allicere vellet, in ipſo carminis veſtibulo pollicetur dicturum ſe de homine multiformi morum varietate praedito, qui multas urbes regionesque peragraſſet, qui plurimorum hominum mores atque inſtituta penitus cognoviſſet. Quippe ille vatum prudentiſſime norat, cunctos mortales plurimarum rerum notitia inprimis delectari: eamque ob cauſam aut ipſos peregrinari maxime velle, aut certe eorum, qui peregrinati ſunt, caſus varios atque eventus libenter audire. Ego vero non minori cum favore ac ſtudio, ut opinor, omnium veſtrum, hodie dicturus ſum de Viro, non quidem multiformi morum varietate, id enim Ulyſſi relinquimus: ſed multiplici doctrina praedito;

qui

qui non terras & maria, ſed diſciplinas omnes feliciſſimo curſu pervagatus, non mores tantum & ingenia plurimorum hominum introſpexit, ſed omnium humanarum divinarumque rerum cumulatiſſimam ſibi notitiam comparavit. Quae enim inter homines eſt ars ac diſciplina liberalis, quam PETAVIUS noſter, non dico, non attigerit ac delibaverit, ſed non penitus animo imbiberit atque hauſerit? aut quis tantum in uno genere doctrinae, quantum ille in omnibus ſimul excelluit? Neque enim Grammaticam & Criticam probe calluit, artem vero dicendi ignoravit. Nec rurſus in hac quidem arte exercitatiſſimus, in Poëtica vero haud parem gloriam adeptus eſt. Non ille Latine quidem doctiſſimus, Graece autem & Hebraice neſcivit. Nec rerum quidem Graecarum & Romanarum hiſtoriam omnem evolverat: Eccleſiaſticam vero Antiquitatem & Chriſtianae Religionis hiſtoriam neglexerat. Non denique haec quidem univerſa, quae dixi, diuturno ſtudio ac meditatione perceperat: Mathematicas autem diſciplinas cum pleriſque doctis hominibus ignorabat: ſed omnes omnino liberales artes capaciſſimo mentis ſinu complexus, ita ſingulas excoluit, ut dubium nobis reliquerit, in qua potiſſimum excelleret. Ac difficile quidem eſt dicere quid ille neſciverit. Quid vero & quantum ſciverit, multo difficilius eſt exponere. Ceteri fere mortales, quorum ingenia certis iisque anguſtis finibus circumſcripta ſunt, ad unum genus doctrinae ſeſe applicare ſolent: in quo poſtquam diutiſſime elaboraverint, omnesque ingenii nervos intenderint, pauci tamen ex omnibus ad ſummum ejus faſtigium valent pervenire. Nemoque adhuc repertus eſt, qui cum plures diſciplinas animo percepiſſet, ſimul in omnibus principatum citra controverſiam obtineret. Idem etiam in ſellulariis artibus uſuvenire videmus, ut ſi quis multas ſimul artes exercere voluerit, in nulla umquam ſummus artifex evadat. Adeo in multis excellere natura nobis negavit: ſed ſuam cuique naſcenti veluti ſortem ac provinciam attribuit, quam excolere deinceps opera noſtra atque ornare poſſemus. Hic inter Grammaticos palmam tulit: ſed in Eloquentia haudquaquam parem gloriam eſt conſecutus. Illum facundia Latini ſermonis ornavit; ſed Graecae linguae peritia deſtituit. Quotusquisque ab omni hominum memoria, idem ſummus Orator ac Poëta umquam exſtitit? itaque Marci Tullii verſus multorum judicio exploduntur. Quin etiam in una eademque diſciplina alius hanc, alius illam partem ſibi vindicat. Alius in Geometricis eminet; alium Aſtronomiae notitia commendat. Multiplici doctrina olim praeditus fuiſſe dicitur Eratoſthenes, quem in temporum ratione ſecutum ſe eſſe teſtatur Diodorus, &

quem Strabo in Geographicis auctorem ſaepius laudat, & virum haud quaquam ſpernendum appellat. Idem tamen cum in omni genere litterarum infra primos ſemper ſubſtitiſſet, Βῆτα cognominatus eſt. Democritum Abderitem illum Philoſophum Quinquertionem dictum eſſe perhibent, quod quinque partes Philoſophiae, naturalium ſcilicet rerum & morum ſcientiam, & mathematicas ac liberales diſciplinas, omnium denique artium rationes apprime calleret. Verum PETAVIUS & hunc, & ſi qui alii promiſcuae eruditionis cauſa celebres exſtiterunt, non aequavit modo, verum etiam longiſſimo intervallo ſuperavit. Quod quidem ex iis, quae proxime dicturus ſum, manifeſtiſſimum fiet.

Quaeret hic a me fortaſſe quiſpiam, qua tandem via ac ratione potuerit PETAVIUS ad tantae eruditionis culmen pervenire. Enimvero homines incredibili quodam acumine ingenii & excellenti natura praeditos, cujuſmodi PETAVIUM fuiſſe conſtat, ſupra alios eminere, & ad ſumma quaeque eniti, nemini mirum videri debet. Acceſſit ad tantam vim ingenii vehemens ſtudium, & aſſidua contentio laboris. His enim duabus, ut ita dicam, alis ſubvectae magnorum hominum mentes ceteros mortales longe praetervolant, & aureum Jovis currum, ut ait divinus Plato, indefeſſo volatu comitantur. His igitur praeſidiis ſuccinctus PETAVIUS, ea praeſtitit in omni genere litterarum, quae omnis nobiſcum poſteritas admiratura eſt. Sed eſt aliud praeterea quidpiam, quo maxime adjutus & difficultates omnes oppoſitas facile ſuperavit, & palmam verae ſolidaeque doctrinae celeriter eſt conſecutus. Quidnam vero illud eſt? ordo ſcilicet, & certa ratio inſtituendorum ſtudiorum, quam Graeci μέθοδον appellant. Quod cum leve quiddam & exiguum prima fronte appareat, eſt tamen ejuſmodi, ut omnis fructus eventuſque ſtudiorum ex eo propemodum uno pendere videatur. Ut enim abſque acus nauticae praeſidio longinquam navigationem ſuſcipere, nihil aliud eſt, quam ad certiſſimum naufragium properare: ſic qui ordine ac methodo deſtituti vaſtiſſimum illum diſciplinarum Oceanum ingrediuntur, ii numquam ſperare debent ſe ad deſideratum Sapientiae portum navem eſſe appulſuros. Unde enim, quaeſo, fieri exiſtimatis, ut cum multi reperiantur & ingenio praeſtantes & laboris patientiſſimi; pauci tamen magnos progreſſus in litteris faciant: niſi ex eo quod ſtudia noſtra temere ac fortuito, non certa ratione diſponimus, & deſultoria quadam levitate per omnes diſciplinas volitamus potius quam decurrimus. Itaque inordinate properantes id tantum aſſequimur, ut a propoſito itinere longius aberremus. Non ita PETAVIUS: qui ſtudia ſua

certo ſemper ordine dimenſus eſt; quippe qui intelligeret, ea, quae ordine inſtituuntur, minore laboris ac temporis impendio perfici, nec ſolum citius & commodius abſolvi ſolere, verum etiam rectius. Primum itaque a Grammatica tanquam a Veſta, quod aiunt, exorſus, linguae Graecae ac Latinae ſingularem ſibi peritiam comparavit. Idque ex plurimis veterum ſcriptorum libris, quos partim ex Graeco in Latinum, partem ex Latino in Graecum ſermonem tranſtulit, perſpicue apparet. Graece quidem adeo expedite loquebatur, ut Athenis natum eſſe diceres. Latine vero loquentem & in ſchola publice docentem quisquis audivit, fateatur neceſſe eſt nihil audiri potuiſſe jucundius. Nam praeter illum Romani eloquii nitorem aderat diſtincta pronuntiatio, & gratiſſimus quidam vocis ſonus. A Grammatica prono curſu ad Rhetoricam ſe contulit. Quam quidem artem ad omnia maxime utilem, nec iis ſolum, qui in foro & in republica verſantur, ſed omnibus litteratis prorſus neceſſariam, a cunctis tamen, ac praecipue a philologis noſtris, maximo ipſorum damno ac dedecore, negligi videbat. Itaque illi in epiſtolis, quibus libros ſuos alicui nuncupant, in praefationibus, in quovis denique argumento, quod tractandum ſuſceperint, rudes fere atque infantes deprehenduntur. Porro quantus dicendi artifex fuerit PETAVIUS, tum ex plurimis Orationibus, quas nobis ſcriptas reliquit, tum ex aliis ejus libris liquido perſpici poteſt. Neque enim in Oratoriis dumtaxat declamationibus, ſed in omni fere genere ſcriptionis eloquentiae vis ac ſplendor elucet. Hinc ac Poëticen transgreſſus, pari quoque ſucceſſu in hac ſe exercuit: eamque deinceps ad extremum usque ſpatium vitae, velut oblectamentum graviorum ſtudiorum, & piorum animi ſenſuum fidam interpretem, Gregorii Nazianzeni exemplum ſecutus, retinuit. Exſtat denique pulcherrimum ejus carmen, quod diuturno paene conſumptus morbo, integris tamen adhuc ingenii viribus, paulo ante obitum effudit: in quo publicas temporis noſtri calamitates, quibus Rempublicam ſimul & Eccleſiam conflictari cernimus, cygneo quodam cantu deplorat. Nec ullum fere eſt carminis genus, in quo non feliciter luſerit: quippe qui Tragoedias etiam ſcriptitarit; nec Latinos modo, verum etiam Graecos atque Hebraicos verſus ſcitiſſime procuderit. Certe Hugo Grotius, hujusmodi operum judex ſimul atque artifex peritiſſimus, DIONYSII PETAVII carmina magnopere probare & laudare conſueverat. Quod quidem non tam PETAVII cauſa, cujus opera extra omnem judicii aleam poſita ſunt, quam in gratiam ipſius Grotii velim a me dictum putetis. Jam vero cum verborum delectum, & ſermonis ornatum, quem earum, quas dixi,

dixi, artium beneficio paraverat, abſque rerum & ſententiarum copia rem caſſam atque inanem eſſe intelligeret, ad Philoſophiam animum applicuit. Non eam dico barbaram atque horridam, quae vulgo in ſcholis traditur: ſed illam ingenuam atque liberalem, quae ex Ariſtotelis ac Platonis limpidiſſimis fontibus hauritur. Huic deinde comitem adjunxit Hiſtoriam rerum geſtarum. Cumque duo ejus quaſi lumina eſſe ſciret, Geographiam ſcilicet, quae urbium ac regionum ſitum; & Chronologiam, quae temporum ſeriem exponit; ſine quarum praeſidio quisquis ad univerſalis Hiſtoriae lectionem acceſſerit, in denſiſſimis tenebris verſetur neceſſe eſt: utriusque non vulgarem notitiam ſtuduit adipiſci. Ac Geographiam quidem ex Strabonis & Ptolemaei veterumque Geographorum libris percepiſſe minime contentus; recentium quoque ſcriptorum tabulas adjecit; a quibus haec ars non illuſtrata modo, verum etiam conſummata eſt. Chronologiam vero aggreſſus, arduum opus, & multis maximisque difficultatibus implicatum, ante omnia Aſtronomiae ſubſidium ſibi comparavit, ſine qua parum firmas eſſe demonſtrationes chronologicas perſpiciebat. Maximam laudem & gloriam in omni fere genere patrum memoria retulit Joſephus Scaliger. Sed in Chronologia ſolus quodammodo regnare omnibus videbatur: adeo ut Scaligero in hac parte refragari, idem fere eſſe erederetur, quod cum Hercule lucta certare. Verumtamen tanta ejus viri auctoritas, omnium prope praejudicio roborata PETAVIUM noſtrum a ſcribendo minime deterruit. Immo vero ipſum eo magis impulit, ut quae ab illo emendatore temporum peccata fuerant, ipſe in ſuis de Doctrina Temporum libris emendaret. Non quod illius viri gloriae (*a*) obtrectaret;

(*a*) *Non quod illius viri gloriae obtrectaret* &c.] In laudando Petavio Valeſium his in verbis Scaligero iniquiorem ſe gerere fatendum eſt. Conſtat enim inter omnes, Petavii malignitatem, invidioſam aemulationem, & nimiam in exagitandis Scaligeri erroribus Chronologicis acerbitatem ab omnibus cordatioribus viris doctis improbatam & damnatam fuiſſe, eamque ex nulla alia ratione derivandam eſſe, quam ex internecino illo Jeſuitico odio, quia plurimos ex Lojolae ſocietate adſpernatus erat Scaliger, & Serarium praeſertim, Clavium, Delrium, aliosque illius ordinis Patres in ſcriptis ſuis, quoniam foediſſimis & ſceleſtiſſimis conviciis eum proſciderant, dignis exceperat modis. vide de hoc Jeſuitarum in Scaligerum odio notam Patrui mei ad Tom. I. Syllog. Epiſt. pag. 700. Quod autem Valeſius ſola veritatis adſerendae, non autem Scaligeri gloriae obtrectandi cauſſa id feciſſe Petavium dicat, Oratoriae potius laudationi, ſed quae non ſemper ex vero & ſine partium ſtudio inſtituitur, dandum eſt. Sed & ipſe Petavius candorem ſuum hac in parte praetexit & jactat eodem ſub veritatis colore in Lib. IX. de Doctr. Temp. cap. 1. ubi Scaligeri periodum Julianam laudare coactus, quia nihil habebat, quod egregio huic invento opponeret, addit: *Ergo candorem noſtrum Lector agnoſcat, ac nos intelligat non ſcriptoris odio, vel aemulatione gloriae, ſed veritatis amore ductos, in eam doctrinae totius inquiſitionem incumbere.* Quae quam vere & candide ſcripſerit Petavius, norunt, qui unam tantum in ſcriptis ejus Chronologicis, praeſertim Libris de Doctrina Temporum, perlegerint paginam, aut ex illius Prolegomenis Caput V. inſpexerint; ubi de Scaligeri Libris Chronologicis faſtidioſo cum ſupercilio judicium ferens, inter alia haec ſcribit: *Meum ut judicium ſimpliciter & paucis explicem: illos ego libros, haec ipſa de ſcientia Temporum ingentia monu-*

Digitized by Google

ſtaret; ſed ne plerique forte auctoritate Scaligeri inducti, minime diſcuſſa rei veritate, in errorem praecipites laberentur. Quocirca ſi Scaligero laudi fuit, quod ſacrae ac profanae hiſtoriae chronologiam multis in locis (quod profecto fatendum eſt) illuſtravit; PETAVIUS quoque, qui & errores Scaligeri correxit plurimos, & praeterea multa ad hiſtoriae illuſtrationem ſuo labore atque induſtria contulit, non minorem, meo quidem judicio, gloriam meretur.

Hac igitur via progreſſus PETAVIUS, vaſtiſſimum illum diſciplinarum orbem feliciter emenſus eſt. Et in ſingulis quidem diſciplinis ſic excelluit, quaſi ceteras omnes neglexiſſet: in omnibus vero perinde eminuit, ac ſi unam quamdam ex pluribus conflatam partibus diſciplinam, non plures argumento ac toto docendi genere inter ſe diſtantes animo percepiſſet. Quae laus quaſi eximia & propria PETAVII, aut certe cum paucis admodum ei communis, ſola ad ſummam gloriam ſufficere potuiſſet. Nunc vero ea laus in illo non ſola, ſed prima eſt. Nam cum vir ſanctiſſimus tantam humanioris doctrinae ſupellectilem collegiſſet, ea non ad oblectationem animi, aut ad pompam, & inanem oſtentationem voluit abuti, ſed totam ad Divini Numinis gloriam, & Eccleſiae utilitatem conſecravit. Idque tum ex inſtituto religioſiſſimae ſodalitatis, in quam ſe nondum virilem aetatem ingreſſus dicaverat; tum exemplo Origenis, Clementis, Baſilii

monumenta innumeris ac turpiſſimis omnis generis errorum maculis dico eſſe reſperſa: omnem vero traditam in iis comprehenſamque doctrinam, quae quidem illius inventis nititur, falſam, minimeque cohaerentem, ac prorſus abſurdam eſſe defendo. ex quo faſtuoſo nimis & iniquo Petavii judicio patet ſatis, quam candide, & ſine odio contra Scaligerum ſcripſerit, qui etiamſi plurimos commiſiſſet errores, ut fieri aliter in rebus his obſcuriſſimis nequiit, in eo tamen ſemper prae Petavio dignis praeconiis efferri numquam ſatis poterit, quod primus Herculeo niſu auſus fuerit ad hoc quaſi Augiae ſtabulum purgandum tam vaſtum & arduum opus adgredi, ac caeteris facem in tenebris praelucere, atque ex omnium linguarum antiquiſſimis ſcriptoribus colligere ingentem materiae Chronologicae congeriem, unde Petavius aliique facile dein domicilium exſtruere & ordinare potuerunt, ſed quod numquam ſine praevio hoc duce tentaſſent. Vide Stollium in Introduct. in Hiſtor. Literar. Cap. VI. pag. 362. Sed nec defuerunt viri in ſtudio Chronologico itidem verſatiſſimi, qui Scaligeri inventa & hypotheſes vindicaverunt, inter quos optime id praeſtitit Sethus Calviſius, cujus praeclarum opus ex merito laudat Scaliger in Epiſt. ad Caſaub. Lib. II. Epiſtolar. pag. 303. & 305. Neque ab altera parte deſtiterunt plurimi, ipſius Petavii errores & falſo intentatas Scaligero criminationes caſtigare, ut fecit Alphonſus a Caranza Ictus Hiſpanus in Diatriba ſuper primore Temporum Doctrina, in libris Petavii contenta, quae poſt illius Tractatum de partu Naturali & Legitimo Genevae 1629 in 4°. excuſa legitur: cui reſpondet Petavius in Lib IV. & V. Variar. Differt. ad Auctar. Oper. de Doctr. Temp. Si igitur Petavius ſine odio & aemulatione, ac ſolo veritatis amore ductus ſcripſiſſet, & debitam hanc Scaligero gloriam grato animo reliquiſſet inlibatam, errores autem ejus ſine acerbitate ac contumeliis verborum graviſſimis non petulanter nimis traduxiſſet, majorem procul dubio iniiſſet gratiam a poſteritate, quae ex aequo judicat, & Petavii merita ac ſingularem in rebus Chronologicis doctrinam agnoſcit, ac ſuo pretio ponit. Pluribus haec diſcutit Auctor praefationis, quae noviſſimae Petavii de Doctrina Temporum editioni praefixa eſt. Quin & fertur Petavius facti poenitentia ductus confeſſus fuiſſe, ſe, ſi egregias illas Scaligeri Epiſtolas prius legiſſet, numquam tantum virum ſcriptis invaſurum fuiſſe, quod Patino moribundum adfirmaſſe tradit Marville Melanges d' Hiſtoir, & de Literatur. Tom. III. pag. 406.

Digitized by Google

atque Gregorii, aliorumque ſanctiſſimorum Eccleſiae Scriptorum videtur praeſtitiſſe: qui cum omnibus Gentilium diſciplinis ingenium ſuum inſtruxiſſent, poſtmodum ſuis ipſos telis Gentiles aggredi, eorumque ſpoliis Eccleſiam Dei ornare ſtuduerunt. Itaque omni virium niſu, omnique animi contentione ad Theologiam converſus, peragratis jam ceteris, eo, quem diximus, ordine, diſciplinis, in ea deinceps, tanquam in portu tranquilliſſimo ac beatiſſimo, ſibi conquieſcendum putavit. In hoc vero excellentiſſimo genere doctrinae quantopere excelluerit, quidve & quantum praeſtiterit, paucis, ſi lubet, expendamus.

Duae ſunt Theologiae partes, quarum prior in ſacrorum librorum expoſitione verſatur, quae Graeco vocabulo Exegetice dici poteſt. Altera eſt Dogmatice, tota fere in diſputatione poſita, ad adſtruendam maxime adverſus haereticos eccleſiaſticorum dogmatum veritatem. Et ad priorem quidem partem maxima ſibi adjumenta atque adminicula PETAVIUS comparaverat, linguae ſcilicet Graecae, Latinaeque, & Hebraici ſermonis peritiam non vulgarem: quibus praeſidiis munitus, in intimos & abditiſſimos quosque ſacrorum voluminum ſenſus facile penetravit. Nihil quidem in eo genere doctrinae ab illo in lucem editum eſt. Quo magis laudanda eſt hominis modeſtia, qui cum hac etiam in parte multa commode poſſet afferre, tamen veterum Patrum expoſitione contentus, quos ſolos veros ac ſinceros ſacrarum litterarum interpretes eſſe norat; ſua premere maluit, quam aut illorum ſcrinia compilare, aut cum illis ambitioſius contendere. Ceterum quanta cum laude, & quam frequenti hominum concurſu ſacros utriusque Inſtrumenti libros in Claromontano Auditorio viva voce diutiſſime expoſuerit, omnes mecum meminiſſe poteſtis. Quod vero ad poſteriorem attinet Theologiae partem, quid opus eſt rem per ſe notam pluribus verbis ac teſtimoniis confirmare? cum verſentur in omnium manibus Theologicorum Dogmatum libri ab illo conſcripti. Quibus in libris quid prius mireris neſcias: an copiam diffuſae lectionis, an ſermonis nitorem & elegantiam, an ordinem rerum ac diſtinctionem, an in exſcribendis Patrum teſtimoniis fidem ac diligentiam, an denique adverſus haereticos Chriſtiani ſpiritus ardorem. Nam quis non miretur ab uno homine, eoque piis profeſſionis ſuae exercitationibus dedito, tot volumina perlegi, tot verſuum millia perſcribi potuiſſe? neque enim, ſicut Origenes ac Hieronymus, uſus eſt opera notariorum, qui verba dictantis exciperent; ſed omnia ſua ipſius manu exarata ad Typographorum praela mittebat. Quis non obſtupeſcat, cum inter legendum viderit res tam arduas & obſcuras & a communi ho-

hominum intelligentia remotas, tanta verborum luce ornari, tamque diſtincto ordine explicari. Haec enim vel maxima PETAVII laus eſt, quod Theologiam, quae antehac rude quiddam & barbarum tinniebat, totamque Dialecticae faecem & colluviem ex Philoſophorum Scholis traxerat, ipſe ſua cura atque induſtria perpolivit. Itaque hi libri, ut equidem auguror, magis magisque ſplendeſcent in dies: & quantum iis nunc detrahere conatur obtrectatorum quorumdam invidia; tanto plus laudis judicio incorruptae poſteritatis iisdem accedet. Porro ardor adverſus haereticos, quem vulgo zelum vocamus, in eo fuit incredibilis, ut ex iisdem libris perſpici poteſt. Etenim tanquam in ſublimi ſpecula conſtitutus, ſi quem noſtrae aetatis haereticum commoviſſe ſe, atque in religionem noſtram impetum feciſſe proſpexerat, illico velut ſilveſtrem feram proſequebatur, telisque reſponſionis ſuae confoſſum redire ocius ad latibula ſua cogebat. Et quemadmodum apud Homerum Achilles imperat Graecis, ne quis, praeter ſe, Hectorem feriat, hanc ſibi uni lauream deberi exiſtimans: ſic fere PETAVIUS noſter, non ambitione quadam, & cupiditate laudis, ſed divino quodam mentis aeſtu, & pietatis ardore incitatus, hanc ſibi pugnam cum haereticis, quicumque inſurgerent, depoſcebat. Nec his contentus, humaniorum quoque litterarum gloriam, quam illi prae noſtrae communionis hominibus ſibi vindicare conantur, eripere ipſis omni cura ac ſtudio ſatagebat. Quo circa ſi quem e noſtris ingenio & doctrina praeditum animadverterat, eum quaſi admotis ſtimulis urgere & ad ſcribendum incitare non deſinebat, ut haberet, quos adverſariis noſtris etiam in hoc genere ſtudiorum opponeret. Quod quidem ejus ſtudium atque inſtitutum erunt fortaſſe qui improbabunt: adeo extraneis potius quam noſtris praepoſtero quodam judicio favere aſſuevimus. Verum quoties penitus introſpicio, qua mente, quove conſilio id PETAVIUS ageret, equidem mihi videor ſatis eum laudare ac mirari non poſſe. Ceterum hunc animi ardorem adverſus haereticos ita temperabat, ut non homines ipſos infeſto proſequeretur odio, ſed errorem dogmatum averſaretur: quo liberari illos, & Eccleſiae corpori tandem adjungi votis omnibus expetebat. Quid non praeſtitit, ut Clariſſimum Virum Hugonem Grotium ad Catholicam (a) communionem adduceret? erat ille quidem minime a nobis alie-

(a) Quae Valeſius hic tradit de Hugone Grotio, quem Virum ut coeli depoſitum venerari, & *numquam ſine ſacro quodam horrore nominare debemus*, ut dicit Broukhuſius ad Tibullum Lib I. El. 6. 10. non miranda in eo ſunt, quippe Catholicae religioni itidem, ut Petavius, addicto; cui ſi fidem hac in re habeamus, Grotius maxime auctoritate & perſuaſione Petavii in Romanenſium caſtra tranſiſſe dicendus eſſet;

alienus, ac paene noſter: quippe qui doctrinam Tridentini Concilii in omnibus ſeſe amplecti palam profiteretur. Id unum ſupererat, ut Eccleſiae ſacra-

eſſet: idem etiam refert de eo Menagius in Tom. II. Menagianor. pag. 322. ubi tradit Petavium, cum Grotius in Catholicorum partes inclinaret, ipſi conſilium dediſſe, ut poſt Legationem Suecicam peractam Pariſios reverteretur, ut ibi tranſlatis in Galliam ſedibus propoſitum illud exſequeretur; additque, Petavium, cum audiviſſet Grotium in itinere Roſtochii obiiſſe, pro animae ejus ſalute cerimonias Miſſae, ut vocatur, celebraſſe, quia perſuaſum ipſi erat, Grotium intimis animi ac pectoris ſui ſenſibus Romanae religionis ſacra amplexum fuiſſe. Qui fata Grotii & res illius temporis cognitas habent, norunt, quantis malevolorum calumniis hac in parte expoſitus, & a multis ut *Grotius Papiſſans*, quo titulo etiam libellum in eum ſcripſit Jacobus quidam Laurentius, fuerit traductus. Idem de eo tradit Valerius Andreas, vir ob rei literariae notitiam laudandus, ſed itidem Papiſta, ideoque hac in re fidei ſuſpectae, in Biblioth. Belgica pag. 398. edit. ſecundae, nam in primâ haec non leguntur; Verba ejus memorabilia merentur hic adſcribi: *Hic* (in Gallia nempe) *dum in examinandis conciliandisque articulis Fidei inter Catholicos atque haereticos controverſis quemdam agit Ariſtarchum, eo tandem vi veritatis preſſus dilabitur, ut in plerisque capitalibus fidei articulis Avorum ac Majorum ſuorum exemplo, primitivam Eccleſiam, quae Romanae connectitur, adeoque Romanam, fateri cogatur ſolam orthodoxam eſſe. Qua in re Miniſtros ac Praedicantes, qui in Batavis rerum potiuntur, non parum offendit, qui variis libellis Grotium Papiſſantem (ita enim eum indigetant) ac criminationibus aggreſſi ſunt.* Eamdem nomini Grotiano injuriam fecit Salmaſius, vir alioquin itidem maximus, ſed nimia alios exagitandi acerbitate ſaepe in transverſa actus, qui ſub ficto Simplicii Verini nomine Epiſtolam ad Juſtum Pacium ſive Judicium de poſtumo Grotii in Rivetum libro edidit, ubi pag. 5. & ſeqq. ſtylo acerrimo, ſed a Salmaſii indole non alieno, Grotium ſuper hac re & commercio ejus cum doctis Jeſuitis proſcindit: falſa praecipue & injurioſiſſima ſunt verba illa, ex Ovidii Epiſt. IX. vs. 23. deſumta, quae in Grotium illic retorquet, qui de Salomone ſcripſerat, *coepiſti melius quam deſinis, ultima primis diſtant.* Grotium enim a pueritia abhorruiſſe a Catholicis ſacris, patet ex eo, quod cum puer tantum XII annorum eſſet, matrem ſuam religioni Catholicae adhaerentem permoverit meliora ſacra amplecti, dicens, *nimis magnum ipſi ingenium eſſe, quam ut inter Papiſtas nomen diutius profiteretur ſuum.* Vid. Brantii vitam Grot. pag. 9. Senem autem in vitae praeſertim fine ab his non degeneraſſe, adparebit ſatis ex iis, quae mox de exitu ejus notabimus, unde conſtabit *eum recte incepiſſe, & bene deſiiſſe, neque in eo ultima primis diſtare.* Juſtus autem Pacius in Reviſione, ut vocit, Simpliciani Judicii, ſive in Reſponſor. ad Salmas Epiſtola pag. 13. & 14. in qua ſcilicet Auctor ille vindicias Grotii agit, has Salmaſii calumnias a manibus Viri maximi non depellit, ſed quaſi illud praecipue ad Grotii famam ſpectaret, magnis laudibus eum ob id praedicar, & veluti in triumphum circumducit, ac tranſitum illius in caſtra Catholicorum cum Auguſtini converſione comparat, unde patet Reviſionis illius Auctorem Papiſtam fuiſſe. Claudius etiam Sarravius, vir abſque controverſia erudititiſſimus, ſed nimio ſaepe Salmaſio gratificandi ſtudio illis itidem, quos deſpiciebat Salmaſius, adverſus & injurius, hac in parte iniquiorem etiam in Grotium animum prodit in Epiſt. CLVI. ad Salmas pag. 160. ubi judicium ferens de poſtumo illo Grotii adverſus Rivetum ſcripto, iisdem fere verbis, quibus Salmaſius in Epiſtola illa ad Juſtum Pacium, Grotium traducit ac famam ejus lacerat: *Veriſſime dixit ille, qui primus dixit, Grotium Papizare. Vix tamen in iſto ſcripto aliquid legi, quod mirarer, quodve ἀπροσδόκητον occurreret. Numquid enim omnes iſtiusmodi ejusdem auctoris incubrationes erga Papiſtarum errores perpetuam συγκατάβασιν & κρύψιν, erga Jeſuitas amorem, erga nos plusquam Vatinianum odium produnt & clamant? in VOTO, quod ejus nomen praeferebat,* (intelligit Grotii Votum de Pace Eccleſiaſtica) *an veritus eſt haec πεφυλαγμένως profiteri?* Salmaſium autem eo in ſcripto ſub Simplicii Verini nomine latere, ſed ſe prodere noluiſſe, patet ex Sarravii Epiſt. CLX. CLXII. CLXIII. ubi cum Sarravius prius auctorem ignorans jejunam libri laudem dediſſet, deinde cognito vero auctore librum ejusque ſcriptorem invidioſis laudibus extollit, unde ejus animus Grotio infeſtus, & Salmaſio obnoxius ſatis patet. Plures aliorum in hanc rem criminationes & calumnias Grotio objectas, quaſi Catholica ſacra, ultimis praeſertim vitae temporibus, amplexus fuerit, adducere poſſem, ſed in re ſatis nota haec cumulare ſuperſedeo. Caeterum nulla magis re haec injuria manibus ſummi illius viri inlata retundi, & macula nomini ac famae ejus inde adſperſa elui poteſt, quam ex hiſtoria exitus & mortis illius. Ex Suecica enim Legatione rediturus, dum Holmia diſceſſit, in itinere maxima tempeſtate oppreſſus, ex incommodis deinde & laboribus viae, quam celerrime conficere volebat, viribus defectus, Roſtochii corripitur mor-

ſacrarium ingreſſus communioni noſtrae ſociaretur. Quod ille neſcio quas ob cauſas, dum ad Catholicae fidei unitatem plurimos ſecum ſperat adducere, conſulto differebat. Poſſem hoc loco ſermones illos vobis commemorare, quibus PETAVIUS eum adortus eſt, tunc cum ille Lutetia excedens poſt Legationis Suedicae munus expletum, PETAVIUM valedicturus inviſit. Verum in aliud tempus haec ſeponere ſatius fuerit, ne taedium vobis longior fortaſſe faceſſat Oratio. Hujuſmodi ergo adverſus haereticos affectus animo fuit PETAVIUS. Quonam autem modo ſe geſſerit erga quosdam noſtrae communionis homines, qui novam quamdam doctrinam invehere conabantur, nequaquam ſilentio praetereundum eſſe arbitror. Tulit aetas noſtra viros graves & ſeveros atque eruditos, qui non contenti diſciplina ſaeculi ſui, dum poenitentiae regulas aut antiquas revocare, aut novas condere conantur, graviſſimos ubique motus & tempeſtates excitarunt. Qui profecto longe conſultius feciſſent, ſi propoſito veteris Eccleſiae ritu ac vigore, in danda & accipienda poenitentia, ad id tantum nos cohortari voluiſſent, ut ſeverioribus deinceps legibus poenitentes adſtringerentur, ne forte ex nimia indulgentia ac veniae facilitate naſci peccandi licentia videretur. Nunc vero ſtudio artioris diſciplinae, cui ſe deditos eſſe profitentur, in tranſverſum abrepti, vulgatum in

om-

morbo graviſſimo, ac paullo poſt letali. In ſupremo autem vitae agone dum verſaretur moribundus, quam alienus a ſacris Catholicis, & ſincera, quae Redemtoris noſtri meritis innititur, fide animam Creatori ſuo reddiderit, patet praeſertim ex colloquio ejus cum Johanne Quiſtorpio, Theologiae illic Profeſſore, quod exhibetur in Cattenburgii Continuatione Vitae Grotianae a Brantio deſcriptae adjecta, pag. 412 & 413 quae omnia, ut illic narrantur, poſt Grotii mortem ipſe Quiſtorpius poſteritati teſtata tradidit in Epiſtola ad amicum ſcripta, quae exſtat in Obſervation. Halenſib. Tom VII. pag. 342. & 343. ubi de vita, morte, & ſcriptis Hugonis Grotii Diſſertatio elegans habetur, in cujus fine Auctor peculiarem Obſervationem de *Grotii Religione* promittit. Inde etiam facile refellitur, quod multi de Grotio narraverunt ac ſparſerunt, quaſi illic animam agens Quiſtorpio ſuper rebus ad ſalutem neceſſariis eum admonenti caput avertens nihil aliud reſponderit, quam *non intelligo*: quam infamem & atrocem calumniam merito in ſcriptore quodam Gallico caſtigat illic Cattenburgius. Unde mirari licet, idem tradi a nupero Scriptore vitae Principis Frederic. Henric. Tom. II. pag. 593. ubi Grotii mors narratur, quamvis Auctor tamen id ita deſcribat, ut non videatur id adtribuere animo Grotii a reformata religione alieno, ſed violentiae morbi auditum ipſi adimentis; Conſtat autem Grotium per aliquot horarum ſpatium cum Quiſtorpio colloquium habuiſſe, in quo fidem ſuam abunde ipſi probavit, ſed poſt preces Quiſtorpii ad Deum fuſas, paullo poſt defeciſſe, dicentem, ſe vix amplius aliquid intelligere poſſe, & poſt haec exſpiraſſe. Pluribus egregie hanc cauſſam agit, & Grotii famam vindicat Baylius in Lexico Hiſtoric. & Critic. pag. 616. & 617. & qui ſingula fere verba, quae hic in contumeliam Grotii, & laudem Petavii adfert Valeſius, excuſſit ac refellit Auctor Vindiciarum Grotianarum, quae paucis ab hinc annis Delphis excuſae ſunt, pag 513. & ſeqq. Ignoſcet autem mihi Lector, quod hac in re copioſius forte exſpatiatus ſim, verum ne graviſſimae huic calumniae auctoritas Valeſii pondus forte adjiceret, haec a me notari exigebat veneratio, qua omnes cordatos decet proſequi *Virum maximum de Literis, Patria, & Eccleſia optime meritum*, quo elogio Grotium eodem jure, quo in ultimis Orationis hujus verbis Petavium Valeſius, exornare nos decet; & *cujus ſancta nobis Batavis debet eſſe memoria*, ut ait. N. Heinſius in notis ad Claudian. Lib. I. in Eutrop. v. 357.

omnibus Eccleſiis abſolutionis ritum improbare, damnare, & contumelioſe traducere peſſimo exemplo inſtituerunt. Porro librum ſuum, quo hujusmodi doctrina continebatur, multorum antiſtitum ſubſcriptionibus callide munierunt; eo ſcilicet conſilio, ut auctoritate ſacerdotalis nominis oculos omnium praeſtinguerent atque ora obturarent. Extitit tamen PETAVIUS noſter, qui, ne hac occaſione id malum latius ſerperet, veritus, ſalva Pontificalis gradus reverentia, eorum errorem atque audaciam doctiſſima reſponſione coarguit, adeo ut ipſos diſtinctius poſthac & modeſtius loqui cogeret. Hic liber eſt ab illo Gallice conſcriptus; eo tamen nitore atque ornatu ſermonis, ut mirum merito videatur, hominem Graecae, Latinae, Hebraicaeque linguae tanta peritia inſtructum, vernacula etiam lingua tam diſerte ac commode ſcribere potuiſſe. Poſt haec excepit eum gravior & difficilior pugna, de Gratia ſcilicet, adverſus eosdem homines, qui Auguſtino, aut potius Janſenio nimium addicti, non minorem ejus ſcriptis, quam authenticis Euangeliorum libris fidem atque auctoritatem adſtruere nituntur. Primus enim hujus novae opinionis auctor & ſignifer noſtra aetate fuit (*a*) Janſenius, qui variis Auguſtini ſententiis hinc inde excerptis, & quo voluit, ordine digeſtis, ingratiſſimam quamdam de Gratia opinionem in Theologiae ſcholas invexit. Quo quidem facto longe plus Galliae nocuit, quam famoſo illo libello, qui *Mars Gallicus* inſcribitur, quo belli hujus diuturni tot iam annorum ſpatio in Europa ſaevientis auctores fuiſſe Gallos criminatus eſt, ipſe auctor peſtiferi belli, quo nunc Gallicana ardet Eccleſia. Atque utinam intra hos fines vis tanti mali ſubſiſtat, nec reliquas Eccleſias quadam contagione corripiat. Hunc Belgam

(*a*) Egit hoc Petavius. & opinionem Janſenii de Gratia impugnavit in Libris de Lege & Gratia, contra quos cum Libertus Fromondus Theologiae Profeſſor Lovanienſis, & Janſenii ſucceſſor ac patronus, ſub nomine Vincentii Lenis Theriacam edidiſſet, Elenchum Theriacae illius repoſuit Petavius: quae binae diſſertationes habentur in Tom. III. Operum Petavii. Ut autem Valeſius in gratiam Petavii in Janſenium ejusque ſectae ſocios hic invehitur, ita contra ob id ipſum magnis laudibus Janſenium effert Valerius Andreas in Biblioth. Belg. pag. 155. eumque ex profundiſſimi omnium Theologorum magiſtri Auguſtini principiis dilucide ac ſolidiſſime Gratiae divinae dogma ob oculos poſuiſſe jactat; unde partium ſtudium utrimque adparet. huc referendum etiam eſt acutum Hadriani Valeſii Epigramma inter Ejus Poëmata pag 68. quo Janſeniſtas, qui Regis favore & aulae gratia exciderant, irridet.

G R A T I A   N O N   E F F I C A X

Vos, quibus Iprenſis ſcripta Praeſulis placent.
Plorate. Magnum contigit vobis malum,
Veſtrumque dogma Janſeniique deſtruens,
Unam putantis efficacem Gratiam &c. ſeqq.

Famoſum autem Janſenii librum, qui *Mars Gallicus* inſcribitur, quem hic tangit Valeſius, edidit auctor ſub titulo, *Alexandri Patricii Armacani Theologi Mars Gallicus, ſeu de Juſtitia armorum & foederum Regis GALLIAE*: de quo vide Baylium in Lexico Critic. & Hiſtor. Tom. II. pag. 825.

gam Gallici nominis hoſtem acerrimum Theologi iſti ducem habent, & pro Hipponenſi Epiſcopo Iprenſem ſequuntur. Nec intelligunt ſe de Auguſtino male mereri, qui, praetermiſſis tot egregiis ejus verbis, atque ſententiis, quibus mores hominum ad virtutem informari poſſunt, ea ſola rimantur in illius libris, quae Auguſtino ipſi invidiam faciant, & quae Calvino potius, quam Catholicis favere videantur. Cum ſi Auguſtino, ſi ſibimet ipſis, ſi Eccleſiae denique conſulerent, haec aut benigna interpretatione mollire, aut in ſuis, ut jacent, locis relinquere, & ſilentio praeterire debuiſſent. Itaque Auguſtinus, ſi viveret, his eos verbis adlocuturus videtur. *Quid agitis, viri boni, quo tenditis, quodnam conſilium, quis eſt ſcopus altercationum veſtrarum? quid meum nomen diſcidiis veſtris praetenditis, meque Calvino adſtipulatorem & patronum paratis? Calviniani certe idem vos ſecum de Gratia ſentire gloriantur: ipſi illi, qui a Calvinianis ad Eccleſiam tranſeunt, hanc ipſam eſſe Calvini ſententiam, quam vos defenditis, aſſeverant. Atqui ego non ea mente ſcripſi, ut haereticos patrocinio meo adjuvarem, ſed potius ut eos retunderem. Fruſtra ſub umbra nominis mei latere cupitis, & doctrinae veſtrae novitatem auctoritate mea firmare contenditis. Ego me in Janſenio non agnoſco; nec ex Afro Belgam factum iri credideram. Si me amatis, eam potius ſententiam ſequimini, quam totius Eccleſiae probat aſſenſus, quam ante Janſenium in ſcholis veſtris omnes Theologi docuerunt. Nolite pacem Eccleſiae violare, tunicam Chriſti diſcindere, ignem denique mutuae caritatis exſtinguere. Certe plus odiis, quam rationum copia certatis. Haec diſcidia ex odio partium nata ſunt, quae coitionibus fovetis, dum multos partim pollicitationibus, partim blanditiis, in veſtram ſententiam traducere tentatis.* Haec exprobranti Auguſtino quid habent quod reſpondeant? quod ſi forte haec Oratorio more a me fingi dicent, eorum conſcientiam appello: ipſos in ſua cauſa teſtes, ipſos judices fero, annon ea, quae dixi, certiſſima ſint atque veriſſima. Igitur adverſus illos PETAVIUS pro recepta opinione, quam ante Janſenium omnes vulgo Theologi docuerant, & quam ipſe PETAVIUS olim in Sorbonenſibus ſcholis, cum Duvallii auditor eſſet, acceperat, fortiſſime propugnavit. Hoc illi poſt tot Herculeos labores certamen ultimum fuit. Cui licet immortuus, nihilominus, ut ille quondam apud Olympiam pugil, victor poſt obitum, Dei ipſius, ut opinamur, dextra coronatus eſt. Vir certe Hieronymo, Baſilio atque Gregorio, & ſummis quibusque Eccleſiae Scriptoribus merito conferendus: quippe qui eximiam eruditionem cum pari vitae ſanctitate conjunxerit.

rit.

rit. Vixit enim ſumma innocentia in illo Claromontani collegii vertice, ſtudiis dumtaxat litterarum, & coeleſtium rerum meditationi deditus. Adeo ab omni ambitione, & inanis gloriae cupiditate alienus, ut cum hinc ab Urbano ſummo Pontifice, inde a Philippo Hiſpaniarum Rege expetitus atque evocatus fuiſſet, tamen in nidulo illo Claromontani Collegii conſeneſcere maluerit, quam Regalis & Pontificalis alloquii honore decorari.

Hunc ergo talem ac tantum Virum, vindicem ac columen litterarum, quamvis matura morte nobis ereptum, merito lugemus: & poſt tot doctiſſimorum virorum continua prope funera, hanc acerbiſſimam litterarum cladem non injuria exiſtimamus. Etenim hoc ſublato, qui ſtudia noſtra inclinata jam ac paene labentia ſolus fulcire adhuc videbatur; quis deinceps in ejus locum ſufficiendus eſt? Sed fortaſſe ego imprudens, qui de ingeniis hominum noſtrorum male ſentiam ac deſperem. Superſunt enim ſatis multi, atque utinam diu ſuperſint, qui pro virili parte litterarum gloriam ſuſtinere, eamque Gallis aſſerere poſſint. Maximum tamen ac ſplendidiſſimum inter omnes ſemper habebitur DIONYSII PETAVII nomen; ejusque excellens ingenium, & ſingularem doctrinam tot illuſtribus cognitam lucubrationibus, omnes poſteri, amoto livore invidiae, mirabuntur; ſimulque nos recte atque ordine feciſſe judicabunt, qui maximum Virum, de Litteris, de Patria, deque Eccleſia optime meritum, hac qualicumque laudatione, & grati animi teſtificatione mortuum proſecuti ſimus.

IN DIONYSIUM PETAVIUM
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM
(*a*) E P I G R A M M A.

Μοῦσαι βωλόμεναί ποτε παρ' θνητοῖσι κατοικεῖν
Ἐν Διονυσείῃ πῆξαν ἕδος κραδίῃ.
Τοὔνεκα παντοδαποῖσι λόγων ἐν σχήμασι λάμψας
Ὡνὴρ, ἐν πᾶσιν πάντας ὑπερβάλετο.

HENRICUS VALESIUS.

(*a*) Hoc Valeſii Epigramma Graecum neque in vitis Selectorum Virorum Bateſii, in quibus haec Oratio legitur pag. 678. & ſeqq. neque in Editione Epiphanii, quae cum Animadverſionibus Petavii prodiit Coloniae an. 1682. 2 voll. in folio: & cui haec Oratio praefixa eſt, ſubjunctum in fine habetur.

HEN-

HENRICI VALESII, ORATIO DE PACE Ad Eminentiſſimum Cardinalem JULIUM MAZARINUM.

habita anno 1659.

PLEROSQUE homines ita ſentire videmus, CARDINALIS EMINENTISSIME, nihil eſſe in rebus humanis ſplendidius atque illuſtrius, quam gloriam rei militaris. Itaque obſidiones urbium atque oppidorum, & pugnas atque victorias & parta de hoſtibus tropaea velut ſtupore quodam defixi mirantur: & Duces bellica laude praeſtantes, tanquam Heroas quosdam, non modo vivos ſuſpiciunt, ſed etiam mortuos ſummis efferunt laudibus. Sit haec ſententia hominum plebeiorum, qui nudam rerum ſpeciem contemplantes, vana potius opinione quam judicio ac ratione ducuntur. Verum qui res ipſas altius introſpiciunt; easque non ex opinione vulgi, ſed ad veritatis amuſſim examinant, longe aliter ſentiunt. Nam quanto animus praeſtantior eſt corpore, tanto pacis artes bellicis antiſtare cenſent. Nec immerito: quippe bellum corporis viribus geritur; pax animi vigore & prudentia comparatur. Et in bello quidem militum robur, plurimum ad victoriam confert: hic unius hominis mens innumeris militum manibus potentior, totum negotium perficit. Atque haec a me dicta ſint, non ut negem ſcientiam rei militaris laude ulla dignam eſſe, quam Regibus atque Imperatoribus utilem in primis ac neceſſariam eſſe ingenue profiteor: quippe cujus auxilio imperia augentur ſimul & conſervantur: Id tantum affirmo, pacem bello longe antiſtare, eosque, qui ineundae pacis & componendorum foederum periti ſunt artifices, longe majorem gloriam mereri, quam eoi, qui rei militaris

 ſcien-

ſcientia excellunt. Quod ſi quis nondum abunde convictus eſt his rationibus, quas ſuperius adduxi; is, poſtquam ea, quae mox dicturus ſum, animo perpenderit, fatebitur profecto, non ſine cauſſa me pacis artibus praerogativam palmamque tribuiſſe. Quis eſt enim, qui neſciat, id, quod alterius cauſſa comparatum eſt, inferius eſſe illo, cujus gratia comparatum eſt. Atqui bellum non niſi pacis cauſſa & ſuſcipitur & geritur: quippe civilis rei ſcientia eo tendit ac ſpectat, ut rempublicam non modo ſalvam atque incolumem praeſtet, verum etiam ut ſummam felicitatem populis conciliet, quae ſine pace conſiſtere nullo modo poteſt. Atque ut gubernatoris officium eſt, navem inter fluctus ventoſque ac ſcopulos ita prudenter regere, ut eam felici curſu perducat ad portum: ſic is, qui reipublicae gerendae praepoſitus eſt, id ſibi ante omnia propoſitum eſſe intelligat, ut populos, qui ejus curae commiſſi ſunt, in pace ac tranquillitate contineat, remotos ab omni tumultu bellorum ac ſeditionum. Quod quidem officium ejuſmodi eſt, ut a Deo potius quam ab homine ullo praeſtari aut ſperari debeat. Hinc eſt, quod in ſacris religionis noſtrae libris, pacis ſtudioſos homines, Dei filios divino oraculo legimus appellatos. Idque jure optimo. Etenim quicumque pacis auctor eſt, & qui non modo animi ſui motus omnes ipſe pacare novit, verum etiam alios inter ſe diſſentientes ad pacis concordiam revocare; qui non modo inter privatos homines pacem componere poteſt, ſed etiam inter potentiſſimos reges, inter fortiſſimos populos, naturali quadam aemulatione & diuturni belli ardore ſuccenſos, foedus amicitiae renovare: eum excellenti ac divina quadam natura praeditum eſſe oportet; quippe qui beatam illam felicitatem, quam Deus bonis viris juſtisque poſt obitum pollicitus eſt, jam nunc in terris repraeſentat. Quid umquam hujuſmodi ab illis victoribus ac triumphatoribus, ab illis urbium expugnatoribus ſperes, quorum felicitas aliorum luctu & calamitatibus comparatur: qui niſi plurimis, non hoſtium modo, ſed etiam ſuorum, infeliciſſimis, ipſi felices eſſe non poſſunt. Ac bellatores quidem hujuſmodi multos reperias; nec ullis umquam Imperatoribus aut Regibus duces rei militaris defuiſſe legimus, qui caſtra opportune metari, urbes vallo & foſſa circumdare, aciem inſtruere, proelium cum hoſte committere, ſignum receptui dare probe noſſent. Pacis vero faciendae & ſervandae peritos artifices, haud quaquam facile eſt invenire. Nam, ſi Romanam evolvamus Hiſtoriam, jam inde a Romulo, qui primus urbis imperiique Romani conditor fuit, duos tantum ea laude illuſtres fuiſſe comperiemus: ex Regum numero Numam Pompilium; ex Imperatoribus autem

Ro-

Digitized by Google

Romanis Antoninum, eum, qui Pius cognominatus eſt. Horum enim uterque populos in ſumma pace ac tranquillitate rexit: adeo ut exterarum gentium reges uni ex illis controverſias ſuas judicandas terminandasque permitterent. Ex Miniſtris vero Regum atque Imperatorum unus eo nomine celebrandus mihi inpraeſentiarum occurrit Cineas, qui Pyrrhi Epirotarum Regis amicus & conſiliorum particeps fuit. Hic cum videret Regem aeſtu quodam Martio inflammatum, nova cotidie bella meditari, nec patrio contentum regno, transmarina imperia ambire, nihil non molitus eſt, ut illum ab hujusmodi conſiliis revocaret. Quid enim, aiebat, emolumenti acceſſurum eſt, ſi auxilium ferentes Tarentinis, vicerimus Romanos? Cumque ſubjeciſſet Pyrrhus totam deinceps Italiam ſub ditione ſua futuram: interrogavit Cineas, quidnam poſtea acturus eſſet? in Siciliam, inquit Rex, transjiciemus, eaque facile potiemur. Quid deinde? ſubjunxit Cineas: poſtea in Africam invademus, ait Pyrrhus. Hac ſubacta, quid tum? domum reverſi, ait Pyrrhus, reliquum tempus vitae pacate & quiete degemus. Hic Cineas: quidni ergo id jam nunc agimus, quando id nobis licet? Et cur per tot diſcrimina raptum imus, quod ſine labore domi partum habemus? idem, cum Pyrrhus in Italiam trajeciſſet, primoque proelio ſuperaſſet Romanos, perſuaſit Regi, ut legatione miſſa, pacem cum Romanis faceret. Quamvis enim ii, qui res a Pyrrho geſtas nobis reliquerunt, id conſilium nominatim Cineae non adſcribant, tamen qui cum cura & judicio ſcriptores hiſtoriarum legunt, numquam dubitabunt, quin hoc ſapientiſſimum conſilium a Cinea ſuggeſtum ſit Pyrrho. Ex his enim, quae de utriusque ingenio ab illis ſunt prodita, ita conjicere debemus, quaecumque a Pyrrho ſapienter & conſulte geſta ſunt, ea illum ex Cineae feciſſe conſilio: reliqua temere violenterque facta ex Pyrrhi ipſius impetu atque motu profecta eſſe. Et hujusmodi quidem fuit Cineas. Noſtra vero aetate Cardinalem Armandum vidimus principatu Ludovici Juſti, conſiliorum regalium Miniſtrum, qui primus Miniſtri regalis officium & nominavit & geſſit. Hic vir, quantae eſſent imperii Francici vires, primus videtur intellexiſſe, & vicinis noſtris oſtendiſſe. Namque antea nec ipſi Franci, quantis opibus pollerent, ſatis cognitum habebant; nec externis id liquido compertum erat. Ejus conſilio Ludovicus Senior cum Rupellam munitiſſimam ſeditionis arcem expugnaſſet, Caſalim Hiſpanorum obſidione liberaſſet; bellum tandem indixit Hiſpanis. Quo quidem bello cunctis in Europa degentibus, experimento ipſo patefactum eſt, eam eſſe vim ac potentiam Francici regni, ut ſe & ſocios ſuos per ſe ipſum tutari facile poſſet, metumque

que potius aliis incutere deberet, quam alios formidare. Ac, licet rerum geſtarum gloria Principi, cujus auſpiciis geruntur, merito adſcribenda ſit; non exigua tamen pars laudis ei impertienda eſt, cujus conſilio ac miniſterio ſuſceptae ſunt atque perfectae. Nam profecto fatendum eſt, Cardinalem Armandum, poſtquam Ludovici Senioris conſiliis admotus, principem inter Miniſtros locum obtinere coepit, plurimum momenti ad victoriam contuliſſe. Mira in illo ſolertia, ingens vigor animi, & ad id, quod ſemel ſuſcepiſſet perficiendum, incredibilis pertinacia. Hoſtem undique urgere, inſtare ſucceſſibus: nec quietem victis, nec laxamentum dare: modo duces & magnates, modo provincias hoſtium ad deditionem ſollicitare. Verum ut in bello gerendo acer inprimis ac ſtrenuus, ita ad pacis conſilia ſegnior fuit. Itaque laudem finiti belli, compoſitaeque pacis, ſucceſſori ſuo integram conſervavit. Tu igitur, CARDINALIS EMINENTISSIME, utroque felicior exſtitiſti, Cinea ſcilicet & Armando. Nam ille quidem nec Pyrrho perſuadere umquam potuit, ut, domi manens, pacem & quietem, tanquam ſalutares Deas coleret; nec Romanis, ut pacem a Rege, licet victore, licet aequiſſimis conditionibus oblatam, amplecterentur. Id enim tantum petebat Pyrrhus, ut Tarentinis, quibus auxilio venerat, parceretur. Tu vero & Regem Chriſtianiſſimum, tametſi multo potentiorem, nec minus bellicoſum, quam fuit Pyrrhus; non unica, ſed pluribus victoriis glorioſum, jamque de totius belli ſumma palmam merito ſperantem, auctoritate tua ad pacis foedera facile traduxiſti. Quid enim tibi non ille concederet, educationis ſuae praeſidi, Regiae Majeſtatis vindici, conſiliorum omnium auctori? & Hiſpanis non difficile perſuaſiſti, ut pacis conditionibus abs te oblatis adquieſcerent. Quamobrem, ſi quis Cineam tecum conferre vellet, multo inferior tua laude Cineas deprehenderetur. Sed neque Armandus, quantumvis ob illuſtria facinora ab omnibus praedicetur, tuas umquam laudes, tamque gloriam aequaverit. Etenim ſi quis res bello geſtas velit inter ſe componere, longe plura & majora tuo miniſterio geſta eſſe reperiemus: plures urbes hoſtium captas atque expugnatas; plura proelia conſerta; plures ac majores triumphos de hoſtibus reportatos: idque Rege adhuc pupillo, adhuc ſub matris tutela conſtituto: quod tempus turbidum plerumque ac ſeditionibus obnoxium eſſe ſolet. Proinde & rebus bello geſtis, Armandi gloriam longo intervallo ſuperaſti: &, hac recens abs te compoſita pace, non Armandi ſolum, ſed omnium, quotquot umquam Regum noſtrorum conſiliis praefuerunt, laudes ac merita ſupergreſſus es. Non igitur inpraeſentia dicam tot

inſignes

inſignes victorias, te miniſtro & auctore, partas: Theudonis Villam ac Montem Medium expugnatas: praetereo Valentiam in Italia atque Dertoſam: non commemorabo Stenatum & Clarum Montem: omitto Dunkerkam, Gravelingam, urbes munitiſſimas, Iprenſium civitatem, Audenardam, Dixmudum, unius anni expeditione captas. Pax illa, quam modo pepigiſti, omnibus tropaeis ac victoriis & triumphis merito anteferenda eſt. Quare ſi victoriarum tituli, ſi palmae & laureae tibi nunc deeſſent ad laudem; tamen omnes hujusmodi titulos pacis hujus gloria compenſares. Adeo illuſtris & magnifica res eſt pax iſta, quam Tu nobis non niſi Dei optimi maximi nutu atque arbitrio praeſtitiſti. Et antea quidem ſaepe de Rege Chriſtianiſſimo, deque univerſa Gallia bene meritus es; ex quo ad Caſalim duas potentiſſimas Europae gentes jam gladios haſtasque vibrantes, interventu tuo diremiſti. Numquam tamen tam illuſtri beneficio Francos tibi divinxiſti, nec devincturus es, quam hac pace, qua omnes Regis Chriſtianiſſimi victorias, omnes palmas ac triumphos confirmaſti. De maximis Regibus, deque eorum Conſiliariis ac Miniſtris poſteritas ſemper loqui ſolet, & in eorum actus inquirere, ac liberam de ſingulis judicii ſui proferre cenſuram. Quoties igitur poſteritas de Te verba factura eſt, (faciet autem frequentiſſime) toties pacem hanc tuam commemorabit. Haec inter tuas laudes principem obtinebit locum. Et Armandus quidem belli facem accendiſſe dicetur; tu reſtinxiſſe. Illum dicent navem Reipublicae in medios fluctus ac ſaeviſſimas tempeſtates, in ſcopulos & ſaxa truſiſſe: te vero tranquilliſſimum pacis portum nobis aperuiſſe. Ab illo in graviſſimam aegritudinem & in maximum vitae diſcrimen res Galliae adductas eſſe: abs Te ſalutem ac vitam ipſam eſſe reſtitutam. Sed ne quis me Oratorum more res exaggerare, & in dicendo iuſtum ac debitum modum excedere fortaſſe putet; mecum, ſi placet, AUDITORES ORNATISSIMI, cauſſam omnem breviter expendite.

Duabus potiſſimum ex causſis ſpectari ſolet cujusque operis magnitudo ex difficultate ſcilicet, quae factum antecesſit; & ex ea, quae id conſequitur, utilitate. Etenim natura, ſeu Deus ipſe naturae parens, pulcherrimas quasque res & praeſtantisſimas labore, quaſi quodam ſepimento vallavit, ut ad eas non niſi difficile eniti atque adſpirare poſſemus. Verum, etſi quaecumque maxima & pulcherrima ſunt, eadem ſint difficillima: non tamen quaecumque difficilia, eadem quoque maxima dici merentur. Sunt enim opera quaedam tenuisſimae ac minutisſimae artis; cujusmodi Myrmecidis cujusdam currus fuiſſe dicitur: quae quoniam nullum ſui uſum prae-

praeſtare hominibus poſſunt, ſpectantur quidem ab omnibus & laudantur. Inter magna vero ac praeſtantia & orbis totius admirationem promerita locum nullum habent. Ea vero, quae & difficultatem habent maximam, nec minorem afferunt utilitatem, merito maxima ab omnibus exiſtimantur. Quamobrem ut quam praeclarum & excellens opus ſit pax iſta nuper a te facta, cognoſcere poſſimus, quanta fuerit ejus difficultas, quanta deinceps futura ſit utilitas, prius examinemus neceſſe eſt. Prima quidem fronte rem ſpectantibus, nihil facilius eſt pace, nihil expeditius quiete, nihil concordia promptius. Ad hoc enim nec ullo armorum apparatu, nec militum copiis, nec commeatu, nec ſumptu, nec labore opus eſt, ſed ſola animi indictione atque voluntate. Quin etiam natura omnes eo ducimur: quae cum nos alienae opis egentes in lucem ediderit, ſatis hoc facto admonet, neceſſariam nobis eſſe concordiam: ut mutua opera juvare nos invicem & juvari poſſimus. Denique quam naturale ſit nobis pax atque concordia, hinc maxime apparet, quod non niſi ex naturali mentis ſtatu deturbati, & praeter naturam agitati atque commoti ad rixas pugnasque progredimur, & ſedatis poſtea mentis aeſtibus pacem denuo concordiamque reſarcimus. Verum, etſi res omnium facillima ſit pax & quies; omniſque humanae vitae felicitas in eo poſita eſſe videatur, ut quiete & pacate degamus; hominum tamen improbitas & amentia effecit, nihil ut difficilius in terris reperiatur. Quos enim concordes magis eſſe oporteret quam fratres, quam propinquos & affines? atqui quotidiano experimento & vulgari quoque proverbio notum eſt, raram fratrum eſſe concordiam. Quod ſi iſti, quos communi ſanguinis vinculo natura conſtrinxit, aegre tamen inter ſe concordare poſſunt; quanto difficilius extranei? percurramus agros, oppida, civitates, vix ullam domum privatam reperiemus diſcidio ac tumultu vacuam: in qua aut filii a parentibus, aut viri ab uxoribus, aut a dominis famuli, aut diſcipuli non diſſideant a magiſtris. Nihil opus eſt ire per ſingula. Quotidie litigantium turbis forum teritur, & cauſſidicorum clamoribus perſtrepunt tribunalia. Quid aliud eſſe haec loca dixeris, quam diſcordiae delubra; quam aream civilis cujusdam belli; aut arenam; in quam cives quotidie deſcendunt, ut ſe mutuo jugulent. Ac neſcio utros ex illis infeliciores dicam; an litigantes, qui tam infeſtis animis, tantaque pertinacia inter ſe decertant; an cauſſidicos, qui mercenariam illis linguae ſuae operam locant; an judices, qui patienter haec ſuſtinere & audire coguntur? niſi quod litigantes in eo infeliciſſimi ſunt, quod maximo ipſorum damno atque diſpendio tota res geritur. Horum

Digitized by Google

igitur aliquos diuturna lite, & multis quaeſtionum ambagibus intricata colliſos, ſi quis inter ſe reconciliare tentaverit, quanto labore opus eſt? adhibendi ſunt amici ſequeſtres atque interpretes. Eligendi arbitri, juriſperiti. Atque interdum, dum apud tabularium transactionis inſtrumentum conſcribitur, utraque pars, negotio infecto, diſcedit. Quod ſi tantae molis ac difficultatis eſt, privatos homines ex graviſſimis inimicitiis ad pacem traducere: quanto eſt operoſius inter potentiſſimos Reges diuturno bello acerrime congreſſos & mutuis cladibus accenſos potius quam fractos ac debilitatos, pacem ſemel ruptam redintegrare. Nam is quidem, qui victus eſt, dum acceptam cladem aut Ducum imperitiae, aut militum ignaviae adſcribit, nihil aliud quam de recuperandis urbibus & reparando bello cogitat; nec ullas pacis conditiones libenter amplectitur; ne victori ſuccubuiſſe, & majeſtatem regiam imminuiſſe videatur. Victor vero praedae dulcedine & victoriarum voluptate captus, ſemper ulterius progredi, ac limites imperii promovere contendit. Ita bellum quotidie, quaſi quoddam incendium, novis incrementis augetur & in multas protrahitur aetates: ac ſaepenumero ad heredem una cum principatu transmittitur. Neque enim tam facile reſtinguitur bellum, quam accenditur. Hujus rei illuſtre habemus exemplum hoc bello, cui Tu, CARDINALIS EMINENTISSIME, finem feliciter impoſuiſti. Quod enim bellum tam grave, tam diuturnum umquam fuit, tanta animorum pertinacia, tanta copiarum multitudine, tanta apparatuum copia geſtum, tot proeliorum atque obſidionum, tot caſuum varietate inſignitum, tot ſociorum ac foederatorum conſortio nexum; tot nodis, tot ad faciendam pacem obicibus impeditum, tam late terra marique diffuſum? Peloponneſiaci belli Hiſtoriam ſcripturus Thucydides, auctor graviſſimus, multum laborat, ut illius magnitudinem lectoribus ob oculos proponat. Sed ſi cum hoc poſtremo, quod geſſimus, bello, Peloponneſiacum illud contuleris, ludicro certamini ſimilius videbitur quam bello. Punicum fortaſſe bellum nobis aliquis opponat. Verum illud nec tot proeliorum multitudine, nec tot obſidionum numero, nec tanto temporis ſpatio geſtum eſſe dicitur; unoque ad Carthaginem proelio tandem confectum eſt: quo devicta Carthago in ditionem poteſtatemque populi Romani ceſſit. Hoc autem bello, quod per quatuor ac viginti annos absque ullis induciis geſſimus, quamvis plurimae urbes captae, vi atque expugnatae, plurimi exercitus caeſi, provinciae amiſſae; tamen experimento ipſo compertum eſt, eam eſſe potentiam utriusque Regum; ut alter quidem proelio vinci ab altero poſſet; opprimi tamen penitus & debellari non poſ-

poſſet. Quare alia nobis quaerenda ſunt bella, quae cum hoc noſtro comparentur: cum Punicum illud tanta celeritate confecerint Romani, poſtquam in Africam transgreſſi, bellum, quod Hannibal portis urbis admoverat, ad ipſius Carthaginis moenia tranſportarunt. Multa prius cum Hiſpanis bella geſſimus, jam inde a Franciſco, qui primus ex Regum noſtrorum numero eo nomine eſt appellatus. Sed neque bellum, quod hic cum Carolo Hiſpaniarum Rege atque Imperatore; neque alterum, quod Henricus ejus filius cum Philippo Caroli filio geſſere, ſicet maxima vi atque animorum incredibili contentione utrimque ſint geſta; ulla ex parte cum hoc ultimo conferri poſſunt. Enimvero illa crebris induciis interrumpi ac diſtingui ſolebant. Ac fere, ubi hibernum tempus advenerat, Principes noſtri, ut ſumptui parcerent, exercitum dimittebant. Quo factum eſt, ut interdum imparati ab hoſtibus opprimerentur. At hoc poſtremo bello, quod per continuos quatuor ac viginti tractum eſt annos, nullas omnino inducias vidimus: nec minus hieme quam aeſtate urbes obſeſſas, commiſſa proelia eſſe meminimus. Quamobrem ſi quis hoc bellum, omnium, quae umquam geſta ſunt, graviſſimum atque atrociſſimum eſſe affirmet, is, meo quidem judicio, rectiſſime ſenſerit. Porro ex gravitate belli difficultatem Pacis colligere debemus. Nam ut incendium, quo majus eſt atque violentius, & longius latiusque diffuſum, tum ventorum vi, tum materiae copia; eo majore negotio reſtinguitur: Ita bellum, quo fuerit ardentius, quo majoribus copiis atque opibus geſtum: quo plurium ſociorum auxiliis, quaſi flabello quodam excitatum, eo ſedatur comprimiturque difficilius. Neque enim noſtra ſolum cauſſa in eo finiendo ponderanda eſt; ſed habenda praeterea ratio ſociorum ac foederatorum. Satisfaciendum erat Batavis, Suecis, Luſitanis, Sabaudis. Quorum alii urbes quasdam ſibi donari, alii nonnullas ſibi reſtitui poſtulabant, alii bello parta mordicus retinere, nec ullam glebam reſtituere ſuſtinebant. Horum omnium jura, deſideria, poſtulationes, nos tanquam patronos tueri & adſtruere oportebat; niſi illos pro ſociis hoſtes in poſterum habere mallemus. Et quamquam his difficultatibus maxima ex parte jam proviſum erat pace Monaſterienſi, quam Suedi & Batavi ante nos fuerant amplexi; tamen nova quaedam negotia poſt iſtam pacem ſuccreverant, quae maximum paci noſtrae obſtaculum allatura eſſe videbantur. Negotium dico Principis Condaei, quem Hiſpani quidem bonis omnibus, privilegiis, honoribus, praefecturis, & adminiſtrationibus reſtitui flagitabant. Contra vero Rex Chriſtianiſſimus, id arbitrio ſuo, clementiaeque permittendum eſſe cenſebat.

Huic

Digitized by Google

Huic negotio gravi per ſe atque difficili, alterum acceſſerat non minoris momenti, motum ſcilicet nuper in Germania bellum inter Suedos & Brandeburgicos. Quo bello Ferdinandus Imperator commodatis Brandeburgico Principi copiis ſuis, & in Pomeraniam immiſſis, contra pacis Monaſterienſis foedera feciſſe arguebatur: denique poſtremo illo foedere, quod cum Anglis pepigimus, ſpes pacis penitus nobis intercluſa eſſe videbatur. Nemo fere inter nos erat paullo prudentior, qui non ita ſentiret tacite, & palam aſſeveraret, incolumi ac ſuperſtite Anglorum Protectore, pacem a nobis fieri nullo modo poſſe. Tot igitur difficultates, tantam molem negotiorum, tot obſtacula atque impedimenta quis umquam ſuperare valuiſſet? Quis hujus belli nodos atque nexus diſſolvere, quis pacis obices diſturbare potuiſſet? quis fibras, quis capita hujus belli, quae cottidie inſtar hydrae cujusdam ſuccreſcebant, ſuccidere? Tentatum id jampridem fuerat in conventu Monaſterienſi a multis & maximis Europae Principibus; qui legatos ſuos viros prudentiſſimos in eam civitatem miſerant; ut eorum opera atque interventu pax inter Francos & Hiſpanos firma ac ſolida componeretur: ſed poſt multos conſeſſus atque tractatus, poſt diuturnas quinquennii moras, tandem, re infecta, diſceſſum eſt; niſi quod Germani cum Suedis ac Batavis pacis conditionibus acquievere. Inter Francos autem & Hiſpanos, quorum in eo bello praecipuae partes erant, & quos pacatos eſſe plurimum intererat, bellum remanſit. Idque tanto acrius, quanto mentione pacis inflammati magis quam emolliti eſſe animi videbantur. Secutis deinceps aliquot tractatibus, & colloquiis nihil omnino promotum eſt. Soli tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, haec gloria ſervabatur; ut quod ſummi Principes, quod ſapientiſſimi legati in unum coeuntes tanto temporis ſpatio perficere nequiverant, unus tu trimeſtri colloquio perpetrares. Tu graviſſimas difficultates, quae pacem tamdiu morabantur, invicto animi robore ſuperaſti. Tu pacis obſtacula removiſti; tu omnium contentionum nodos atque articulos admirabilis ingenii dexteritate ſolviſti. Gordium quemdam nodum olim in Phrygia fuiſſe ferunt, quem quicumque extricare potuiſſet, ei ſumma felicitas veteri quodam oraculo promittebatur. Hunc Alexander Macedo cum ſolvere non poſſet, gladio ſecuiſſe perhibetur. Quanto tu felicior Alexandro dicendus es CARDINALIS EMINENTISSIME, qui non funem intortum, ſed nexus intricatiſſimi belli conſilio & prudentia diſſolviſti. Non te negotii moles illa deterruit; quippe qui totius Regni negotiis unus admirabili facilitate ſufficias; non te itineris longitudo, & viarum difficultates;

non imbecillitas corporis, non autumni morboſa tempeſtas ab inſtituto revocarunt. Is enim es, qui publica commoda tuis ſemper rationibus anteponas. Denique non Hiſpanorum callidam ac moroſam prudentiam, & fruſtratorias in agendis rebus dilationes veritus es. Quippe qui ſcires non in eo ſtatu res illorum eſſe, ut moratoriis cavillationibus indigerent, nec iis artibus locum eſſe, ubi tu legatus cum ſumma poteſtate ad terminandum tantum negotium conſediſſes. Superiori quidem memoria, hujusmodi artes ſucceſſerant illis ex voto; adeo ut vulgare apud nos dictum ſit, quod a parentibus traditum accepimus: cum Anglis quidem quotiescumque aut pacem aut inducias pacti ſumus, cautiores ſemper fuiſſe noſtros, & melius rebus ſuis proſpexiſſe. Contra vero quoties cum Hiſpanis acturi convenimus, toties noſtros inferiores diſceſſiſſe. Verum hoc tempore quid illis prodeſſe potuiſſet, aut Ulyſſis prudentia, aut aſtutia Siſyphi, aut ipſius Protei verſutia: cum tu adverſus omnes artes, cavillationes & machinas conſummatiſſimam prudentiam tuam, tanquam aegidem quandam opponeres. Quod cum probe intelligerent Hiſpani, ad conferendos tecum de pace ſermones ejusmodi delegerunt virum, non qui aſtutia & fraude polleret, ſed qui inter ipſos virtute, fide, & candore animi praeſtaret: nec qui aliud in ore promptum, aliud in pectore clauſum haberet, ſed veritatis amantiſsimum, & ab omni fuco & mendacio penitus alienum. Itaque par bene compoſitum, in inſulam illam de pace acturi ambo conveniſtis, tu, CARDINALIS EMINENTISSIME, & Ludovicus de Haro, Comes Nobiliſsimus. Ac mihi quidem videtur inſula illa, in utriusque Regni poſita collimitio, inſtar palaeſtrae cujusdam eſſe; in qua duo fortiſsimi Athletae quoddam civilis prudentiae certamen iniiſtis. Tu pro Rege Chriſtianiſsimo certabas, ut pacem illi glorioſam, nobisque utiliſsimam praeſtares. Ille ut graviſsimum bellum conditionibus quam fieri poſſet honeſtiſsimis ſedaret. Uterque veſtrum vicit; uterque quod volebat obtinuit. Nam & Franci victorias ſuas ſolemni pacis foedere confirmatas eſſe laetantur. Et Hiſpanos tot regnorum quietem paucarum urbium jactura redemiſſe non poenitet. Macte ergo virtute fortiſsimi & nobiliſsimi pugiles. Vos non haec ſolum aetas, ſed omnis etiam poſteritas, ad quam pacis hujus pertinet utilitas, coronatura eſt; nomen veſtrum aureis inſcriptum litteris in immortalitatis templo conſecrabit Laudes veſtras non iidem termini circumſcribent, qui Francorum Hiſpanorumque provincias claudunt, ſed per univerſum terrarum orbem fama longe lateque diſperget.

Satis

Digitized by Google

Satis ſuperque, ut opinor, intelligitis, AUDITORES, qualis & quanta fuerit hujus pacis difficultas. Supereſt, ut de ejusdem utilitate, ſicut initio pollicitus ſum, pauca dicam. Quamquam quid opus eſt ejus rei utilitatem verbis adſtruere, quam omnes ſummi pariter atque infimi fatentur & ſentiunt. Quotusquisque enim eſt, ad quem pacis iſtius commoda non ex aliqua parte pertineant? quippe ut belli calamitas omnes ſine ullo diſcrimine ſimul involvit, ita pacis felicitas in omnes ex aequo diffunditur. Non enim agros ſolum, ſed etiam urbes, nec terras tantum, ſed etiam maria pervadit. Jam urbani hilari vultu ſe viciſſim adſpiciunt, & uxores ſuas ac liberos complectuntur. Jam aratores ſegetes ſuas laeti proſpectant, quarum fructus ſe collecturos eſſe confidunt: nec omni grandine ſaeviores hoſtium incurſus, aut militum tranſitus reformidant. Jam mercatores peregrina & tranſmarina commercia meditantur: jam naves aptant, jam merces imponunt, pro iis, quibus abundamus bonis extraneas nobis ſpecies advecturi. Jam homines, depoſita priſtina ferocitate, & immanitate, ſua ſibi bona invicem communicant. Jam peregrinari tuto licet, & in longinquas regiones aut diſcendi aut ſpectandi cauſſa proficiſci: cum antea vix progredi domo & in agros excurrere liceret. Jam cuncti quaſi ex profundiſſimis tenebris in lucem emergere & vitales auras carpere ſibi videntur: nunc primum unusquisque rerum ſuarum dominium ſibi redditum putat: nunc virginum pudorem, nunc matronarum caſtitatem, nunc omnium vitam ac libertatem in tuto collocatam videmus. Jam ex omnium animis excidit memoria praeteritorum malorum: nec ſolum praeſentibus bonis ſinguli perfruuntur, ſed etiam futura quadam ſpei aviditate praecipiunt. Praecipue tamen Religio & optimarum artium ſtudia ex hac pace ſibi blandiuntur: nec immerito. Etenim cum toto belli tempore plura & graviora reliquis omnibus damna perſenſerint, jure, nunc reddita pace, maxima omnium bona atque ornamenta per te conſequi ſperant. Jam ſuus templis honor, ſua ſacerdotibus & inferioribus miniſtris rediit veneratio. Non jam altaria a ſacrilegis ſpoliata, non profugos ex agris ſacerdotes videmus. Non hic Paſtorem ſine ullo grege: illic gregem ſine Paſtore aut videbimus poſthaec aut audiemus: non equos in aedibus ſacris ſtabulantes: non ſacra myſteria impiorum contrectata manibus, pedibus conculcata. Quae quis non ingemuit cum videret; quis, cum audiret, non exhorruit. Tradantur haec potius oblivioni perpetuae, & ſilentii tenebris penitus involvantur: ne ventura olim aetas nobis exprobrare poſſit, graviora a noſtri temporis Chriſtianis adverſus Chriſtianos patrata eſſe ſcelera,

ra, quam quae a Gentilibus quondam adverſus noſtros admiſſa eſſe memorantur: Qualem putas, CARDINALIS EMINENTISSIME, Eccleſiae luctum fuiſſe, cum natos ſuos, quos genuerat, quos aluerat ac foverat, mutuis ſe vulneribus trucidantes videret. Cum hinc a Turcis, illinc ab haereticis graviter impugnata, non modo filiorum ſuorum auxilio ac ſolatio omni deſtitueretur; verum etiam ab iis ipſis crudeliſſime laniaretur: cum aedes ſuas non Turcorum ac Saracenorum ſpoliis, ſed vexillis adhuc natorum ſuorum ſanguine ſtillantibus cruentatas adſpiceret. Quibus illam vocibus tunc uſam putas, ut liberos ſuos ab hoc facinore revocaret. Nonne hujusmodi ſermone eos admonuiſſe illam exiſtimas? Quo ruitis, filioli, quid agitis? quae, malum, vos vexat, amentia? cur in matris caedem filii prorumpitis? mene ad hoc tempus vixiſſe, ut haec intuerer? ideo tot perſecutorum gladios effugi, ut meorum manibus tandem occumberem? reveremini canos meos. Quid me natorum meorum ſpoliis cruentatis? victoriae veſtrae clades meae ſunt. Odi triumphos exitio meo partos: non ornant me haec vexilla, ſed maculant. Amovete a conſpectu meo monumenta doloris mei. Solo Chriſti ſanguine & Martyrum cruore delector. Quid in luctu atque orbitate mea carmen triumphale concinitis? natis pereuntibus mater laeta eſſe non poſſum. Redite potius in gratiam; &, depoſitis odiis ac ſimultatibus, quae vos viginti annorum ſpatio exercuerunt, ſub matris conſpectu atque interventu dextras pacificas jungite. Si hoſtes quaeritis, praeſto ſunt Turci. Illic laureas, illic triumphorum materiam quaerite. Haec tropaea decora vobis erunt, nec mihi luctuoſa. Si tantum ſanguinis Chriſtiani in bello adverſus iſtos fuſum fuiſſet, non Palaeſtina modo & regio illa Chriſti quondam veſtigiis conſecrata; ſed totius Orientis Imperium recuperari facile potuiſſet. Et Eccleſia quidem haec frequenter Chriſtianis inſuſurravit, ſed nemo erat qui attenderet; nemo qui ſapientiſſimis monitis aures atque animum accommodaret. Donec LUDOVICUS noſter Rex Chriſtianiſſimus, & inter omnes Eccleſiae filios principem obtinens locum, Matris piiſſimae ſalutares admonitiones haudquaquam negligendas ratus, pacem orbi Chriſtiano reſtituere decrevit: teque unum, CARDINALIS EMINENTISSIME, qui conſiliorum omnium ipſi ſemper adjutor fueras, tanti operis miniſtrum elegit. Per te igitur pax non ſolum Regno, ſed etiam Eccleſiae reſtituta. Per te reverſis in ſedes ſuas ſacerdotibus ſimul ac populis, quos hactenus aut ſilvarum latebrae texerant, aut oppida receperant, nunc vicatim divinae caerimoniae celebrantur. Per te in unius corporis compagem ſedeuntia totius Eccleſiae mem-

membra cottidie ſolidantur, & quodam quaſi glutino pacis adoleſcunt. Quinetiam ſi quae ſuperioris belli tempore ortae inter nos diſſenſiones de quibusdam capitibus parum ad fidei integritatem neceſſariis, turbas alicubi excitaverant, reddita nunc Eccleſiae pace, paulatim ſopiuntur & ſilent: atque, ut ſpes eſt, brevi penitus evaneſcent. Et Catholica quidem Eccleſia, redeuntibus ad priſtinam concordiam liberis, exſultat gaudio, ac triumphale canticum ob id Deo concini jam libenter audit. Hi vero, quos ab ejus corpore dogmatum perverſitas ac novitas abrupit; ſoli demiſſo vultu obambulant; intimum animi dolorem vultus indicio prodentes. Et qui nuper in ſinu ſuo, ut dicitur, gaudebant, cum Catholicos mutuis ſeſe vulneribus contrucidantes viderent, qui contentiones ac diſcidia illorum quaſi flammam, immiſſo oleo, alebant ac fovebant; iisdem nunc reconciliatis, moerent atque ingemiſcunt. Quippe qui intelligant, diſſidentibus quidem Catholicis, res ſuas creviſſe ſemper: conſentientibus vero, in pejus ſolere dilabi. Turci quoque ipſi, accepto pacis hujus nuntio, trepidant, ut audio; rebusque ſuis jam diffidunt. Nec de Cretae inſulae Metropoli capienda, ſed de urbium ſuarum defenſione cogitant. Contra vero Venetis ſpes atque animus acceſſit, poſtquam potentiſſimos Chriſtiani orbis Principes inter ſe pacis vinculo copulatos vident. Namque hactenus dolenda prorſus ac miſeranda res erat; Venetos quidem privatis opibus ac ſumptibus communem Chriſtiani nominis hoſtem ſolos ſuſtentare, quaſi ipſorum dumtaxat cauſſa in eo negotio verteretur. Interim vero Reges Chriſtiani orbis nobiliſſimos mutuis ſeſe cladibus atterere; & qui Venetis adverſus Turcos pugnantibus auxilia ſubmittere debuerant, victoriae Turcorum latiſſimam viam ſternere. Quid hac infamia turpius? quid hac calamitate funeſtius? Sed in poſterum longe alius erit rerum Chriſtianarum ſtatus. Nam & noſtris Principibus haudquaquam difficile erit, auxilia Venetis ſubminiſtrare: & Venetis poſthac licebit dimiſſas a noſtris legiones levi ſtipendio conducere; quarum forti opera adverſus Turcos utantur. Quae dum fient, totum id accepto referendum erit huic paci tuae, quae rebus Eccleſiae tantam repente contulit utilitatem. Porro cum religione ſimul litterae & optimarum artium ſtudia caput attollunt; & majora ſibi in dies commoda atque incrementa ex hac pace pollicentur. Nam antea quidem truculenti Martis violentia Muſas toto paene orbe fugaverat; nec ullam iis ſedem tutam ac ſecuram reliquerat. Opes, honores, praemia ac privilegia penes armatos erant. Litterarum ſtudia deſpectui habebantur. Nunc vero beata pax eas, quodam quaſi poſtliminio, in proprias ſedes

des reducit, eas fovet, eas ſuſtentat, atque erigit. Illae viciſſim paci ſua bona communicant: pacem ubique laudant & praedicant; pacem, pacisque auctorem coronant. Quid enim aliud agimus hac ad te Oratione, CARDINALIS EMINENTISSIME? Annon tibi Chriſtianae Pacis interpreti ac ſequeſtri immortalem laudis & gloriae coronam teximus? Quod ſi verum licet dicere, plus paci rependunt litterae, quam acceperunt. Quid enim eſt pax ſine litteris, niſi iners deſidia & otium ignobile, ſervis magis conveniens quam ingenuis. Pax quidem alit artes: ſed litterae viciſſim non modo pacem alunt, verum etiam confirmant atque ſtabiliunt: dum hominum animos ſuperioribus bellis efferatos ad manſuetiora paulatim & humaniora ſtudia traducunt; dum legum metum & obſequium erga legitimos Principes, dum virtutis amorem, odiumque vitiorum auditoribus inſinuant. Non igitur ſine cauſſa Reges ac Principes liberalitate ſua litteras proſequuntur: quippe quas intelligunt morum ac vitae magiſtras eſſe, ornamenta pacis, quietis publicae retinacula: inſtrumentum denique ad gerendam rempublicam prorſus neceſſarium: quo quicumque deſtituti ſunt, in rebus agendis ſemper eruditis hominibus inferiores appareant neceſſe eſt. Verum levis eſt liberalitas, quae ſolius pecuniae erogatione perficitur. Majus aliquid a te ſperant litterae noſtrae; nec tam ſua quam publica cauſſa conſequi volunt. Quidnam vero illud eſt? ut ſcilicet per te gradum ſuum recuperent, ut incrementa dignitatis accipiant, ut honores, privilegia, adminiſtrationes, quae antea malo more aut pecuniae donabantur aut gratiae, nunc, reddita pace, virtuti, optimisque artibus deferantur: Haec munera & dantibus utilia ſunt, & accipientibus glorioſa. His ſtimulis excitabuntur omnes ad ſtudia virtutis ac litterarum; poſtquam re ipſa perſpicient, nullam eſſe partem reipublicae, ad quam viri eruditione ac judicio praeſtantes in poſterum adſpirare non poſſint. Quod ſi vel ob iniquitatem temporum, vel propter inolitae conſuetudinis vetuſtatem ad hoc faſtigium procedere litteris non licuerit: majus id damnum erit reipublicae quam litterarum. Nam litterae quidem ſua laude, ſuisque bonis contentae, ſibimet ipſae ſufficient: Reſpublica vero praeſtantiſſimorum virorum opera ac miniſterio privabitur.

Satis ſuperque dictum eſt de pacis difficultate; deque ejusdem multiplici utilitate: Ex quo liquido apparet, jure merito hoc a nobis maximum opus praedicari; cujus difficultas quidem talis ac tanta fuerit, ut humana ope fieri poſſe nequaquam crederetur; adeoque optaremus illam potius quam ſperaremus. Utilitas vero tam copioſa cernitur, ut eam nul-

lius

lius orationis vis complecti penitus poſſe videatur: quippe creſcit in dies felicitas pacis. Atque ut aegri, ingenti morbo liberati, non ſtatim vigorem priſtinum recuperant, ſed paulatim ad bonam valetudinem proficiunt: ſic privati, depulſo graviſſimo bello, quo diutiſſime afflicti ac paene conſumpti ſunt, nova cottidie pacis bona & continua felicitatis incrementa percipiunt.

Atque haec ſufficere poterant ad laudem CARDINALIS EMINENTISSIMI; qui cum jam antea de Francorum regno bene meritus ſit, hoc poſtremo beneficio cuncta ſua in rempublicam merita cumulavit. Nec ſolum Francos & Hiſpanos, ſed univerſam Europam, totumque orbem Chriſtianum immortali beneficio ſibi devinxit. Itaque tot laudatores in poſterum ac praecones habiturus eſt, quot nunc ſunt, quotque poſthac futuri ſunt, qui pacis hujus commodis perfruentur. Sed quoniam pacis cum hoſte pactae levis fructus eſt, niſi interna pax totius Reipublicae membra contineat; videamus, ſi placet, utrum CARDINALIS EMINENTISSIMUS ex hac etiam parte aliquam laudem ſibi jure poſſit vindicare. Ecquis vero hanc gloriam ei negaverit; cum ſemper, ex quo gubernaculis Reipublicae admotus eſt, praecipuam curam ac ſollicitudinem geſſerit publicae tranquillitatis? Revocate vobis pauliſper in memoriam tempus illud, cum Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus ſenior, immaturo exitu raptus, inter medios belli turbines, Rege admodum puero derelicto, deceſſit e vita. Quis tunc noſtrum non magnopere formidavit, ne ſub Rege pupillo, ex contemtu muliebris adminiſtrationis, & occaſione diuturni belli, quod populis jam pridem erat oneroſum, novi motus in provinciis orirentur? Quae contra fuit laetitia ſpeſque hoſtium noſtrorum, maximum rebus ſuis incrementum & commodum ex eo acceſſurum eſſe confidentium? Non enim ſolum oppida & caſtella ſua, quae ſummo labore atque ſumptu tot annorum expeditionibus ceperamus, brevi ac ſine negotio ſe recuperaturos eſſe ſibi perſuaſerant: ſed & de noſtrae ditionis urbibus expugnandis jam cogitabant. Verum ſingulari prudentia Sereniſſimae Reginae, in cujus tutela agebat LUDOVICUS noſter ADEODATUS, & ſapientiſſimis conſiliis Eminentiſſimi Cardinalis effectum eſt, ut ex obitu Ludovici ſenioris nullum detrimentum res noſtrae ſenſerint. Eodem enim quo antea ſucceſſu, eodem victoriarum tenore foris rem geſſimus adverſus hoſtem: & domi res noſtrae in tranquillo ſtatu manſere. Nullus in aula tumultus, nullus in urbe motus, nulla in provinciis factio: donec malevolus quidam genius felicitatem rerum noſtrarum aegris intuens oculis,

lis, in urbe regia graviſſimas ac periculoſiſſimas excitavit tempeſtates. Quippe ut in corpore humano morbi, qui caput appetant, omnium acerbiſſimi ac periculoſiſſimi ſolent eſſe: ſic in Republica quoties ſeditionum motus in primaria civitate & quaſi in ipſo regni vertice inſederunt, univerſa imperii moles in graviſſimum diſcrimen adducitur. Horret animus ac refugit reminiſci temporum illorum, ne aut pacis hujus laetitiam acerbiſſimarum rerum commemoratione minuiſſe videar; aut patriae meae mala ſua atque infortunia exprobrare: Illud unum dicam, tot tantosque tumultus, qui Reipublicae totius exitium minabantur, intra breviſſimum temporis ſpatium leniſſimis prudentiae tuae remediis ita eſſe ſedatos, ut Rex Chriſtianiſſimus ex urbe Regia ad hoc ſolum clam egreſſus eſſe videretur, ut ad redeundum ardentiſſimis civium ſuorum precibus invitaretur. Quo quidem tempore eminuit eximia illa vis prudentiae tuae, qui ad leniendos populares animos, quos diuturnae obſidionis incommoda exaſperaverant; ſalutare illud ἀμνηστίας decretum olim ab Athenienſibus, poſteaque ab aliis civitatibus prudenter atque utiliter uſurpatum, in uſum revocandum eſſe cenſuiſti: ut depoſitis utrimque odiis ac ſimultatibus firma in poſterum ac ſincera pax conſtitueretur. Hoc remedio, tanquam ſalutari quodam pharmaco languentis Reipublicae mala ſanaveras: jamque res noſtrae priſtinam valetudinem recepiſſe videbantur. Verum paullo poſt morbus ille iterum recruduit, nulla quidem tua culpa: quippe tu ſalutarem medicinam adhibueras; ſed eorum, qui ex publicis detrimentis privatum commodum captabant. Hic vero ſatis equidem mirari non poſſum ſapientiſſimum conſilium tuum; qui cum Rempublicam aſſiduis ſeditionibus & tumultibus concuti, totumque invidiae pondus in te unum incumbere videres, cedendum tempori ratus, pauliſper e medio te ſubduxiſti; ut hoc ſeceſſu tuo omnibus populis appareret, quorum potiſſimum culpa tot tantique motus quotidie excitarentur; in quo prudentiſſimorum virorum M. Agrippae ac Tiberii Claudii imitatus es exemplum; qui olim, licet alias ab cauſas, dimiſſa adminiſtratione Reipublicae, ad declinandam invidiam ſeſe in Aſiam receperunt. Verum illico certiſſimo experimento cognovimus, ſine te nec quietam domi, nec fortunatam foris ſtare poſſe Francorum Rempublicam. Quippe ut in mediis ſaevientis pelagi tempeſtatibus amoto peritiſſimo gubernatore nautae ac vectores inter ſe tumultuantur; navis vero circumſtantium undique ventorum impetu jactata graviſſimum diſcrimen ſubeat neceſſe eſt. Ita te ab adminiſtratione Reipublicae digreſſo, idque eo temporis articulo, quo, ſi abfuiſſes, evocari te maxime

me oportebat, cuncta apud nos in pejus ruere coeperunt. Vix extra hujus imperii fines pedem extuleras, cum hinc in Aquitania, hinc in Lugdunenſi provincia ingentes exorti ſunt motus: paullatimque vis mali latius ſerpens, urbem quoque Regiam occupaverat. Quae alioquin obſequio Principis ſui dicatisſima, tunc temporis factioſorum inſidiis eo faciſius patuit, quod abſente Principe, nemo erat, qui vel auctoritate, vel reverentia, in officio eam contineret. Quamobrem Rex Chriſtianiſſimus, Regina optima matre, & omnibus bonis poſtulantibus, te ex illo ſeceſſu tuo, unde Galliae calamitates moerens ac dolens proſpectabas, tandem revocandum eſſe cenſuit. Rediiſti ergo, comitantibus te regiis ductoribus, ab ipſa rerum neceſſitate revocatus, ſalutari Francorum Genio te quaſi manu ducente, ut opem rebus afflictis afferres, ut malis noſtris medereris, ut pacem firmam atque aeternam domi foriſque componeres. Primo adventu tuo victi perduelles; urbes, quae defecerant, receptae: urbs omnium nobiliſſima, ac totius regni caput, agnito errore, ad obſequium rediit, regemque, ut in palatium ſuum redire tandem vellet, miſſis legationibus, invitavit. Quid multa? vidimus te in hanc civitatem revertentem eodem vultu, eadem frontis ſerenitate, qua fueras egreſſus. Is enim es, quem neque res adverſae umquam frangere, nec ſecundae nimis efferre potuerunt. Intraſti non minas ſpirans, non vindictam ſitiens, non pila & gladios intentans; cujusmodi olim Cinnae ac Marii, & illius, quem ſupra nominavi, Tiberii reditus fuiſſe memoratur: ſed lenitate & clementia ſeptus, benignitatem vultu ipſo praeferens. Neque vero ficta ac ſimulata fuit illa benignitas, quo facilius vulgus hominum deciperetur: ſed rerum ipſarum documentis, lenitas & altitudo animi tui major apparuit quam ſperabatur, & quam vultu ipſo promiſeras. Quis umquam crederet, civile bellum ita confectum fuiſſe, ut nemo occubuerit, niſi qui in acie aut in obſidione cecidiſſet. Multa alioqui in illa caligine temporum dicta factaque erant adverſus regiam majeſtatem & dignitatem tuam. Quae tamen omnia adeo mirabili patientia concoxiſti, ut neminem ea cauſſa aut accuſari volueris aut damnari. Nullus ex patribus ſupplicium filii ſui deflevit: nullus filius parentis ſui morte illacrimatus eſt. Phocionem Athenienſem narrant, cum aeger in lecto jam jamque moriturus decumberet, & circumſtantes amici vicem ſuam magnopere dolerent, quod tali tantoque cive reſpublica privaretur; cunctaque ab illo in adminiſtratione reipublicae praeclare geſta ſingillatim commemorarent; auditis eorum ſermonibus, adſurgentem ita eos compellaſſe. Unum praeteriiſtis, amici; quod ego praecipuum in meis rebus geſtis & maximae laudi mihi eſſe duco: quod

 ſci-

ſcilicet, me gerente rempublicam, nemo ex civibus mea cauſſa lugubrem veſtem induit. O virum, non Athenienſium modo, ſed orbis totius imperio digniſſimum; qui in gerenda republica hunc ſibi unum propoſuit ſcopum, ut deſpectis propriis commodis, aliorum ſaluti utilitatique proſpiceret! Idem de te, CARDINALIS EMINENTISSIME, merito poſſumus dicere. Quippe duobus civilibus bellis intra triennii ſpatium confectis, neminem vita, neminem bonis per te ſpoliatum vidimus. Nullus tua cauſſa atratus proceſſit in publicum. Et quamquam clementiae laus privatim Principi debetur, cujus jus arbitriumque eſt ignoſcere delictis privatorum ſimul ac civitatum; quisquis tamen aequus rerum arbiter eſſe voluerit, fateatur neceſſe eſt, illius gloriae partem ad te quoque non minimam pertinere: quippe qui omnium regis noſtri conſiliorum particeps ac miniſter exſtiteris. Atque ea laus tanto aequius tibi debetur, quanto ſuperiore Principatu Ludovici ſenioris nimia ſeveritas & ſuppliciorum frequentia animos paene omnium offenderat; ejusque rei invidia in Miniſtrum Regium, qui tunc temporis plurimum poterat, maxima ex parte redundabat. Ac licet judicia ex praeſcripto legum exercerentur, & de plerisque pronuntiare poſſimus jure caeſos videri; tamen eo quod non ab ordinariis ſed a lectis extra ordinem judicibus damnati fuerant rei; & quia hujusmodi ſupplicia oculis noſtris crebrius ingerebantur: horror atque indignatio ſubibat omnium animos, funeſtari oculos ſuos hujusmodi exemplorum ſpectaculo, & ſaeculum ſuum infamari arbitrantium. Nec dubito quin poſteri, dum temporum illorum hiſtoriam legent, averſaturi ſint ſuppliciorum crebritatem. De te vero tuisque temporibus nihil ejusmodi ſentient; ſed contra humanitatem tuam ac lenitatem mirabuntur, qui imperitae multitudinis maledicta, qui invidorum calumnias tam forti animo pertuleris; qui ab cruentis conſiliis & ab omni vindicta ſemper alienus Regis Chriſtianiſſimi ac Reginae matris mentem ad mitiora conſilia traduxeris: & potentiam atque auctoritatem tuam benefaciendo potius quam ſaeviendo exercere malueris. Hac ratione internam Reipublicae pacem adamantino quodam vinculo conſtrinxiſti; ita ut jam amplius titubare non poſſit. Hac moderatione omnium Francorum, ac praecipue Regiae urbis civium animos tibi in perpetuum divinxiſti: qui te & externae pacis auctorem fatentur & internae reſtitutorem. Qui jam civilium diſſenſionum ac bellorum omnium obliti, uno conſenſu in tuas laudes erumpunt; & Ludovico Regi Chriſtianiſſimo tibique conſiliorum ejus Miniſtro immortales gratias agunt; per te bona, per te vitam ac ſalutem ſe recuperaſſe laetantur.

Digitized by Google

tur. Unum ſupereſt, quod ardentiſſimis votis a te omnes expoſcunt: quod ad ſummam felicitatem ſibi deeſſe adhuc exiſtimant, ſine quo pacem inutilem ſibi atque infructuoſam eſſe cenſent. Sentis, ut opinor, CARDINALIS EMINENTISSIME, etiam me tacente, quid ſibi velint. Res enim ipſa per ſe loquitur: Orant igitur ut tributorum ac vectigalium onera, quae ſuperioris belli occaſione in immenſum crevere, nunc, reddita pace, minuantur. Quam modeſta poſtulatio; quam verecunda; quam aequitatis ac juſtitiae plena! non petunt, ut penitus auferantur: neque enim id patitur neceſſitas aerarii; ſed tantum ut de intolerabili ſarcina exiguum quidpiam dematur: An non id aequiſſimum eſt, ut qui diutiſſime belli moleſtias pertulerunt, hinc hoſtium incurſionibus, inde publicanorum exactionibus oppreſſi; nunc reſpirare tandem incipiant, nunc pacis amoenitatem & felicitatem temporum ſentiant: ut qui ſaeviſſimos bellorum turbines ac procellas tot annis experti ſunt, nunc pura ac liquida pacis ſerenitate hilares perfruantur: Nam inpraeſentiarum quidem omni ex parte hilares eſſe non poſſunt. Ac dolorem quidem vultu tegunt, ne publicam pacis tuae laetitiam imminuiſſe videantur. Verum in intimo pectoris receſſu latens inſidet vulnus; & quo ſtudioſius tegitur, eo acriores ſenſus doloris infligit. Hoc igitur dolore ut leventur poſtulant; id ut a Rege Chriſtianiſſimo ipſis impetres expoſcunt: hoc ſe brevi conſecuturos eſſe per te ſperant. Noli tam juſtis eorum petitionibus refragari. Jam ſumma atque inſperata bona iis contuliſti. Pacem, quae nulla humana ope perfici poſſe videbatur, feciſti: internos reipublicae motus admirabili facilitate placaſti. Non potes minora iis denegare, cum majora praeſtiteris. Pacis appendix & corollarium quoddam eſt relevatio tributorum. Haec niſi adfuerit, quovis bello pax triſtior erit. Quomodo enim pax dicetur, quae pacis bonis & commodis deſtituta eſt, quae belli mala poſt ſe trahit. Ac belli quidem tempore exactiones, quamvis graviſſimae, excuſatione non carent. Faciendi ſunt ſumptus in milites, in ſocios & foederatos. Novi delectus habendi, comparanda annona militaris & machinae ad urbium expugnationes. Pace vero facta, hi praetextus augendi aerarii vacant. Ac proinde gravior & intolerabilior eſt tunc temporis exactionum moleſtia: Quippe nihil homines acerbiore animo ferre ſolent, quam ubi amoto bello, cui uni omnium calamitatum ſuarum cauſſam adſcribebant, eamdem nihilominus aerumnarum molem perſeverare animadvertunt. Equidem ſcio multos fore, qui moleſtum me atque importunum vocent, qui de hujuſmodi rebus alieno, ut putant, tempore ad te verba faciam;

& jucundiſſimam de Pace Orationem ingratiſſimo ac moleſtiſſimo ſermone concludam. Id enim in votis eſſe Regi Chriſtianiſſimo ſimul ac tibi, ut Provinciales & aratores collationum onere magna ex parte releventur. Sed opportunum ejus rei tempus nondum adeſſe, cum maximos adhuc ſumptus fieri neceſſe ſit in claſſem, in militem, auxilia ſociis ſubmittenda; curaque adhibenda ſit, ut pax Monaſterienſis in Germania firma atque inviolabilis obſervetur. Verum iſtiusmodi homines qui hoc auribus tuis inſuſurrant, vereor ne ſua potius cauſſa loquantur quam tua; ſuisque potius utilitatibus, quam publicis commodis aut dignitati tuae ſtudeant. Fateor in magno imperio ſemper pecunia, ſemper milite opus eſſe. Sic enim pacem colere debemus, tamquam brevi bellum geſturi, rurſum vero ita bellum gerere, tamquam haud multo poſt pacem cum hoſte facturi. Verum ut in aegro corpore, quod pluribus ſimul morbis inter ſe implicitis & connexis laborat, ſublato ſemel periculoſisſimo morbo, reliqui deinceps facile curantur: ita pacato difficillimo bello, quo per quatuor ac viginti annos attriti ſumus, reliqua, ſi qua ſuperſunt, utpote leviora, facile tolerantur: quippe quae nec tantis ſumptibus nec tantis exercitibus opus habent. Quid igitur obſtat, quominus quinta vel ſexta pars tributorum jam nunc populis condonetur, & ad eumdem modum cetera redigantur vectigalia? Id enim ab optimis & lenisſimis Principibus ſemper eſt factitatum. Magnus ille Conſtantinus poſt bella civilia quartam rei tributariae partem remiſit provincialibus. Eadem Juliani liberalitas etiam ab ejus hoſtibus laudatur. Reliqua vero collationis tributariae, quae a provincialibus debebantur, Imperatores Romani, propoſita publice indulgentia, remittere conſueverant: ut ex eorum edictis, quae in libris legum Romanarum etiamnum exſtant, colligere poſſumus. Imitentur Romanorum Principum liberalitatem Principes noſtri, in quorum locum ac potentiam ſucceſſerunt. Nulli umquam Principi male ceſſit, quod tributa ſubditis ſuis indulſiſſet. Contra vero multis nocuit quod auxisſent. Plus enim odii quam pecuniae collegerunt. Leve quidem ac modicum eſt quod remittitur provincialibus, ſed pro modico magnam tibi uſuram rependent, amorem ac benevolentiam. Verum repraeſentanda eſt liberalitas, non differenda. Neque enim dilationem patitur aut onerum gravitas, aut ſpei conceptae praeſumptio. Tota hujus muneris gratia in celeritate ac repraeſentatione conſiſtit. Duplo plus ſe accepiſſe credent, ſi jam hinc liberalitatem Regis ſenſerint, quam ſi multo major relevatio ipſis in ſequentem annum ſpondeatur. Adiice hunc cumulum laudibus tuis,

tuis, CARDINALIS EMINENTISSIME, ut omnes Franci te bono publico natum eſſe praedicent; ut non modo pacem, ſed etiam felicitatem ac vitam ipſam tibi debeant. Jam ſatis ſuperque adeptus es auctoritatis, potentiae, dignitatis, tuis in rempublicam meritis; & hac noviſſima pace invidiam omnem ſupergreſſus, calumniae ipſius os obturaſti. Amor nunc publicus & benevolentia populorum erga te ac tuos tibi comparanda eſt. Hanc porro levi negotio conſequêre. Neque enim ingentia largiendo, ſed modicum exigendo, hic amor acquiritur. Et hanc quidem publicorum onerum relevationem tamquam debitum quoddam jure poſſent exigere, quippe quae toties ſibi promiſſa atque in pacis tempus dilata ſit. Verum ſi eam ipſis a Rege Chriſtianiſſimo impetraveris, id quod facile potes, ſummi muneris loco ducent; eoque nomine ſe tibi in perpetuum devinctos eſſe, plusque uni tibi, quam reliquis ſuperiorum Regum Miniſtris Franciam debere profitebuntur.

HADRIANI VALESII

Militis, Doimni de La Mare

O R A T I O

De Laudibus

LUDOVICI ADEODATI.

Digitized by Google

HADRIANI VALESII,

ORATIO

De Laudibus

LUDOVICI ADEODATI

REGIS CHRISTIANISSIMI

Quod ejus munificentia Litterae ſunt reſtitutae.

habita anno 1664.

SAEPE quidem de Laudibus LUDOVICI ADEODATI Regis Chriſtianiſſimi ſcribere volui; ſaepe conatus ſum: ſed me hactenus ingentis argumenti contemplatio deterruit. Dicturos ut exigua deſtituit, ſic obruit immenſa materia: praeſertim ſi (qualem eſſe me ſentio) nulla arte, nullis eloquentiae viribus freti ad dicendum accedant. Ipſa rerum ac cogitationum tumultuario ſe ingerentium, & aliarum alias trudentium impedit multitudo: quae, priusquam inhaerere digerique poſſint, ſubito animum transvolant, nec ullum ſui veſtigium relinquunt. Laeſae autem majeſtatis quoddam paene crimen eſt, ſummi Principis laudes orationis vitiis ac ingenii culpa deterere. Quod adeo timuit Caeſar Auguſtus, ut de ſe quidquam niſi a praeſtantiſſimis componi minime pateretur. Quid igitur faciam? an beneficia Regis tacitus feram, & tamquam debitum laboribus ac lucubrationibus meis munus accipiam? praeſtat indiſertum quam ingratum videri: & quia LUDOVICUS ADEODATUS a nemine etiam eloquentiſſimo pro magnitudine ſua dici poteſt, non ideo debet ab omnibus prae deſperatione quadam indictus praeteriri. In magnis ſatis eſt vel tentaviſſe. Sufficit, etiamſi non ſucceſſerit ipſe conatus: & quidquid verbis deeſt, propoſitum conſiliumque

que compenſat. Meretur non ex toto diſplicere, qui primus omnium aut ſaltem inter primos officio ſuo defungi, & qualicumque oratione, at devoto certe animo, Chriſtianiſſimum Regem pro viribus narrare feſtinat.

Solent plerique, Principum, quos laudandos ſuſceperunt, genus, omnes corporis animique virtutes, res omnes geſtas attingere. Hoc ſi ſequar exemplum, non Oratoris partes implebo, ſed Hiſtorici: immo vero ne Hiſtorici quidem, in artum cogendo quae multorum voluminum inſtar exigunt. Sin unum aliquid e plurimis ſeligere voluero, difficillimam mihi electionem faciet aequalitas aut magnitudo ſingulorum. Hinc nobilitas inclytae domus occurret, apud Francos per annos fere octingentos jam inde ab Odone regnantis: quae Luſitaniae, Neapolis, Siciliae, Pannoniae, Dalmatiae, Bulgariae, Sarmatiae Regna, atque ipſius Graeciae Imperium conſecuta, & omnium, quae nunc ubique dominantur, familiarum vetuſtatem claritatemque longo intervallo ſupergreſſa eſt. Inde oculos detinebit proceritas eximia, forma digna veneratione, digna orbis imperio; qualis cunctis Regibus optatur, contigit pauciſſimis: gravitas amplitudini perſonae conveniens, ad excipienda adeuntium deſideria humanitate temperata; majeſtas oris, ſpectantibus advenis ſtatim Principem prodens vel invitum, robuſtum corpus, militarium exercitationum, decurſionumque patiens, ad equitandum agile, in venando alacre & indefeſſum. Jam animus Regiorum onerum perferens, publicorum negotiorum quorumlibet capax; igneus vigor mentis, tantam ſuſtinens molem, nec umquam deficiens curiſve ſuccumbens; ſublimitas ſemper magnum aliquid agens aut meditans, qua lingua, quove ore celebretur? res vero ductu imperioque LUDOVICI in Hiſpania, in Belgio, in Germania, Italiaque eodem tempore geſtae, quae quibus anteferentur? Arma Imperatori Ferdinando quinquennio, Philippo Hiſpanorum Regi continuis quindecim annis illata; tot expugnationes urbium, tot noſtrorum victoriae quot proelia, & aſſidue vincendi quaedam veluti conſuetudo, ne civilibus quidem tumultibus interrupta; utrumque bellum diverſis temporibus, ſed ſimili ratione, pari felicitate compoſitum, cedente Aleſatia imperatore; Rege Hiſpaniae cum regionibus aliquot nobiliſſimam ac formoſiſſimam filiam ſuam Mariam Taraſiam, quae una multis provinciis anteponenda eſt, Chriſtianiſſimo Regi in matrimonium tradente: injuriae duorum Legatorum, alterius in Inſula Britannia ab Hiſpanis, alterius Romae a Corſis contumelioſe violatorum non ſegniter latae; & quod numquam futurum putabatur, Philippo Regi Hiſpanorum non modo excuſandi facti impoſita neceſſitas, ſed etiam

Digitized by Google

etiam legatos generi ſui legatis ſuis in poſterum ubique ex more praeponendi publica expreſſa confesſio: Romanus ad demisſisſimam ac vix credibilem ſatisfactionem ſolo belli metu compulſus. An referam miſſa Imperatori Leopoldo contra Turcos Pannoniam Daciamque vaſtantes fortiſſima auxilia? An commemorem Chriſtianiſſimi Regis auſpiciis, fortuna atque conſilio, tantam ab eis ad flumen Arrabonem relatam victoriam, ut immanes hoſtes Chriſtiani nominis, quos ſucceſſus feroces inſolentesque reddiderat, aequas pacis conditiones reciperent? noviſſimum iſtud LUDOVICI quinquennium, iſta pacis opera, ut recentia, ſic oculis animisque noſtris inſeria, quanto egent & quanti Oratoris ſtilo? Clerici poſt diuturnas annorum amplius viginti diſſenſiones ac lites, ad concordiam auctoritate magis quam poena revocati: a ſingulari certamine ſeveris edictis deterrita nobilitas: publicanorum fraudes ac rapinae punitae, & ſpolia popularium adempta damnatis: promulgata non ſemel, quae in Imperatoribus Romanis, ſed admodum paucis, tantopere laudata olim, & hiſtoriis ac publicis inſcriptionibus marmorum nummorumque teſtata eſt, indulgentia reliquorum; atque in levandis haud mediocri parte tributorum populis creſcens quotannis liberalitas Principis: in abſolvenda Luparâ tot operarum, tot architectorum ſudans induſtria, ut tandem digna Domino domus, digna Regum maximo aula reddatur: villae publicae ſicuti Regiam magnificentiam decuit, ſingulae inſtructae, nonnullae etiam multo quam antea laxiores factae atque cultiores: omnes ordines in commercium Orientis, & ad conferendas pro facultate pecunias hortatu Regis invitati, impulſi litteris, exemplo inſuper illecti.

Haec tot & tanta, tam egregia, tam Regia, quae ſingula plures Hiſtoriarum Scriptores fatigare, Oratores exercere, & juſtarum quaeque laudationum ampliſſimam materiam praebere poſſunt, aliis poſt me relinquo memoranda: ut fulgentiſſimum LUDOVICI ADEODATI opus, a nemine hactenus niſi perfunctorie & in tranſcurſu celebratum, ac velut ex induſtria mihi ſepoſitum, mea nunc oratione narretur. Quod illud tandem, quaeret aliquis? Liberalitas ab optimo Principe eminentibus noſtrae aetatis ingeniis ſemel atque iterum exhibita: cujus ut beneficii magnitudinem totam quanta eſt quisque mente concipiat, ſufficiet nuda relatio. Sed operae pretium futurum puto, quo tum ſtatu apud nos res Litteraria eſſet, paucis prius exponere. Nam gravitate mali ſubjecta oculis omnium, remedii necesſitas atque utilitas clarius & facilius elucebit.

K Fran-

Digitized by Google

Franciſcus ſicut animo Magnus ita cognomine, omnium ante ſe Regum noſtrorum primus duodecim Mathematicae, Philoſophiae, Medicinae, veterumque Linguarum Profeſſoribus e fiſco annua conſtituerat: atque amplitudine ſalarii in urbem Regiam invitatis non e Francia modo, ſed etiam e Germania, Hiſpaniaque lectiſſimis Doctoribus, Litteras Hebraicas, Graecas, ac Latinas, atque omnes ingenuas artes in Regnum ſuum invexerat. Quippe ex eorum ludo innumeri quovis doctrinae genere praeſtantes exierunt. Sed diuturna Franciſci atque Henrici bella cum Carolo Romanorum Imperatore, diſciplinarum incrementis plurimum obſtiterunt. Silent enim inter arma Litterae, & fidibus Camenarum terribili ſono obſtrepunt tubae. Spernitur bonus Orator; amatur horridus miles. Stilus gladio poſtponitur; calamus jaculo. Scutis pugillares, chartae atque membranae; telis ac loricis libri mutantur: pro atramento funditur ſanguis: & ad id ſponte quisque ſe confert, quod pluris fieri videt, & quod Reipublicae atque privatim ſibi profuturum arbitratur. Secuta ſunt bella civilia, quae omne propemodum bonarum artium lumen extinxerunt, & jacentibus ac languentibus Muſis ſpem fortunae melioris ademerunt. His malis medicata eſſet forſitan Henrici Magni ac Ludovici Juſti bonitas: ſi alteri pax longior, alteri brevior cum gente Auſtiaca contentio; utrique diuturnior vita contigiſſet. Viderunt igitur avi noſtri Antonium Muretum, at qua elegantia virum, qua eruditione! ingratae patriae valedicentem: ex Lemovice civem Romanum factum audierunt: in urbe mortuum ſepultumque luxerunt. Viderunt triſtiſſimum ſpectaculum, & inter ultima Franciae dedecora numerandum, Joſephum Scaligerum emigrantem, ut (quod apud nos nequaquam potuerat) Lugduni Batavorum cum dignitate viveret: & tanto ſe ornamento ſpoliatos diu doluerunt. Viderunt parentes noſtri Iſaacum Caſaubonum ſollicitante Rege Jacobo in Britanniam navigantem. Vidimus ipſi Claudium Salmaſium & Davidem Blondellum cum familia proficiſcentes, & Bataviae coelum humidum ac paluſtre ſolum Patriae non ſponte praeferentes. Vidimus complures eruditos viros, abjectis libris tamquam damnoſis farcinis ac impedimentis, ad utiliora ſtudia converſos. Pauculi totius antiquitatis & veterum linguarum peritiſſimi, fugientes e Francia Camenas utcumque morabantur, ac velut paſſis brachiis retinebant: nec dubitabant, nemine ſuboriente, qui ſibi ſuccederet, humaniores artes brevi ſecum apud nos, ac ubique etiam interituras: praeſertim cum multo majorem in Hiſpania, in Italia atque Germania diuturnitate bellorum attritis, in tota denique Europa cladem

ac-

Digitized by Google

accepiſſent. Quis tum crederet aliquem derepente, quaſi e machina tutelam Muſarum ſuſcepturum? quis tum ſperaret alicujus potentiſſimi Principis munificentia litteras reſurrecturas, nec ab occaſu modo ſed etiam a ſollicitudine vindicandas.

Intellexit LUDOVICUS ADEODATUS (quid enim ille non intelligat?) hanc ſibi ab Avo, hanc a Patre gloriam eſſe ſervatam: &, poſt redditam ſuis pacem, unum ſibi ad laudem deeſſe patrocinium diſciplinarum. Senſit regnum illitteratum & incultum, rus merum, meram Scythiam, meram eſſe Barbariam: Rempublicam ſine Litteris, quibus ſemper eminuiſſet, florere non poſſe: nec Franciam viris doctis, nec doctos viros neceſſariis ſubſidiis deſtitui oportere. Pleroſque eruditorum ſolis libris legendis aut componendis intentos, rei familiaris curam deponere, atque in tantum a quaerendis opibus abhorrere, ut ne de ſuis quidem bonis ſervandis cogitent: alios de victu cultuque ſollicitos, qua ratione emergant, aut ingenium induſtriamque exſerant non invenire: utroſque alieno auxilio valide indigere. An aequum eſſe, cum artifices viles & ſordidi ſua ſe quiſque arte ſuſtentent, nonnumquam etiam ad maximas pecunias veniant; artes liberales famae ac immortalitatis conciliatrices ſolis ſuis cultoribus damno eſſe atque detrimento? An pati ſe poſſe, ſordere litteras, quarum ope cetera cuncta ornentur ac niteant? jacere ſtudia, per quae univerſa amplificata conſurgant? in obſcuro latere, quibus omnia illuſtrari conſueverint? an denique ſe neglecturum, quae Majores ſui privilegiis ac praemiis honoraverunt? ut quandoque poſſit ipſi imputare poſteritas ignorantiam ſuam & ſcientiarum interitum. Conferendam igitur eſſe eruditis, qua maxime opus habeant, & ſine qua vix quidquam valeant extundere, ſecuritatem. His cauſſis LUDOVICUS impulſus, viris doctrina praeſtantibus non Francis modo (quamquam eis praecipue) ſed etiam externis conſulere, & ſingulos ac univerſos, quotquot uſquam liberalitate ſua digni eſſent, noſſe conſtituit. Rem diu multumque agitatam in animo, & alto conſilio conceptam aperit Colberto: quem propter eximiam prudentiam, virtutem ac fidem, & ob altitudinem ingenii vigoremque animi ſingularem, laborioſum & exſomnem Regalium onerum adjutorem habet, omnium conſiliorum ſuorum participem ac miniſtrum, bonorum propoſitorum acerrimum exſecutorem. Ille, laudato plurimum Principis conſilio, ut eſt litteris demerendis genitus, & alter Auguſti noſtri ſed citra mollitiem luxumque Maecenas, ſponte negotium ſuſcipit, & cuncta ſibi curae fore pollicetur: moxque Burzaeo Chorae Abbate ac Capellano, viris do-

ctrina & virtute praecipuis ad ſe vocatis; Rex (inquit) pro ſolita magnitudine cogitationum ſuarum, & pro innata ipſi bonitate doctis per Europam ſparſis munificentiam exhibere decrevit. Tros, Rutulusve fuat, nullo diſcrimine habebit. Sed agendus eſt ingeniorum delectus, & danda opera, ne beneficia Principis male collocentur. Ut eſtis eruditi & in judicio litterarum verſati, veſtri ſimilium notitiam habere vos credo. Curate ut per vos mihi omnes innoteſcant. Spero vos acturos bona fide: nec gratiae aut commendationi quidquam daturos, nec odiis (ſi quos tamen odiſtis) indulturos. Ambo mandatum diligenter exſequuntur, & cunctorum quos fama aut ſcriptis bene noverant, nomina in charta perſcribunt. Diſcit ex eis Colbertus, quantum ſatis erat, nomen, patriam, opera, viresque ſingulorum, & chartam ad Principem defert: legit nomina ſingillatim Scriptorum illuſtrium; proprias uniuscujusque dotes; quid quisque & quo ſucceſſu ediderit; quid a quoque exſpectari poſſit ac debeat, breviter & ordine exponit. Rex ſereno vultu & avidis auribus loquentem audit, nonnulla etiam percunctatur, & propter fidem ſapientiamque commendantis, habet commendatorum rationem. Hi fratres ſunt, quorum alter Hiſtoriam Eccleſiaſticam, alter Res Francicas laborioſo opere illuſtrat. Ambo donabuntur: Iſti Philoſophia excellunt; eminent iſti Mathematica, Franci, Belgae, Batavi, Germani, Itali: horum inter Poëtas Latinos nomen eſt celebre: hi elegantiſſima carmina patria lingua componunt. Nemo ex hoc numero mihi non donatus abeat. Illos Graecae ac Latinae antiquitatis, omniumque gentium hiſtoriae notitia, commendat: illos eloquentia, & rerum noſtrarum externarumque ſcientia clariſſimos reddit. Et illi praemium conſequantur. Paucorum nominibus expunctis, nonnullorum etiam additis, quantum cuique tribuere vellet Princeps edocuit, & Colberto largitionis onus curamque delegavit. Ille quanti lecta ingenia faceret, quam libenter juſſa exſequeretur, erogationis celeritate patefecit. Continuo beneficia LUDOVICI ſparſa per urbem Regiam Luteciam Pariſiorum, ſparſa per latiſſimum Francorum regnum, ſparſa per nobiliores Europae vrbes atque regiones. Ferunt Jovem quondam in imbrem aureum eſſe converſum: ſed ut aereum thalamum Danaës expugnaret, ac corrumperet virginem. LUDOVICUS non jam in unam turrim unumve hypogeum, ſed in Gallias, in Germaniam, in Italiam aliasque Europae partes uno eodemque tempore plenis manibus, aut verius plenis ſaccis aurum effudit: non ut cuiquam injuriam faceret, (quod in optimum & aequiſſimum Regem cadere non poteſt) ſed ut de bonis artibus beneficentia ſua bene merere-

tur,

tur, & homines doctos, ubicumque eſſent, tanta liberalitate redderet ad ſtudendum ſcribendumquè proniores.

Quis mente concipiat, quis aut quibus exprimat verbis gaudia exſultationemque, ac vota ſingulorum, praeſertim externorum? quos tam nova & incredibilis, tam inſperata munificentia LUDOVICI velut imparatos ac inopinantes oppreſſit: quos in remotiſſimis locis nihil tale exſpectantes ſacrum donativum invenit: & quorum ſinus quaſi de coelo delapſum munus implevit. Quidam poſt lectas litteras, quae a Colberto Regis nomine ad ipſum erant ſcriptae, vix credidit oculis ſuis: haeſit aliquamdiu, & de felicitate ſua dubitare non ante deſiit, quam a menſario aureos ſuper menſam effuſos adſpexit. Quibusdam lacrimae laetitia elicitae. Nonnullis allato nuntio res ſomnio ſimilis videri: iraſci etiam ultro tabellario, & ſatisne ſanus eſſet, qui tam proterve ſe ludibrio haberet, percunctari: nec, niſi numerata pecunia, fides incredulis facta. Alius, (ut audio) nummularium fortuita aliqua ſimilitudine nominis deceptum putavit. Unde enim ſe hominem externum & alienigenam tanto Principi notum eſſe, aut cujus commendatione ampliſſimum praemium conſequi potuiſſe? alius perlecta epiſtola, ac viſis nummis, elatus gaudio ac vix compos ſui, quaſi praeſenti Regi acclamavit: LUDOVICE ADEODATE, Deus te ſervet: Rex optime, Deus te ſervet. SAEPE FACIAS; ſaepiſſime facias; diutiſſime facias. Sic enim & diuturnam me tibi vitam precari exiſtimo, & ſtudiis noſtris duraturam felicitatem. Longum eſſet ire per ſingulos. Diverſi quidem fuere pro ingeniorum diverſitate ſenſus ac motus animorum: una tamen omnium vox, una ubique mens omnium fuit, cum conjugibus & liberis LUDOVICI benignitatem laudantium, admirantium: una omnium acclamatio, LUDOVICO laeta precantium, tollentium ac paene coelo inſerentium manus. Erubuerunt, credo, Reges ipſi & Principes, quorum in finibus haec geſta ſunt, exſultantium vocibus excitati, admoneri ſe officii ſui. Exiſtimarunt liberalitate ac cura LUDOVICI tacite exprobrari ſibi parcimoniam, incuriamque litterarum. Puduit eos, homines ditionis ſuae LUDOVICO cariores ac notiores eſſe quam ſibi: & ſcriptores illuſtres externi Regis munificentia foveri, quorum domi fuiſſet nomen obſcurum, neglecta virtus, convenientibus ornamentis ac teſtimoniis deſtituta doctrina.

Quid vidit Graecia, quid habet Hiſtoria Romana, quid continent Rerum Francicarum, ceterarumque Gentium, veteres Annales & novi, quod cum tanta & tam ſingulari LUDOVICI beneficentia comparari poſſit?

 uſar

utar illuſtribus ac Regiis exemplis. Nec enim decet aut convenit, tantum Regem cum aliis, quam cum Regibus Imperatoribusque conferri. Nam Regum ut multo majores ſunt opes, quam privatorum; ita, quotiescumque libuerit, eſſe poteſt liberalitas effuſior. Alexandro Magno gratus fuiſſe dicitur Cherilus, Poëta humillimi ſpiritus, & incultis verſibus plurimos Philippos aureos acceptos retuliſſe. Idem Princeps Agim Argivum peſſimorum carminum ſcriptorem, & Cleonem Siculum, naturae ac gentis vitio aſſentatorem, aliosque in comitatu ſuo habebat: & Graeculos, qui profeſſionem honeſtarum artium malis moribus atque adulatione corruperant, propinquis etiam maximorumque exercituum ducibus praeferebat. Sed Rex ille prodigus magis quam liberalis fuit, qui ridicula poëmata care emeret, & ſaepius indignis magna largiretur. Quanto ſapientior Alexandro LUDOVICUS, qui florem hominum legit, virtute ſimul & omni doctrinae genere eminentium, ut non niſi ſpectatis ſibi & de litteris bene meritis ſe munificum praeſtet? Menander Athenienſis, novae Comoediae auctor, a Ptolemaeo Lagi filio atque Caſſandro Regibus Aegypti & Macedoniae claſſe ac per legatos eſt petitus. Aſclepiades Pruſenſis, Medicus novaé ſectae conditor, Mithridatis maximi ſua aetate Regum legatione & pollicitationibus ſollicitatus, ex urbe Roma ei praecepta pro ſe miſit. LUDOVICUS non jam externum Comicum aut Medicum unum, ſed quidquid ubique eſt Doctorum hominum & ſcriptorum illuſtrium, ultro in Regnum ſuum non promiſſis, ſed muneribus, non verbis ſed rebus invitat. Laudavere plerique Imperatoris Caeſaris Auguſti, Divi filii beneficentiam, atque in habendo Auctorum delectu judicium ſingulare: & merito laudavere. Quippe & Publium Virgilium Maronem principem carminum, & Lucium Varium praeclariſſimum Poëtam ampliſſimis praemiis; Horatium Flaccum Latiae lyrae fidicinem una & altera liberalitate locupletavit: Marco Vitruvio Pollioni ea commoda tribuit, ut ad exitum vitae inopiam non timeret. Laudata eſt quoque, ut mira & eximia in Principe alioquin pecuniae cupido, Imperatoris Veſpaſiani Auguſti munificentia: quod praeſtantes Poëtas coemiſſet, & in primis quingenta ſeſtertia Salejo Baſſo, egregio quidem at tenui vati donaviſſet. Haec quota pars clariſſimorum ſcriptorum, cum Francorum, tum externorum, quibus LUDOVICUS congiarium nec opinantibus ſemel atque iterum dedit? Jam ut ad noſtros veniam, Carolus Magnus, qui primus ad Francos Imperium Romanum tranſtulit, Clementem natum in Hibernia Scotorum inſula, Paulum Grammaticum & Hiſtoricum, Diaconum Forojulienſem; Alcuinum

Dia-

Digitized by Google

Diaconum ex inſula Britannia, omnium Anglorum & Saxonum transmarinorum poſt Aldelmum Bedamque doctiſſimum, Rhetoricae, Dialecticae, & Aſtronomiae peritiſſimum; Theodulfum Langobardum Poëtam; Eginardum Francum cognomine Sapientem, Notarium ſuum, aliosque pro captu temporum eruditos humaniſſime excepit, benigniſſime fovit, liberaliſſime provexit: quem imitatus Carolus ipſius nepos, Francorum Rex, ac poſtea etiam Imperator, ex Graecia, ex Hibernia quoque Philoſophiae Profeſſores, in his Johannem Scotum in Franciam maximis praemiis comiter invitavit. Ambo memoria & laude digniſſimi Principes: qui dedere operam, ut Litterae dudum apud Francos mortuae reviviſcerent. Sed quinque aut ſex eruditi an cum tot Francis & exteris, nuper LUDOVICI indulgentiam (*a*) doctrina meritis conferentur? Ludovico Francorum Regi, Ludovici Aurelianenſium Ducis nepoti, cordi & curae fuere viri docti, Claudius Seſſelius & Johannes Altonius Regius Hiſtoricus, Franci; Janus Laſcaris & Demetrius Graeci; Itali Hieronymus Aleander, Michaël Ritius Neapolitanus, Paulus Aemilius Veronenſis. Verum ille pauca in pauculos erogavit; multa Princeps noſter in plurimos. Denique Franciſcus imitatus Imperatores Romanos, qui Graecis & Latinis Rhetoribus atque Grammaticis per claras imperii urbes e fiſco ſalaria jam inde a Flavio Veſpaſiano Auguſto tribuerunt, duodecim Profeſſoribus Luteciae annua conſtituit. LUDOVICUS non jam in duodecim tantum liberalium artium doctores modicam ſummam pecuniae, ſed in omnes quotquot usquam ſunt doctrina & ſcriptis illuſtres, librarum millia contulit amplius centum & viginti: dare paratus & plura, ſi plures in Europa Regiis praemiis dignos inveniſſet aut noſſet.

Talem igitur ac tantam, tam longe lateque diffuſam LUDOVICI largitionem quae Oratio poſſit exprimere? quae vis eloquentiae poſſit verbis aequare, quam nemo antea Regum, nemo hactenus Imperatorum factis aequavit? Tagum & Padum, Hebrum atque Pactolum auriferos amnes appellitant: aiuntque abſoluti auri ramenta ſecum evolvere. Sed Tagus quidem regionem aliquam Hiſpaniarum alluit; Padus partem Italiae: Hebrus campos Thraciae tantummodo ſecat: Lydiam ſolam nec totam Pactolus pererrat. At LUDOVICI liberalitas tanquam aureum flumen e Luparâ profluens, primum flexuoſis recurſibus irrigavit Luteciam: inde per tractum omnem Galliarum iit vaga atque diſperſa: ſuperfudit ſe Italiae, ac totam Germaniam usque ad confinia Sarmatiae, ceterasque regiones leniter inun-

(*a*) Deeſt aliquid, & forte ſupplendum, *Ludovici indulgentiam expertis doctrina & meritis conferentur.*

Digitized by Google

inundavit recreavitque: ut arida atque ſitientia litterarum latifundia, frugifera redderet atque fecunda. Certe jam laetior Muſarum facies, Parnaſſusque celebrior: Jam ubique e veteribus membranis & chartis pulvis excutitur. Jam incipiunt, quae dudum refrixerant algebantque, praela fervere. Jam quae interrupta fuerant aut relicta opera repetuntur ac conſummantur; nova ſuſcipiuntur: alios aemulatio accendit: alios excitant praemia: multos ſpes praemiorum impellit. Certatim eruditi, pro ſe quiſque in libros incumbunt. Certatim convenientem quiſque profeſſioni ſuae materiam quaerunt, in qua ſe exerceant, & aliqua dent ingenii experimenta atque doctrinae: nemo ut dubitare debeat, quin ſtudia brevi in ſummum claritatis faſtigium ſint adſcenſura.

Solet donis gratiam conciliare ratio ipſa donandi. LUDOVICUS omnium doctorum vota, ſpes, exſpectationem ſubita erogatione praevenit. Non paſſus eſt a ſe peti, quod erat ultro ac ſponte daturus. Rogari ſe noluit, ne cujusquam verecundiam pudoremque fatigaret. O mirum liberalitatis ingenium! cum ceteri, quod polliciti ſunt, tarde praeſtare conſueverint: Rex optimus cito ac velut de improviſo praeſtitit, quod ne promiſerat quidem. Parum ei viſum eſt popularium ſecuritati conſulere: quod ipſum tamen maximum erat atque praeclariſſimum: niſi & exteris ſimul ſe munificum exhiberet. Intellexit nimirum, nullum gentium atque nationum faciendum eſſe diſcrimen. Regna mari, montibus, atque fluminibus, non ingenia terminari: non patria, non regione, ſed ſui quemque animi dotibus debere cenſeri: virtutem etiam in hoſte laudandam ac tuendam: doctum ex omnibus ſolum, quemadmodum ait Theophraſtus, in omni civitate civem, neque umquam in alienis locis peregrinum eſſe: alienigenas, qui aliquo doctrinae genere praecellerent, haudquaquam pro alienis, verum pro domeſticis haberi oportere: quidquid liberalibus ſtudiis eminens, quidquid compoſitis voluminibus clarum, quidquid eloquentia eſſet eximium, ſuum eſſe. Vidimus itaque, quod numquam hactenus, nusquam gentium hactenus factum audivimus aut legimus: vidimus, inquam, quod ipſi non ſperaverant ac ne cogitaverant quidem ſibi poſſe contingere; externos nobiſcum ex aequo in Regii beneficii conſortionem admiſſos: ut qui ſe LUDOVICO ignotos exiſtimaverant, ei ſe notiſſimos, ſpectatiſſimos acceptiſſimosque eſſe, ac res ſuas ad curam ejus pertinere experirentur, admirarentur: LUDOVICUS Francia contineri non potuit: ampliſſimi Regni fines munificentia tranſiit: ne ex viris ejusdem profeſſionis ac meriti alios judicio ſuo exornaviſſe, alios neglexiſſe vi-

videretur. Princeps maxime gaudens proventu ſtudiorum optimarumque artium, omnes ubique eruditos paterna cura complexus eſt: inter omnes ubique eruditos munera diſpenſavit: ut etiam ad quos ejus imperia & edicta non pertinent, benignitas perveniret. Mos eſt Principibus, in homines indignos, in frivola ac cito peritura pecunias vana opum oſtentatione conferre: aut beneficia ſua malis conditionibus ac moleſtorum onerum impoſitione corrumpere. LUDOVICUS quod viris doctiſſimis & de optimis artibus optime meritis dabat, quod in litterarum utilitatem impendebat, imputavit nemini; nihil a quoquam invicem exegit: ut eſſet omni ex parte gratuita & accipientibus grata largitio. A nemine gratias ſibi agi voluit, a nemine laudari: nec ſine cauſſa. Quid enim ejus magnitudini cujusquam oratio poſſit adjicere? noſtris non indiget laudibus: nulla extra ſe, nulla aliunde arceſſita, nulla conducta ornamenta deſiderat. Suis bonis, ſua gloria, fama nominis ſui, majeſtate ſua, claritate operum ſuorum ſemper & ubique circumfulgente contentus eſt. Sufficit ipſi, quoties beneficium confert, facti ſui tacita conſcientia. Unum hoc tantummodo a nobis exſpectat, ut impigre ſtudeamus, & quae cuique noſtrum obtigit, ſpartam non deſeramus: ne ejus de nobis judicia deſidia dedecorare, neu obtrectatorum ſermonibus locum dare videamur.

Nullum enim eſt fere vel Clariſſimorum Principum factum, quantumlibet illuſtre, quod ex aequo omnibus placeat, & quod maledicorum invidorumque linguis non aliquando deteratur: ſed praeſertim in erogatione praemiorum perquam raro accidit, ut cunctis ſatisfieret. Hinc cum LUDOVICUS ubique inclytus & communis bonarum artium litterarumque Parens habeatur: nihilo tamen minus ſunt, qui ab eo ſe praeteritos, & inferiores ſibi praelatos doleant. Iniqui homines: ne quid gravius dicam. An ipſis de ſe credemus? quotusquisque de ſe, de aliis bene, ſane ac ſincere judicat? quotusquisque non plus juſto aliis detrahit, plus juſto ſibi tribuit ac defert, plus juſto ſibi deberi arbitratur? quis cuiquam ingenio aut doctrina vult cedere? exhauriendum eſſet opulentiſſimi Principis aerarium, ſi quotquot ejus indulgentiam mereri ſe exiſtimant, donari oporteret. Quicumque igitur ſunt praeteriti, ſi nondum noti ſunt Regi, infelicitatem ſuam negligentiae ſuae deſidiaeque aſſignent: ab ſe praeſidium petant; dent operam ut auxiliis ſcientiae ad commendationem perveniant, doctisque ac laborioſis voluminibus notitiam conſequantur. Si jam noti ſunt & Regi, conentur ſcriptis magis inclareſcere, ac fieri notiores: putent ſe nondum meruiſſe quod cupiunt: & interim ſacro ac vene-

rando de ſe judicio Principis adquieſcant. Si quis tamen & notus, & Regio munere dignus, eſt praeteritus, intelligat nihil eſſe liberalitate liberius: licere non Regibus modo, ſed etiam privatis, de ſuo largiri quibus velint aut negare; nec ullam ei injuriam fieri, cui nihil ſit datum: beneficia pro debitis exigi non ſolere, non decere. Iniquiores multo habendi, qui minore ſumma donati, aiunt ſingulos ac univerſos aequari & par munus ferre debuiſſe. Quippe ſunt certi quidam, ut bonarum artium, ita & eruditorum, gradus atque ordines, alii aliis ſuperiores. An qui Poëtica floret, ſe jure merito parem cenſebit eloquentiſſimo Oratori? an Grammaticus aut Criticus cum illuſtri Hiſtorico vel cum Philoſopho nobili conferetur? ne ipſi quidem ejusdem profeſſionis homines, inter ſe ſunt aequales. An Epigrammatarius melico Poëtae, an Comicus Tragico, an qui elegias, odasve componit Poëmatis epici ſcriptori poteſt comparari? quis ergo non videt, quorum diverſa ſunt ſtudia, ac merita, diverſa eſſe praemia oportere? qui autem adaequatos ſibi inferiores, aut etiam plura quam ſe conſecutos, muſſitant: ſciant potius aequiſſimi Principis, & bonorum, ſapientium ac eruditorum virorum quam ſuum de ipſis ac de aliis ſequendum eſſe judicium: atque etiamſi vera ſentirent, nullius felicitati invideri oportere: inſolentis eſſe animi & quolibet beneficio indigni, ſuperiores & pares, ſeu alienae munificentiae participes ferre non poſſe: donum Regium non pondere ſed magnitudine donantis aeſtimari debere: ſi non ſumma, certe honore praemii & teſtimonii regalis omnes inter ſe aequatos eſſe: qui honos quantislibet theſauris anteponendus ſit. Quare nec qui majora accepit, inſoleſcere aut ſe anteferre ceteris debet: nec qui minora adeptus eſt, aegre ferre, aut in poſterum ſi merebitur, de congiarii ſui augmento deſperare. Itaque faceſſant querelae, & univerſi, cum donati, tum etiam praeteriti, uti decet, una voce in laudes praeclariſſimi LUDOVICI facti conſentiant: quod nec argui citra impietatem poteſt; nec a quoquam pro merito celebrari.

REX Regum omnium maxime, omnium optime, (liceat enim mihi te quaſi praeſentem alloqui, cui abſenti gratias agere non poſſum) in te nunc oculos tota Europa convertit. Regnum armis auxiſti, emendaſti legibus, pace conſiliisque firmaſti: finitimos Reges ac Principes habes aut amicitia conjunctos tibi, aut fama tua & armorum terrore ſubmiſſos. Feciſti juvenis, quae vix a ſene perfecta credi poſſint. Tamen (pace dicam tua) inter tot & tanta opera, nihil majus reperio, nihil excelſius & magnificentius generali tuo illo & nullis circumſcripto terminis patrocinio Camenarum.

rum. Te populares, te exteri omnes ſcriptis & doctrina clari unum ultro Patronum agnoſcunt: te unum atque unicum parentem fautoremque liberalium diſciplinarum venerantur & colunt: ſummis ſe tibi beneficiis devinctos, ſe in clientela tua eſſe, publice profitentur, & ſub tutela Regiae benignitatis adquieſcunt. Ceteris orbis Chriſtiani Principibus ac Regibus aut diuturnitate bellorum & defectione provinciarum exhauſtum aerarium, imminuta potentia: aut anguſti fines, opes exiguae: ita ut, etiamſi forſitan non alieni ſint a litteris, aliorum tamen ſtudia promovere non valeant: &, quamvis bonas artes fovendi animum habeant, non habeant facultatem. Tibi amorem linguae Latinae, Hiſtoriae, omniſque doctrinae natura inſevit, auxit educatio. Tibi Regnum totius Europae florentiſſimum, potentiſſimum, opulentiſſimum; tibi maxima omnia in flore aetatis & rerum dedit Deus, ut conſulere litteris velles ſimul & poſſes, atque etiam quantum velles poſſes. Hujus facti decus uni tibi reſervatum. Conſtanter aſſere tibi quam ſuſcepiſti ſcientiarum tutelam. Glorioſum quidem eſt, bene coepiſſe: ſed in coepto perſeverare, glorioſius. Conſumma quod inchoaſti. Tribue litteris, qua praecipue nituntur, & ſine qua ſtare nequeunt, perpetuam etiam inter arma ſecuritatem. Inter ampliſſimas tuas cogitationes atque conſilia, quibus cotidie nomen Francicum ſuper ceteras Europae gentes extollis: inter quantaslibet occupationes, ſemper locum haud ultimum teneat animo inhaerens tuo cura Litterarum. Numquam ſtudiis meritum a te teſtimonium negetur, numquam deſit tuus favor ingeniis. Non erunt ingratae Muſae, Gratiarum ſorores. Non erunt immemores, Mnemoſynes filiae. Si tibi numquam exciderint, ſemper recordabuntur & tui vel inviti. Nomen tuum, res tuae, tametſi id non optas, omnibus legentur in libris. Una erit univerſis ſcriptoribus ampliſſima materia LUDOVICUS. Viri doctrina ac eruditione ſpectati, tuis auſpiciis cuncta ingenii quiſque ſui monumenta component; cuncta vulgabunt. Quo nomine in ipſis etiam poſteros haud mediocriter demereberis. Habebunt enim (ut ſpero) multa Reipublicae litterariae utilia, quae debituri ſunt tibi, & quibus carant ſine tuo ſubſidio & munificentia carituri. Tibi quidem tuorum commercia & curſus longarum navigationum totas opes Orientis invehent: tibi bella & pugnae excelſiſſimas victorias conciliare poterunt ac celebres triumphos. At litterae hiſce omnibus longe anteponendae, pro gratia meritas tibi laudes referent: dabunt tibi, quo nihil majus dari homini ab hominibus poteſt, honorem etiam poſt fata victurum, gloriam immortalem.

 AD

A D

CHRISTIANISSIMUM REGEM LUDOVICUM ADEODATUM

In Victoriam ejus Mauricam & Turcicam,

O D E.

O MAGNE magnis Rex ſate Regibus,
Nondum quietis tempus & otii
Fecere Divi: neç tuorum
Meta tibi poſita eſt laborum.

Poſt tot triumphos ac tot adoreas,
Germana quas & vidit & Itala
Tellus, Iberorumque norunt
Oppida, finitimique Belgae:

Iſtud tropaeis deerat adhuc tuis,
Ut Maurus atrox, Turcus & inſolens,
Terraque devicti marique,
Francigenûm caderent ſub armis.

Huc usque gentes Marte ſubegeras,
Europa vaſto quas tegit ambitu.
Nunc Afra te tellus, potentis
Atque Aſiae Dominus tremiſcunt.

Aſſueta Maurorum agmina noxium
Inferre noſtris littoribus pedem,
Jam caſtra, jam portus tuentur
Ipſa ſuos, veniamque poſcunt.

Tur-

Digitized by Google

Turcos nec impar exagitat metus,
Senſère poſtquam magnanimos Duces,
Lectasque Francorum catervas
Teutonicis ſociaſſe caſtra.

Res mira cunctam transgreditur fidem.
Vix in patentis Pannoniae ſolum
Venere Franci: mox triumphum
Hoſtibus e domitis reportant.

Factum obſtupeſcit turbidus Arabo
Tam forte. Paucis innumerabiles
Dant terga Turci, ſeque in altum
Praecipites jaculantur amnem.

Non hoc equeſtres, non peditum globi
Fecere; quamvis nec vigor igneus,
Doctrina caſtrenſis nec artis,
Militibus Ducibusque deſint.

Fortuna magni Principis id gerit,
Et nomen hoſtes obruere efficax,
Haec fata naſcenti tibi ipſe
Rex Superûm, LUDOVICE, fixit:

Sternas ut omnes protinus obvios:
Praeſensque & abſens inſuperabilis,
Ceu Caeſar, Alcidesque, toto
Orbe potens ſtatuas tropaea.

Te Liberatorem & Solyma & Tyrus,
Omnisque dudum jam regio expetit,
Quae prima naſcentem videre
Et meruit retinere Chriſtum.

Eritne tempus, cum LUDOVIX pius
Invicta ducens agmina militum,
Byzantis arces & ſuperbos
Deſtruet Otmanidum Tyrannos?

Exinde Victor celſa Davidicae
Intrabit urbis moenia, & inclytum,
Supplex adorabit ſepulcrum,
Unde hominum nova vita fulſit.

Huc usque noſtrae tempora proroget
Suprema vitae terrigenum parens.
Tum faxo, nec Flaccus canentem
Me, neque Pindarus ipſe vincat.

HENRICUS VALESIUS.
an. 1664.

HA-

HADRIANI VALESII

CARMINA NONNULLA

quae in editis deſiderantur.

Digitized by Google

MONSIEUR.

VOicy, comme je vous l'ay promis, le Manuſcrit du Voyage de mon Ami, contenant deux cents ſix pages in Quarto de mon ecriture: je ſouhaitte fort qu'il ſoit de votre gouſt: & d'un bon debit.. Je feray un petit avis au Lecteur en vôtre nom pour mettre a la tete, auſſi bien qu'un Latin pour mettre à la tete de notre in Quarto Latin, qui ſera de même en vôtre nom; &, des que ces deux Pieces ſeront faites, j'auray l'honneur de vous les envoyer; afin que vous n'attendiez plus apres rien pour l'un & l'autre de ces livres. Je vous prieray tres humblement au reſte de ne point dire, de qui vous tenez ce Manuſcrit de Voyages: parceque Meſſ. les fils du Voyageur avoient reſolu de le garder pour leur famille, & de ne le point mettre au jour. Or je ne veux pas qu'ils ſachent, que ce ſoit moy, qui vous l'ait envoyé. Je ne l'ay fait que dans la vuë de vous faire plaiſir; premierement à vous; & enſuite au Public: mais je ne veux point les chagriner; par ce que ce ſont des gens de beaucoup de merite, & que j'eſtime fort. Apres tout, quand le livre ſera imprimé, je ne doute pas qu'ils ne ſoient les premiers à approuver ce que nous aurons fait, puiſque les productions d'eſprit ne ſont pas faites pour etre enſevelies ſous le boiſſeau.

Voicy auſſi, Monſieur, quelques Pieces de Vers Latins de feu mon Pere, à ajouter à ſes autres Poëſies imprimées. Ces nouvelles Pieces ſont dix pages in Quarto de mon ecriture; j'ay marqué à quel endroit chaque Piece doit etre placée. Cela groſſira les Poëſies & formera un tres bon Recueil & plus complet que ce qui avoit paru en 1694.

J'attends de vous encore, Monſieur, une Reponſe au ſujet du Bayle en blanc, que je vous demande pour un de mes meilleurs Amis; en cas que vous puiſſiez, ſans y etre leſé, luy en donner un tout rendu à Paris pour cent cinquante livres; comme j'eus l'honneur de vous le mander dans ma lettre du Mois de Fevrier. Je vais vous preparer une Edition nouvelle de Florus avec d'excellentes Notes Latines de feu mon Pere: ce ſera un livre que je compte qui ſera auſſi d'un tres promt debit pour tous les ſavans. Je ſuis avec tout l'attachement imaginable, Monſieur, votre tres humble & tres obeïſſant ſerviteur

à Paris ce 10
Avril 1724.

DE VALOIS.

ELE-

(a) ELEGIA PRIMA

Qua de duritie Dominae queritur.

Liber eram, formaque valens quid femina poſſet,
    Luſtra ego ſecurus jam tria tranſieram.
Ridebam noſtris cantatos Vatibus ignes,
    Et nondum notas parvulus illecebras.
Unus amor puero libri mihi, ſola voluptas:
    Unica Virginibus cura placere Novem.
Hoc, memini, in votis, ut eodem vita tenore
    Curreret ad metam, quo prius iſſet, erat.
Cum totum ſibi me rapuit, ſtudiisque revellit
    Occurrens oculis ſaepe Puella meis.
Sic ego ſum conſors miſerorum factus amantûm,
    Nec potui tanti parte carere mali.
Ah! potui; ſed dirus Amor nil tale timentem
    Crudeli Melites ſubdidit imperio.
Emittens telum, quod eos ſervabat in uſus
    Vulnere guſtavit pectus ut ille meum:
Mox fremitus, jecorisque tremor diſcentis amare,
    Indicia accepti magna dedere Dei.
Hinc nec opinanti ſeſe ſuſpiria promunt,
    Ut levet ardorem pectoris aura mei.
Hinc ſpes atque metus ſubeunt ceduntque viciſſim,
    Et numquam vacuâ mente ſolutus ago.
Non ſtudium plectri; non, quod fuit ante, legendi
    Durat adhuc, ſervant ſcrinia araneoli.
Interea placidam depellit cura quietem
    Artubus, & noctu ſic comes atra die.
Sic ago, ſic agitor, quoties mihi ſidus iniquum
    Invidit Dominae lumina cara meae.

 At

(a) Elegia haec ceteris Hadriani Valeſii Elegiis eſt praefigenda pag. 15. & quae nunc prima eſt, Epicedion in Jac. Delandium, ordine ſecunda debet poni, & ſic caeterae porro.

At quando Melite mihi ſe meus obtulit ignis,
Ora vagus currit per calefacta rubor:
Et caecum vulnus coram nudare parantis
Siſtitur inſolito lingua repreſſa metu.
Saepe pudore malo vox intercepta tenetur,
Verbaque ſollicito dimidiata cadunt.
Cor ſalit, incertoque micans arteria pulſu
In dubio poſitas res probat eſſe meas.
Pupula ſe vellet, nequit at ſatiare tuendo,
Cum vultu Melite paſcor acerba tuo.
Nonne vides, macies quae buxea prodit, amoris
Argumenta mei? Dic age, nonne vides?
Ah! timeo, ne viſa neges crudelis, & illa,
Quae neſcire nequis, dedidiciſſe velis.
Sit ſatis exhauſtis languentem paene medullis
Inſtar montanae delicuiſſe nivis.
Deſine nunc aures tandem obturare ſuperbas:
Deſine ſpem ventis tradere dura meam.
Abiice, quo gravius nihil eſt in virgine, faſtum:
Cuique manus dedimus, tu quoque cede Deo.
Hac tolerare tenus libuit licuitque dolores:
Moribus eſt factum ſatque ſuperque tuis.
Quae teneras membris finxit Natura puellas,
Haud molles animo noluit eſſe viris.
Non tibi, quae miſeros reſpectant Numina amantes,
Imprecor, & duros, qualis es ipſa, Deos.
Spe ſed ut abſciſa liceat quoque rumpere vincla,
Opto, vel ut potius te meliore fruar.

Digitized by Google

(a) DE MELITE

ODE.

Pinge, Petroni, tibi viſa ſaepe
Ora formoſae Melites, & artus:
Ars ut abſentem ratione certa
Reddat amanti.

Quae vetant cerni Dominam, relinque.
Abſit ad ſummos ſtola ducta talos:
Sint procul pallae. magis ut probetur,
Nuda videnda eſt.

Qualis a pulcro Phryge pulcra viſa
Aemulas vicit Cytherêa Divas:
Quae nec Anchiſae placuit, priusquam
Nuda pateret.

Impleat juſtae modulum figurae,
Longior parvis, breviorque longis.
Sicut eſt, rectis ſit amuſſis inſtar
Juncea membris.

Candidam, laevem, ſolidamque pinge.
Florido in vultu roſeum juventae
Fulguret lumen. nec enim bis octo
Tranſiit annos.

Pinge ſufflavos nitidosque crines:
Aurium lamnas teretes, & albas
Pinnulas: nec non tenuis modeſtum
Frontis honorem.

(a) Haec ode inſerenda eſt pag. 45. & numero prima praeponi debet iſti, cui titulus eſt Erotopaegnia, quae ſecunda tunc erit; eamque ſequi debet Epithalamium Atticae, quod hic edimus, ut oden tertiam conſtituat; hanc quarta, quae p. 46. in editis habetur ſub titulo VIRGO ET VIDUA. Denique quinta & ultima his ſubjungenda, quae nunc in editis ordine prima ſcripta eſt ad Regem Ludovicum XIV. ſuper obitu matris ejus Annae Auſtriacae.

Pupulis laetos oculos nigellis,
Paullulum inflexas quoque pinge nares.
At genis ejus niveis pudicum
Adde ruborum.

Subditae buccae careant tumore.
Inde formoſum roſeus labellum
Fucus incruſtet. Cruor hos draconis
Aptus ad uſus.

Ore ſed quidquid premitur venuſti,
Haud dabit nobis tua dextra, Pictor.
Non poteſt blaeſae lita melle verba
Reddere linguae.

Balſami ſupra lacrimas Eoi
Halitus ſuaves nequit, atque gratos,
Alma quîs gaudet Venus & Cupido,
Pingere riſus.

Credo, nec reddet color ullus arsque
Oſculum linguâ tremulum receptâ:
Quale ſuſpecta petit a Corinna
Naſo jocoſus.

Quid loquar candens ebur oris, utve
Dentium duplex reniteſcat ordo?
Dives inſertis uti margaritis
Linea fulget.

Non teres mentum lateat nec exſtet.
Recta conſiſtat capitis columna,
Molle, procerum, Ligurumque vincens
Marmora collum.

Pinge nunc laeves humeros, Petroni,
Atque certantes nivibus lacertos:
Saepe quîs noſtro Melite pependit
Candida collo.

Lilio

Digitized by Google

Lilio dextram roſa juncta reddat,
Reddat & laevam: digitosque longos
Mallei ſpernens adamas: at aures
Ornet Elenchus.

Pectoris ſummum decus univerſi
Stent tegi palma faciles mamillae.
Venulas paſſim veluti ſmaragdos
Sparge virentes.

Hercle pinxiſti graphice. Videre
Uber intactae videor puellae,
Quae virum, plenis niſi nubat annis,
Pallida quaerit.

Perge: jam tangis medium tabellae:
Perge. Nos ad ſe vocat umbilicus.
Ille, lunatae velut umbo peltae,
Protegat ima.

Mollis & plani mihi ventris aequor
Ruga non ſcindat, vitietve naevus.
Nam meae nondum gremium puellae
Partus aravit.

Artis heic totos, bone vir, lepores
Exhibe, & totas veneres colorum.
Ah! tuus tangit male penicillus,
Quod meus optat.

Jam femur latum, tenerum, tremente
Mollius pluma trahat in ſe ocellos:
Jusque tangendi propios pudoris
Forma det illi.

Tibiae corpus modiceque turgens
Sura ſuſtentent: pedibusque longos
Adde non longis digitos: in imo
Deſine calce.

Vulnerat jam me miſerum Tabella.
Creber intentos oculos inani
Paſco pictura: ſpeciesque nuda
Suſcitat ignem.

Res alit veras ſimulata curas
Quaeque depicta eſt mihi nunc amica,
Ut ſui deſiderium levaret,
Illud adauget.

O mihi quantum Melite placeres!
Ut meum praeſens animum teneres!
Cujus abſentis vel amare muta
Cogit imago.

EPITHALAMIUM ATTICAE.

cujus argumentum ſumtum eſt ex his Sapphus

Παρθενία παρθενία ποῖ με λιποῖσα οἴχῃ;
Οὐκέτι ἥξω πρὸς σε, οὐκέτι ἥξω.

Nova Nupta Virginitati Valedicit.

Euge, nunc cupido volens
Pacta ſponſaque conjugi
In manum venio Viri.
Aula jam facibus micat,
Perſonatque Talaſſio.
Exſta, Juno, favent aves.
Euge: jam quoque Sol cadit.
Grata jam mihi nox venit.
Jam Torus genialis heic
Stratus eſt. Vocor ô vocor
Collocanda cubili.

Ergo

Digitized by Google

Ergo Virginitas vale.
Cara Virginitas vale:
Quinque per trieteridas
Fida facta comes mihi.
Sola ſat cubui diu.
Jam vir affiliet tibi.
Cede. Fortior eſt enim.
Lege non alia proco
Caſta Virgo ſolet dari.
Lege non alia poteſt
Mater eſſe, nec Uxor.

Novae Nuptae reſpondet Virginitas.

Méne deſeris Attica?
Méne ſternere ſub viro,
Méne prodere, perfida,
Méne congenitam tibi,
Absque qua nihil es, velis?
Velle te tua frons probat.
Conjugis titulum para:
Matris, i, titulum para.
Maximo geminós emes.
Aſt ego fugio, neque
Invocata redibo.

Nocte quos gemitus dabis?
Teſte quive lucernula
Ejulatus erit tuus:
Quando, vultur ut alitem,
Ille te petulans premet?
Tune mollior hoedulo
Tune membra minacia
Aut marem rigidum feres?
En adeſt, properat graeum.
Aſt ego fugio, neque
Invocata redibo.

Eadem Puellam jam divirginatam extremum adloquitur.

Nunc doles, uti dixeram.
Nunc gemis. geme, quam voles:
Virgo non eris amplius.
Vulnus obſtat enim recens,
Arte non medicabile,
Sponte paſſa quod es tuâ.
Voxque jam tenuis minus,
Pectus & tumidum magis:
Illa pars quoque laxior,
Unde pulſa dolo malo,
Non vocata redibo.

Ludus hic fuit & jocus:
Triſtior manet exitus.
Poſtmodum venient dies,
Cum dolere caput tibi
Atque lumina ſenties.
Reſpuet ſtomachus cibos:
Intus, intus erit malum,
Quale non tuleris prius.
Tunc vocabor & expetar:
Tota ſed ſimul occidi,
Nec vocata redibo.

Languor ecquis erit tibi
Ventre cum tumido gravis
Et labans facies gradum,
Tarda, varica, flebilis?
Te puer digito volet
Indicare ſodalibus:
Scrofa, cernitis? ambulat.
Creſcet hoc onus interim.
Tumque pallida tædio
Me vocabis & expetes:
Nec vocata redibo.

O quot

O quot inde vlulatibus
O quot, Attica, nixibus,
Morte ſors etiam truci
(Juno ni bona faverit)
Matris & titulos leves
Conſequêre puerperae?
Iſta conjugii mala
Vota ſunt tamen omnium
Prima & ultima Virginum.
Sed vale modo, ſi potes.
Jam reſolvor in auras.

(a) AD SEXTUM.

Nimium patere, Sexte, conjugem ſtupes
Nova Nupta cum ſit, & puella, nec parens:
Stupere ceſſa. Quippe non modicus magis
Poteſt tot eſſe vulpium cuniculus.

Ad Eumdem.

Quereris videri conjugem nimis laxam.
Initu atque partu foſſa facta de rima eſt.

De Gabba.

Miſellus olim Gabba me deprenderàt
Pellice jacentem cum ſua: uxorem vocat.
Tunc ille, quid agis? hoc placet tibi? tuis
Alius parari debuit nugis locus.
Huic ipſe: verum dicis: at Dipſas negat
Alium patere poſſe nunc mihi locum.

 Ad

(a) Haec ſex Epigrammata inſerenda ſunt pag. 70. poſt Epigrammà cujus titulus eſt, *de virgine praegnante.*

Ad Amicos.

Noſtrae cara cohors ſodalitatis
Dum pollet latus, integraeque vires;
Veſtris ludite quisque cum puellis.
Nobis non datur eſſe tam beatis,
Quîs febris male contumacis aeſtus
Indixit Veneris vacationes.

De Procula.

Polluerat Craſſus Proculam, dum nuda puellae
Inguina laſcivis conterit articulis.
Illa rubens dixit, quid te incepiſſe vetabat?
MULTA INTER CALICEM SUMMAQUE LABRA CADUNT.

Ad Fabullam.

Quando poſthabitis nobis ad vota, Fabulla,
Feſtinas; voti haec ſit quoque ſumma mei.
Semper ut a molli nequidquam trita marito
Semimarem plores praepoſuiſſe viro.

(a) IN BAJULETI DOCTORUM
De Univerſis Scriptoribus Judicia.

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi Litteris infeſtus ac ſcientiis,
Ut ille Bajuletus, ille Bajulus,
Ut paedagogus ille cum ferula truci,
Obſcurus, atque indoctus, at fidens ſibi,
Satyris malignis tentet inclareſcere,

Nova

(a) Hoc Epigramma ad Catulli imitationem eleganter compoſitum inter edita ponendum eſt pag. 86. poſt illud, cui titulus eſt *Laus Lilii.* ſimilis acrimoniae carmen in Bajuleti de Doctis Judicia eſt apud Menagium inter Ejus Poëmata Epigr. CLIX. pag. 156.

Nova atque vetera dente carpat livido,
Et univerſum rodat auctorum genus?
Ideone juvenis impudens & arrogans,
Elatus animi vanitate & ingeni,
Perambulabit omnium volumina,
Ut ſe ipſe faciat ſingulorum judicem,
Criticumque, Cenſoremque, & unicum arbitrum?
Severa Curia hoc videbis, & feres?
Et hi libri legentur Urbe Regia?
Et audet aliquis haec venena vendere?
Adeſte Muſae. Veſtra turbatur quies:
Veſtri clientes mille luduntur modis:
Et inſolenter aula veſtra irrumpitur
Ni fuſcinis, aut fuſtibus hominem novum,
Hominem profanum monte dejicitis ſacro.

Hos Jambos jaculabatur HADRIANUS VALESIUS, Conſiliarius & Hiſtoriographus Regius, Menſe Septembri An. Dom. noſtri 1685. Aetatis ſuae LXXIX.

Quis te conſtituit judicem ſuper nos?

Tertius e coelo cecidit Cato.
Contenti ſimus hoc Catone.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

I N D E X

Rerum & Verborum.

A.

Pag.

ACtionum oratoriarum duo diverſa genera. 54
Acratus Neronis libertus. 59
Adrianus Caeſar Criticae & Grammaticae ſtudioſus. 178
Aegimius Dorienſium Rex. 37
——— Poëma antiquum quibus tributum. 38 & 39
Aegyptiorum hymni ex VII vocalibus. 5
Aelianus Sophiſta quando vixerit. 122
——— Tacticorum auctor diverſus ab Aeliano Sophiſta, qui de Animalibus & Hiſtor. Var. ſcripſit. 121 & ſeqq.
Aeſchines Rhetoricam apud Rhodios docuit. 80
Ἀγῶνες Sophiſtarum conmiſſiones. 91
Ala militum. 17
Alcibiadis ſtemma. 101 & ſeqq.
Alexander Rhetor, qui de figuris ſcripſit, diverſus ab Alexandro Numenio. 32
——— Numenius quando vixerit. ibid.
Amuleti genus ad medicinam ex ſuperſtitione adhibitum. 5
Anaïtidis Dianae templum in Ptolemaïde. 132
Ἀναφωνῆσαι. 22
Aniani breviarium. 137
Andromachus Grammaticus. 153
Andronicus Rhodius inventor & emendator ſcriptorum Ariſtotelis. 169, 170
Ἀντιλογισμοὶ quid? 88
Antiquarii, librarii ſcribae. 226
Apameae urbes quatuor. 70
——— Bithyniæ colonia Romanorum ibid.
——— conventus juridicus. 65
Aphracta Rhodiorum naves. 59
Aphytis urbs Thraciae. 119
Apium Nemeonicarum praemium. 50 & 223
Apollo Sminthius. 32
Apollonius Tyaneus Philoſophus. 79
Ἀποστάσεις. 81
Ἄπρακτον. 104
Ἀπροβούλευτον. 75
Ἀπτιᾶν, pugnam committere. 61
Aquilae Romani Rhetoris liber de Figuris ex Alexandro Rhetore deſcriptus. 32
Archippus Philoſophus ex Pruſa ad Olympum oriundus. 48 & 49
Ariſtoteles Criticorum princeps. 154
——— Homericae Iliadis emendator. 155
Arneïdes dies feſti apud Athenienſes. 130
Artabri populi Luſitaniae. 97. & 229. & ſeq.
Artemidori aetas. 90
Aſterius Apronianus. 181
Ἄτης Bacchi epithetum. 108

O Athe-

Digitized by Google

I N D E X.

Athenienſium jusjurandum ἀμνηστίας. 41
Atticus apud Hieronymum quis? 16
Atticum & Aſiaticum dicendi genus quale. 160
Auctor libri περὶ ἑρμηνείας quis? 149 & 156
Aurelius (Petrus) Theologus cum Sirmondo diſceptavit. 19 Or.

B.

Bailleti Judicia de viris doctis. 98. Or.
Baſilius Magnus Theologus & Criticus. 173
——— abjudicatus ipſi libellus de Grammatica, & ſcripta ejus enumerata. 174
——— auctor Commentariorum in Eſaiam. ibid
Baſſaeus Rufus præfectus Praetorio. 89 & 90
Βεβαίωσις. 8
Boëthii ſcripta, quibus Ariſtotelem & Platonem interpretatus eſt. 182
——— Commentarii in Topica Ciceronis. 183
Boſporani Reges. 86
Βουλευτικὰ Senatorum. 74
Braduas conſul. 88. 227
Burzaeus. 75. Or.

C.

Caniculus vel Caliculus pro atramentario. 136
Caniculi praefectus, quanta dignitas. 136
Callinus elegiographus Poëta. 116
Capellanus. 75. Or.
Capitula Caroli Magni. 137
Caprae pini & oleaſtri adpetentes. 51
Caroli Magni favor erga viros doctos. 78. Or.
Celer, Hadriano ab Epiſtolis. 85
Celſus, familiaris Luciani. 4
Cerebrum Jovis, de deliciis. 25. 221
Charetis promiſſa, proverbium. 109
Charmadas, Carneadis diſcipulus. 33. 221
Chriſtinae Suecorum Reginae laus. 183
——— ejus doctrina, amor in Literatos, & pacis ſtudium 6, 7 & ſeqq. Orat.
——— nummus aureus imagine ejus inſignitus. 11, 12 Or.
Χρυσοῖς de rebus pretioſis. 98
Chryſoſtomus (Joannes) Theologus & Criticus, ejusque Commentarii in S. S. 174
Ciceronis facultas Critica. 159
Cius urbs poſtea Pruſias dicta. 50
Civitatum duarum nemo civis eſſe poterat Jure Romano, niſi ex Principis reſcripto. 71 & 72
Colbertus. 75 Or.
Commentarii & ſcholia quid differant. 185
Commentatoris boni officium. 186
Conon praefectus Auguſtalis. 62
Contralegere, quid. 180
Conventus juridici varii in Aſia. 65 & 66
——— ——— 133
——— ——— Apameae. 65
Cornicularius unde dictus. 135
Crates Pergamenus. 133
——— ——— diverſus a Crate te Mallote. ibid.
Culcianus. 11
Curia, de ſenatu municipali. 17
Cybiraticum ſoſum. 66
Criticae praeſtantia & utilitas. 152
——— definitio & partes. 184
——— uſus in Sacris Literis. 152

Digitized by Google

INDEX.

—— —— In Juris ſcientia. 161, 162
Critici quinam dicti. 144 & ſeq.
—— pro Grammaticis. 146, 147
—— Rhetoricae operam dabant. 149
—— recentiores. 151
—— ſignis & notis cenſoriis libros notabant. 171
Critobulus apud Hieronymum quis. 16

D.

Damaſias. 98
Decemviri in Piraeeo. 39
—— —— —— —— diverſi a Xviris poſt ejectos Tyrannos ab Athenienſibus creatis. 40, 41
Demetrius Phalereus Criticus, ejusque ſcripta. 156
—— —— an Dionyſius Halicarnaſſenſis ſit auctor libri περὶ ἑρμηνείας. 149. 156
Democritus Abderita Criticus. 158
Demodice. 20
Denariales manumiſſi in Lege Ripuaria quinam. 139
Δέρμα pro ſacro codice. 8
Dianae Anaïtidis templum. 132
Διελεῖν dividere. 112
Δικάζειν & δικάζεσθαι quid differant. 65
Διοίκησις & διοικητής quid. 73. 225
Διὸς ἐγκέφαλος, proverbium de lautitiis. 25
Dionis Chryſoſtomi vita enarrata. 43 & ſeqq.
—— —— facultas Critica. 162
Dionis Hiſtorici aetas. 123
Dionyſius Halicarnaſſenſis Criticus celebris apud veteres. 149
—— an ſit auctor libri περὶ ἑρμηνείας. 149. 156
—— ejus ſcripta Rhetorica deperdita. 96
Dionyſius Longinus Criticus celebris. 150
Diſpenſatores. 73. 225
Diyllus Hiſtoricus. 228
Διφθέρα ſegeſtre, veſtis pellicea, & unde ita dicta. 127
—— pro codice membranaceo. ibid.
Dorion Criticus. 85. 149
Duces electi apud Athenienſes conſcenſo ſuggeſtu populo magnifica promittebant. 109

E.

Etionia ab Ariſtocrate everſa. 108
Eccleſiaſtici in regno Francorum, cum omnibus ſuis ex lege Romana vivebant. 138
Ἡγεμόνες praeſides provinciarum. 64. 225
Ἡμίγαμος de pellice. 84
Ἔγκελσις athletarum. 26
Ἔγκτησις τῆς γῆς quid. 110
Ἐκμανθάνειν. 87
Ellipſis κατὰ πόλιν pro καθ' ἑκάστην πόλιν. 37
—— υἱός. 38
Ἐμβάδες quid. 120
Emendatores auctorum veterum libris a ſe emendatis nomina ſua ſubſcribebant. 180
Ἐνθρονισμοὶ carmina in ſacris Corybantiis cantata. 52
Ἐντάφια. 220
Ἐξελίττειν & ἐξελιγμός quid? 125
Epheſia, urbs metropolis in Aſia non longe ab Epheſo. 133
Ἐπὶ nota pignoris. 105
Ἐπιδανείζειν quid. 105
Ἔργα aedificia publica. 83
Erigona Maleotae filia. 113
Erigonae tres. ibid.

O 2 Ἐπὶ

I N D E X.

Ἔστι τε καὶ εἴη, *eſt tibi ſitque*, formula bene precantium. 94
Evenus Elegiacus poëta. 116 & 117
Euphrates Philoſophus. 81
Euryſthenes, Ariſtodemi filius, Lacedaemoniorum Rex. 129
Ἐφέσιμος δίκη quae. 93
Expoſitionis duo genera in Critica. 184

F.

Favorinus Arelatenſis. 47
——— Criticus & Grammaticus, ejusque ſcripta. 163
Feminae ab Olympicis ludis ſpectandis arcebantur. 28
Fortunae dextra gubernaculum navis, ſiniſtra cornucopiam tenentis effigies. 78. 226
Fortuna & Virtus Romae. 77. 226
Fundus quid. 193
Fundus populus quis dicatur. 197. usque ad 215

G.

Galenus Criticus inter Medicos. 170
Germanici Caeſaris in Criticis peritia, & quid ſcripſerit. 178
Graeci literarum inſtauratores. 151
Grammaticae diviſio. 144 & 145
Grammatici dicti qui antea Critici. 148
Grammaticorum ſectae. ibid.
Grotius (Hugo) an Catholicae religioni addictus obierit. 44, 45 Or.
Gyges ex paſtore Lydorum Rex. 78

H.

Hadriani liberalitas erga Smyrnaeos. 86
Heordaeorum privilegium ſingulare. 93
Heraclides Ponticus, ejusque ſcripta. 157
——— junior quidam, auctor Allegoriarum Homericarum. ibid.
Hercules a Tarſenſibus cultus. 63
Hermodice vel Demodice, Midae conjux. 20
——— prima nummos cudit. ibid.
Heſiodi poëma Αἰγίμιος. 38
——— Ἠοῖαι μεγάλαι ſive Γυναικῶν κατάλογος. 222
Hierocles varii. 9, 10 & ſeq. 13. 216 & ſeqq.
——— Philoſophus, ejusque patria. 12, 13.
Hieronymus Criticus inter Latinos Theologos. 176
——— Ejus varia ſcripta. ibid. & 177
——— Commentarii. 185
Hierophantae officium. 92
——— nomen proferre nefas. 96
Hipparchi Aſtronomi aetas. 126
Hippocratis Interpretes antiqui. 170
Hippodamus Mileſius & Turius idem 111, 112
——— Piraeeum in vicos diviſit. 112
Hipponicus vir nobilis apud Athenienſes. 231
Homeri Ilias ab Ariſtotele emendata. 155
——— Editio ex narthecio. 156
——— Vita Plutarcho abjudicata. 164
Horus Grammaticus. 153
——— Orus & Orion confuſi, ejusque Etymologica. 238
Hypius fluvius. 49. 228
Hyllus Herculis filius. 38
Hyrcani minoris Aſiae populi. 128

Jan-

Digitized by Google

INDEX.

J.

JAnſenius. 46. Or.
——— Auctor libri qui *Mars Gallicus* inſcribitur. ibid.
Ibycus Poëta Lyricus. 117. 119. 232
Jëtae, incolae inſulae Jös. 124
Interpretatio quomodo inſtituenda. 187
Jovis Olympici ſimulachrum a Phidia factum. 52
Jovis cerebrum de lautitiis ac deliciis. 25
Ipſus Phrygiae oppidum. 120
Iſmenias tibicen. 74. 225
Iſocrates Criticus. 149. 158
——— ejus Buſiris quid contineat. 159
Juba Mauritaniae Rex Criticus & Philologus fuit, & quid ſcripſerit. 177
Julii Caeſaris Libri de Analogia. 178
Juramenta ſcripta an tantum valeant, quantum illa quae voce fiunt. 7
Jurandi mos apud Chriſtianos tactis Evangeliis. 8
Juriſconſulti Etymologiarum indagatores 161
Juriſdictiones Aſiaticae. 66. 133

K.

KAσάνεια lupanaria. 23
Κόρη pro puppa, non de nummo 19
Κορυβαντιᾷν & κορυβαντιασμός. 53. 224
Κείτικος & κρήτικος commutata. 85. 87. 129. 149. 227
Κτῆσις & ἔγκτησις differunt. 110

L.

LAenillae matronae Romanae inſigne facinus. 127
Laeſpodias. 99. 230
Λαλιαὶ orationes extemporales. 30
Legatorum orationes ad Imperatorem. 31
Lexica & Onomaſtica differunt. 18
Libri falſis titulis inſcripti a Criticis vindicati. 147
Literarum inſtauratores primi. 151
Liti quinam in lege Ripuaria. 139
Λογιστής, λογιστεία, & λογιστεύειν, de curatoribus civitatum. 83
Longinus (Dionyſius) Criticus apud veteres celeberrimus. 150. 165
——— ſcripta Ejus a Suida omiſſa. 166
Ludovici XIV. munificentia in Viros doctos, & alia ejus praeconia celebrata. 71—83 Or.
——— Victoria Maurica & Turcica. 84 & ſeqq. ibid.
Lupatum. 60

M.

MAcrobii doctrina in Criticis. 183
Μαγάδις quid. 81
Magneſii populi in Aſia minori. 128
Magnus annus pro ſeculo. 115. 231
Malaeotes in Italia regnavit. 113
——— ejus filia Erigona. ibid.
Mangones & mangonium quid. 135
Marcianus Criticus. 150
Marſyae ſtatuae in urbibus. 114
Mattilius pro M. Atilius. 227
Mazarini (Cardinalis) encomia. 49—69. Or.
Memoriae ars, & illorum, qui egregia valuerunt memoria, exempla. 85
Menandri Comoediae in Scholis actitari ſolitae. 54
Menandri Rhetoris opus in tres libros diviſum. 27

Digitized by Google

INDEX.

——— ——— & Alexandri opuſcula male in unum conflata. 29
Meſſala Corvinus Criticam excoluit, & quid ſcripſerit. 179
Mimnermus Colophonius, Elegiacus poëta. 118
Mithriaca ſacra. 97. 229
Mnaſeae Patrenſis Europiaca. 134
Molaeus (Matthaeus) 31. Or.
Monmorus (Petrus) literarius paraſita Gallicus. 29. Or.
Mos initiationis in ſacris Corybantiis. 52
——— jurandi apud Chriſtianos tactis Euangeliis. 8
——— libamenta tangendi in ſacrificiis. 57
——— mulierum oracula adeuntium. 53
——— uxores aliis cedendi apud veteres. 58
——— temulentorum aqua adſpergendi praetereuntes. 61
——— ad titinnabuli ſignum ſcholaſticos vocandi ac dimittendi. 93
——— naves oppignerandi. 105
Munatius Trallianus, Criticus, praeceptor Herodis Attici. 149

N.

NAzianzenus (Gregorius) inter Theologos veteres Criticus. 172 & ſeq.
Nemeſes Deae a Smyrnaeis & Nicaeenſibus cultae. 69
Nemeſium certamina. ibid.
Neptuni tridens a Tarſenſibus cultus. 62
Nobilitas vera. 15. Or.
Nomina emendatorum libris veterum auctorum correctis ſubſcripta. 180 & 181
Νόμοι, muſici modi. 118
Notae Criticorum cenſoriae. 171

O.

Οἶκος & οἰκία quid differant. 84
Οἶον municipium in agro Attico. 107
Olympia ſpectare feminis vetitum. 28
Onomaſtica & Lexica differunt. 18
Opera publica a magiſtratibus vel populo examinata. 59
Origenes inter Theologos Criticus excellens. 171
——— varia ejus ſcripta. ib. & 172
——— Commentarii. 185

P.

PAmphylus Aegimii filius. 38
Panionium feſtum apud Jonas. 92. 228
Parodiae. 35
Paſicrates, pater Dionis Chryſoſtomi. 44
Patris filius, proverbium in malam partem. 90. 227
Pelaſgi olim Tyrrheni dicti. 113
Pergulae magiſtrorum. 56
Πεελόδρομη. 94
Perronius Cardinalis. 19. Or.
Perſeus Tarſenſium conditor. 62
Petavii (Dionyſii) laudes, doctrina, ſcripta &c. 35—48. Or.
——— iniquitas in Scaligerum. 40, 41 ibid.
Phäylus Phocenſium tyrannus. 132
Pherenicae conceſſum Olympia ſpectare. 28. 221
Phidiae ſimulachrum Jovis Olympici. 52
Φιλαλήθης opus Hieroclis: 10
Philoſtorgii Hiſtoria Eccleſiaſtica unde producta. 176
Philoſtrati varii. 95. 100
Photius Criticus, ejusque Bibliotheca. 176

Pi-

Digitized by Google

I N D E X.

Piraeeus ab Hippodamo in vicos diſtributus. 112
Piraeei praefecti. 39
Piſandri duo poëtae, Rhodius & Lycaonius, quando vixerint & quid ſcripſerint. 117
Plato Criticus. 153
—— Ejus natalis a Philoſophis illius ſectae quotannis celebratus. 165
Πληροφορία & πληροφορεῖν. 8
Πλίγμα quid. 130
Plutarchus Criticus. 164
——— non eſt auctor vitae Homeri. 165
Poëtae adflatu divino aguntur. 158
Πολυσιβὰς οἰκία, domus multorum accubituum in urbe Conſtantinopoli ubi fuerit. 141
——— Δεκαεννέα ἀκκυβίτα aut Delphica vocata. ibid. & 142
Porphyrius, Longini diſcipulus, Criticus, ejusque ſcripta. 167
——— Quaeſtiones Homericae & Commentarii in Hermogenem. ibid.
Porus ex tonſore Indiae Rex. 77
Praefecti praetorio principibus adſidebant in judiciis. 89
Praxiphanes primus Grammaticus. 148
Προβούλευμα. 75
Procles, Ariſtodemi filius, Lacedaemoniorum Rex. 129
Proclus Philoſophus, Criticus. 168
——— an auctor χρηστομαθείας γραμματικῆς. ibid.
Proconſules in provinciam ibant ex praeſcripto principis. 58
——— forte legebantur & erant annui. 131
Προσβολαὶ & προσβαλεῖν quid. 81
Πρόσοδος pro adlocutione. 110
Pruſa ad Olympum etiam Pruſias dicta. 48
—— tres ejus nominis urbes. ibid.
—— a quo condita. 49
—— operâ Chryſoſtomi multa commoda impetravit. 46
—— ad Hypium flumen. 49
Pſaon, Plataeenſis hiſtoricus. 96
Ψάλιον & ψέλιον commutata. 60
—— —— quid differant. ibid.
Ptolemaeus Euergetes, Aegypti Rex, Ariſtarchi diſcipulus, & quid ſcripſerit. 177
Puteanus (Claudius) 26. Or.
——— (Chriſtophorus) 33. ibid.
——— (Jacobus) 82. ibid.
Puteani (Petri) laudes, doctrina, ſcripta &c. p. 24 usque ad p. 33. Or.
Pythia a Theſſalis celebrata. 51
—— minora a Megarenſibus actitata. 85

Q.

Quadraginta viri apud Athenienſes qui. 21

R.

Regisvilla Malaeotae regia. 113
Regulae de ratione judicandi. 154
Rhenaea inſula Delo vicina. 27. 221
Rhoſſus urbs in Syria. 119
Richelius Cardinalis. 233. 18. 51. 52. Or.
Romae Virtus ac Fortuna. 77
Romani cognitionem criminalium cauſſarum ſibi reſervabant. 86
Ῥῶπος de vilis pretii mercibus. 104
—— & ὥρωπος mutata. ibid.
Rufinus ab Hieronymo Scorpius vocatus. 17

Ru-

Digitized by Google

INDEX.

Ruſticus Julianus Ariſtotelis interpres. 182

S.

SAbbatum δευτερόπρωτον. 173
Sal catechumenis datum & quare. 14
Salaria Rhetoribus ac Philoſophis a D. Pio conſtituta. 89
Salica lex unde dicta. 140
—— quinam populi ea uterentur. ibid.
—— terra unde dicta. ibid.
Salicae leges Francorum, Longobardorum, aliorumque quid contineant. 136 & ſeq.
—— —— Codex MS. Bigotii. 137
Sandas Herculis filius, Tarſi conditor. 63
Scellias Ariſtocratis pater. 109
Scenici artifices. 91. & 92. 227
Scholia & Commentarii quid differant. 185
Scorpius Rufinus dictus ab Hieronymo. 17
Seculorum diverſae revolutiones. 115
Segeſtre. 127
Senatores pro introitu in Senatum certam pecuniae dabant ſummam. 74
Σημειώσεις. 185
Sigma ſtibaduum dictum a forma. 142
—— Litera Graeca an a veteribus ut C an vero ut Σ exarata ſit. ibid.
Sileni ſtatuae in urbibus. 114
Sirmondi (Jacobi) laudes, merita, doctrina, ſcripta, &c. 14. ad p. 23. Or.
Socrates Criticus Etymologias invenit. 153
—— Ejus ſcripta Platoni tribuenda. 154
Sophiſtae veteres varii. 82
Soſpes, agonotheta, & Iſthmiorum praeſes. 91
Σπυδαὶ quid. 90
Statuarum tituli in alterius honorem deleti & mutati. 58
Stibadia lecti convivales. 125
—— Sigmata dicta & unde. 142
—— an habuerint formam arcus Scythici. ibid.
Stipem petere qui ſolebant. 126
Στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὅπλων, magiſtratus. 91
Subducere, verbum militare. 125
Subſcriptiones in fine Codicum MSS. 180. & 181
Συνταγαὶ, praeſcriptiones medicorum. 23
Syneſius inter Theologos veteres Criticus. 175
Syrianus Philoſophus. 12. 168

T.

TAbularii manumiſſi in lege Ripuaria quinam. 139
Taenarus fluvius. 132
Tarſus a quo condita. 62
Tarſenſes in judicium vocabant magiſtratus Romanos. 64
Tarſenſium conventus. 65
Telephus Criticus. 129
Τελετὴ in ſacris Mithriacis. 228, 229
Terpander muſicos nomos invenit, & citharae tres chordas adjecit. 118, 119
Teſtamentum Vetus ab Origene ſignis Criticis notatum. 172
Τεχνῖται περὶ Διόνυσον, Scenici artifices. 91. 227
Theagenes Cnidius, Criticus, praeceptor Herodis Attici. 149

Theo-

I N D E X.

Theodoritus S. S. Interpres optimus. 175
Θεοφόρητος, θεοφορήσεις, & θεοφορούμενος 75
Theophraſtus Criticus. 155
Thibiorum gens. 134
Thraſybulus ejectis XXX Tyrannis exules Athenas reduxit. 40 108
Θρονισμὸς & θρόνωσις in ſacris Corybantiis quid. 52
Thymelici. 91, 92. 227
Tragoediae apud Graecos quando interciderunt. 56
Triaina locus apud Tarſenſes a tridente Neptuni. 62
Τροπικά. 2, & 3
Tympana veterum ex pellibus. 84

U.

Ὕης Bacchi epithetum. 108
Undecim Viri apud Athenienſes ſub XXX Tyrannis. 39

Ὑποθήκη de mercibus oppigneratis. 104
Ὑπόνοια pro allegoria. 157

V.

Valeſius (Carolus) Henrici pater. 31 Or.
Varronis ſcripta Grammatica. 179
Velo obductae Grammaticorum ſcholae & Oratorum auditoria. 56
Verſura ſolvere & verſuram facere. 105
Veſtes & res pretioſae cum mortuis conditae. 24
Vettius Praetextatus Ariſtotelem interpretatus eſt. 182
Viginti magiſtratus apud Athenienſes poſt ejectos Tyrannos creati. 41
Virgilii Ecloga quarta quomodo explicanda. 115
Viri Inluſtres apud Romanos libris interpretandis & corrigendis operam dabant. 179 & ſeq.

AVCTORVM
veterum & recentiorum qui emendantur & explicantur, vel laudantur & refutantur,
INDEX

A.

AElianus de Animalibus. a pag. 123. ad pag. 134
Alardus (Lampertus) 24
Alemannus (Nicolaus) 136
Alexander Rhetor. 29—32
Ammianus Marcellinus. 63
Ammonius. 110. 134
Antoninus Liberalis. 132
Apollonius Dyſcolus. 227
Appianus Alexandrinus. 49
d'Arnaud (Georgius) 8. 146
Ariſtoteles. 111. & 112
Artemidorus. 22—25
Athanaſius. 15
Auguſtinus. 14
Auctor fragmenti Cenſorino adjuncti. 116, 117, & 118
—— anonymus de vita Alexandri Magni. 225
—— Emendationum in Dionem Chryſoſtomum. 50. 62. 64. 73
—— Vitae Principis Frederici Henrici. 45. Or.

B.

Baronius. 11
Barthius (Caſpar) 219
Baſilius Seleucienſis. 63
Bigotius (Emericus) 137
Billius (Jacobus) 7. 9
Boherellus. 2
Bos (Lambertus) 24
Brunnerus (Martinus) 233
Bynkershoekius. 162

C.

Cangius. 142
Cantoclarus. 98
Caſſiodorus. 135
Caſaubonus (Iſacus) 54. 57. 61. 64. 67. 69. 74. 77. 110. 125. 168. 174
Cauchius (Johannes) 117
Charax. 113
Cenſorinus. 115. 232
Cenſorinianum Fragmentum. 116 & ſeqq.
Ciacconius (Petrus) 142
Cicero. 33. 34. 35. 147. 197. 203. 212. 214
Claverius (Stephanus) 5
Clemens Alexandrinus. 108. 118. 148. 232
Columna (Hieronymus) 231
Conon. 130
Concilium Nicaenum. 49
Contius. 162
Cujacius (Jacobus) 161, 162

D.

Demoſthenes. 101. & ſeq. 104. 105. 107. 108. 109
Dio Chryſoſtomus. 36. 37. 50. uſque ad pag. 79
Diodorus Siculus. 38
Diogenes Laërtius. 107. 150
Diomedes Scholiaſtes MS. ad Dionyſium Thracem. 145

Dio-

I N D E X.

Dionyſius Halicarnaſſeus. 96
Dionyſii Thracis Grammaticalia Graeca inedita cum Scholiaſtis. 145
D'Orville (Jacobus Philippus) 27. 216

E.

ENnius. 25. 221
Epiphanius. 11
Epigramma Graecum apud Euſebium. 4
Eraſmus (Deſiderius) 174
Eunapius. 95. 96. 97. & ſeqq. 167. 228. 229
Euſebius. 6
——— in Chronico. 50. 117. 119. 223. 232

F.

FAber (Petrus) 228
Fabricius (Joh. Albertus) 12. 156. 168
Falconerius (Octavius) 70
Farina (Martinus la) 233
Fontanini (Juſtus) 181

G.

GAlenus. 2
Gatakerus (Thomas) 228
Gelenius (Sigiſmundus) 3
Gellius. 197
Geſnerus (Conradus) 121
Gillius (Petrus) 123. 125. 126. 127. 129. 130
Gloſſae veteres. 88. 127
Goldaſtus (Melchior) 219
Gorius (Antonius Franciſcus) 97
Gronovius (Joh. Fredericus) 231
——— (Jacobus) 40. 228
Grotius (Hugo) 39. 43 & ſeq. Or.

H.

HArpocration. 39. 40. 99. 103. 132
Heinſius (Nicolaus) 181. 230. 34 Or.
Hemſterhuſius (Tiberius) 1. 18. 19. 20. 38. 40. 142
Heroldus (Baſilius) 136
Hervetus (Gentianus) 118. 148
Heſychius. 5. 108. 112. bis. 134
Hieronymus. 16. 17. 173. 185. 227
——— Codex MS. 185
Holſtenius (Lucas) 167. 220
Horatius. 76
Huberus (Ulricus) 162
Hyginus. 134

I.

INſcriptiones antiquae. 5. 135. 181. 182
Jonſius (Johannes) 9. 46. 133
Iſidorus. 91
Iſocrates. 103. 105. 106
Junius (Franciſcus) 136

K.

KImedoncius (Jacobus) 227
Kuhnius (Joachimus) 7

L.

LActantius. 10. 11
Lambinus (Dionyſius) 112
Leopardus (Paulus) 112
Leges Salicae & Ripuariae. 138. & 139
Loënſis (Jacobus Nicolaus) 116
Lindenbrogius (Fridericus) 136. 140. 232
Livius. 70

M.

MAnutius (Paulus) 204
Marcus Euangeliſta. 14
Marmora Arundelliana. 110
Martianus Capella. 181
Marville. 29. Or.
Mauſſacus (Philippus Jacobus) 39
Meibomius (Marcus) 118
Memnon. 50
Menander Rhetor. 26 & ſeqq.
Menandri Comici verſus apud Dion. Chryſoſt. 35
Meurſius. 41. 42. 102. 107
Moneta (Monnoye) 156
Moyne (Stephanus le) 1
Muretus (Marc. Antonius) 111. 74 Or.

INDEX.

N.

NAgeorgus (Thomas) 61 & ſeqq. 73
Nannius (Petrus) 181
Nazianzenus. 7. & ſeqq.
Nummi veteres. 70. 76. 128. 133. 226

O.

OEnomai Cynici fragmentum apud Euſebium. 6
Origenes. 1 & ſeqq.
Ortelius (Abrahamus) 48
Ovidius. 132
Oudendorpius. (Franciſcus) 222

P.

PAuſanias. 116
Pearſonus (Johannes) 9. 13. 216 & ſeq.
Petavius (Dionyſius) 33 & ſeq.
Petitus (Petrus) 229
Philoſtratus. 49. 80. uſque ad pag. 94. 122. 124. 167
Pighii (Stephani Vinandi) Inſcriptiones ineditae. 226
Pindari Scholiaſtes. 38
Pinedo (Thomas de) 81
Pithoeus. 196. 206
Pithoei (Petri) Catalecta. 144. 221. 229
Plautus. 194. 203
Plinius 66. 134. 199. 226
—— Junior. 46. 48
Plutarchus. 22. 60. 115. 119. 120. 135
Pollux. 18. 19. 20. 21. 41
Polybius. 110
Poſtellus (Gulielmus) 42

R.

RAphelius. 15
Reineſii (Thomae) Eponymologicum MS. 216

S.

SAlmaſius (Claudius) 33. & ſeq. 70. 107. 119. 135. 136. 44. 74. Or.
Sarravius (Claudius) 172. 44 Or.
Scaliger (Joſephus) 4. 23. 142. 174. 48. 74 Or.
Schelius (Rabodus Hermannus) 234
Schottus (Andreas) 168
Scylacis Periplus. 119
Servius. 114
Sibyllina Oracula. 223
Sigonius (Carolus) 42. 205
Silius Italicus. 230
Stephanus Byzantius. 37. 70
Strabo. 37. 48. 60. 229
Suidas. 35. 95. 168
Syneſius. 12

T.

TErtullianus. 156
Theodoſius Scholiaſtes MS. ad Dionyſium Thracem. 146
Theophilus Antiochenſis. 38
Theophylactus Simocata. 141
Thucydides. 109
Triſtanus (Johannes) 128
Trotzius (Chriſt. Henr.) 5. 172
Turre (Philippus a) 97
Turnebus (Adrianus) 33. 112. 204

U.

URſatus (Sertorius & Joh. Antonius) 227

V.

VAlerius Andreas 44. Or.
V. Valerius Maximus. 28. 103
Vellejus Paterculus. 199
Victorius (Petrus) 33. 111
Victorinus. 118
Vigerius (Franciſcus) 6. 7
Virgilius. 115
Voſſius (Gerardus Johannes) 13. 96. 116. 117
Voſſius (Iſaacus) 13. 230

W.

WEſſelingius (Petrus) 4. 48. 62. 63
Wolfius (Hieronymus) 104. & ſeqq.
Wolfius (Joh. Chriſtoph.) 14. 156

Z.

ZOnaras. 98

A01 1464357

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google